



No. \_\_\_\_\_  
THE  
LIBRARY OF THE  
**UNIVERSITY**  
OF  
MARYLAND.  
—  
PLATES.

*John Crawford,*  
*M. D.*







Ruysh, Frederic -

Opera omnia anatomico -

medico-chirurgica.

Vol. 2 -

FREDERICI RUYSCHII

*Anatomes & Botanices Professoris, Academiae Caesareae  
Curiosorum Collegae, nec non Regiae Societatis  
Anglicanae membri,*

ADVERSARIORUM

ANATOMICO-MEDICO-  
CHIRURGICORUM

DECAS PRIMA.

In quâ varia notatu digna recensentur.

CUM FIGURIS AENEIS,

CUI ADJUNCTA EST

MICHAELIS ERNESTI ETMULLERI

EPISTOLA PROBLEMATICA

Ad V. C. FRED. RUYSCHIUM

DE

OVARIO NOVO.



AMSTELODAMI,

Apud JANSONIO-WAESBERGIOS.

MDCCLXXIX.



Digitized by the Internet Archive  
in 2014

Crawford



# ADVERSARIA ANATOMICA.



Itam mihi, sanitatem, animum, atque vires benignissimè largitus est Deus Ter Optimus Maximus, ut cum gaudio absolverim jam pridem Thesauri mei Anatomici decimum. Constitueram opus illud continuatâ porrò serie producere; sed re penitissimè expensâ mutavi sententiam: quia longè magis me prodesse posse Lectoribus credidi, si omnem deinceps facultatem, quâ Deus me ditabit, impendero conscribendis, quæ puto à me vel primo fuisse inventa, aut si forte Alii me prius detexerunt, clariorem tamen in lucem per me protracta, jure quodam mihi fas sit asserere.

Quum verò super hoc negotio cum animo meo seriò, & diu deliberarem, auspiciò in memoriam venit propositum egregii Johannis Baptistæ Morgagni, quod in Medicinæ eximia commoda profecutus fuit, dum titulo Adversariorum Anatomicorum evulgavit ea, quæ eleganti industria repererat, aut revocaverat ab interitu, olim tamen cognita. Quoniam enim ita instituenti animum opus haud est, ut de concinnando rerum ordine multum sit sollicitus, parcat tempori, rerum observata auget, effugit repetitionem, longeque magis incumbit gravi materiæ, quam inanibus ornamentorum. Imitari conabor id ipsum, ut oportunitatem nanciscar, quâ emendem errata mea Anatomica, quæ ipse fortè in aliis meis olim scriptis commisi: Quis enim mortalium omnibus se horis sapere jactet? Quis ab errore immunis? de me, id vel cogitet, absit! Satis superque vidi, atque dolui, hinc inde excidisse festinè, quæ maturescentis senii prudentia aliter dictata vellet, multumque referre, an juvenili impetu efferantur quædam, an verò ab Octogenario multos pressa in annos prodeant. Sed & simul utar lege, quæ cunctis præscripta est naturæ

## 2 ADVERSARIA ANATOMICA.

Cultoribus: scilicet, si erroris quid perspexero in operibus alienis, monebo audacter; neque tamen hac ego gratiâ Eofdem aspernabor: quia homini impossibile puto, ita benè subductâ ad scripturam ratione esse, ut nihil postea vel ipse corrigendum æstimet.

Ipse gaudebo sane, si quis in meis deprehensa vitia in melius commutet: *Damus hanc veniam, petimusque vicissim.*

### I.

#### *De Conceptu foecundo, Seminisque recepti hospitio & viâ.*

**A**D conscribendam naturæ ipsius pulchrè intellectæ historiam observata per sensus prius requiri, id tatis superque constat; atqui in illa nihil cognitu difficilius, usuve prætantius, legitur, quam enarratio sincera eorum, quæ in animalibus, maximè autem in homine ipso, spectari queunt; cujus interim descriptio nusquam minus certa vel clara habetur, quam ubi occupatur in contemplatione ortus ipsius: quare Alexander, ut præclari quid in hisce addisceret, immensos adeò Thesauros effudit, quibus utens Aristoteles indagavit hanc Physices particulam, quæ circa generationem animalium versatur. Et profecto maximus inter veros Philosophos habendus Guilielmus Harvæus, qui ut orbis eruditi lux, ita Britanniæ intaminatus honor, plus promovit hanc historiam solus, quam cæteri unitis laboribus; huic quippe Serenissimus Magnæ Britanniæ Rex, Carolus primus, animo verè Regio, quam generosissimè largitus est, quæ vota Harvæana tantum opus molientis petebant.

Mihi ergò sensa hujus consulenti mirum semper visum fuit, quod velit, statim à coitu atque foecundo conceptu incisus foemellis nihil Seminis Masculini in Utero, ac in cavis Tubarum Fallopii, apparere. Asserti quidem hujus veritatem auctoritas Viri asseruit quam plurimis, mihi reliquit semper dubium. Circumspexi ideò à multis abhinc annis ad omnia, quorum indicio scire possem, quid in hac re doceret ipsa rei speculatio. Rarum est, quærenti eventum respondere in his-

ce: rarissimum omnium, in ipso corpore humano cernere, quid hujus rei contingat: quare mihi, bis jam hac contemplatione fruenti, visum est vobis, Viri Nobilissimi, explicare rem utut reperi.

Juvenis ætate atque vigore corporis, utpote trigesimo vitæ anno nondum perfunctus, formosâ meretricis pulcherrimæ facie pellectus, eò rem deduxit denique, ut complexu venereo illius, suis ex votis frueretur. Simul ac verò suam voluptatem expleverat, detestabili facinore scorti jugulum ita discidit, ut extemplò moreretur: statim nos duo poliatri, simul cum chirurgis, jussu Magistratus eò missi, ut cognosceremus conditionem vulneris, atque de eâ Judicibus renunciareremus scripto.

Deprehenduntur à nobis Vasa sanguifera Colli ita abscissa, ut illicò inevitabilis mors subsequuta fuerit: cum verò scirem, quæ contigerant, incidi abdomen cupidissimus videndi ea, quæ in Utero atque partibus conceptui propriis forte occurrura essent.

Quam prudentissime ergò Uterum, Ovariorum ductus, & annexa, Cadaveri exemi: vidi Os Uteri clausum, lenissimè digito pressum se aperire, atque seminis guttulam dimittere, statim suspicatus, quid rei futurum esset, coram Viris Eruditissimis atque faciundo Medicinam claris, Henrico à Bronckhorst, Hermanno Schyn, & Justo Freder. Ritmeyero, Medicinæ Doctoribus, Uterum secundum longitudinem suspensâ manu, ne quid turbaretur, aperui, vidimusque cavum Uteri albo, naturali, atque bono semine masculino repletum, utramque etiam Tubam Fallopiam eodem semine plenam: quare miro hoc phænomeno bene ab omnibus perspecto, illicò cuncta hæc immisi liquori meobalsamico, ubi sicuti illis Claris viris prædixeram, induruit semen locis iisdem atque adhæsit, ut vel jam adhuc luculentissimè videri queat, nullâ omninò re mutatâ, nisi quod cuncta jam vi liquoris obduruerunt. Idem olim vidi in cadavere mulieris cum adultero deprehensæ in adulterio, statimque à marito deprehensore interfectæ, ut descripsi in Thesauro Anatomico, quem ordine vtº. evulgavi. Hinc suspicor ad foecundum conceptum, ipsum crassum semen in interiora Uteri, & Tubarum Fallopiarum recipi, non tantum id, quod spirituum exhalantium specie eò per-

vadere quacunq̄ue demùm viâ Harvæani autumant. Testatur Fallopius sæpenumero se in Tubis hifce verum Semen deprehensum plurimis Spectatoribus observandum præbuisse. In Observ. Anatomicis. Vid. & de Graaf, de generat. mulier. Cap. XIV.

## I L

*De Ovario, ut habetur, novo, & de  
Hydatidibus plura.*

**Q**UUM verò Genitales in foeminâ partes adèò compositæ sint, mirifque intricatæ involucris, simul rara adèò ipsis oculis spectaculorum circa fabricam tempore foecundationis occasio, quis miretur varias hinc exoriri scrutantibus sententias super iisdem rebus! Ideo post binas, quas modo descripsi, observationes, commode dabo responsum Epistolæ, quâ me decoravit publicis excusâ typis Vir Clariss. Mich. Ernestus Etmullerus, anno jam elapso; fatius quidem fuisset respondendo obsequio citius defunctum me fuisse, fateor, at varia, neque temerè effugienda negotia, votis sæpe meis obstant, occupato autem homini, longè magis seni, familiaris nimium agendorum procrastinatio atque tarditas quædam singularis.

Scripserat quidem in illa Vir præclarus, Dexterrimum artis Anatomicæ cultorem Martinum Naboth existimare, inventum sibi novum, fortè unicum, Tertium saltem Ovarium, rejicere ideò illa pervulgata duo, quæ omnes hæctenus pro veris admisere post Harvæum Ovariis muliebribus, neque agnoscere nisi unicum hocce novum pro vero. Quum verò Celeberrimus & præclarus Professor Etmullerus meam super novo hoc dogmate sententiam pariter requirat, tamen responsum haud festinavi, quia innumeris occupabar scrutationibus structuræ Viscerum aliorum, tum etiam, quia prius necesse habui in cadaveribus muliebribus omnia perquirere, denique, quoniam ea jam argumentorum pondera Etmullerus attulerat, quibus multa addenda me habiturum esse vix sperabam. Profiteor igitur palam, plurima me cadavera foeminina, eaque variæ valde ætatis, incidisse, atque intento perlustravisse animo & oculo, neque tamen unquam in cavo Uteri vidisse aliquid.

aliquid, quod ullà omninò specie Ovarium verum referret. Deprehendi quidem interius in Utero circa ejus Collum Fabricam talem, qualem Eruditissimus, atque Elegantissimus Morgagni descripsit operis sui Pag. 11. §. 14. Depinxit verò quàm exactissimè Tab. 3. supra literam K. rugis, fibris, valvulis contextam. Ibidem loci frequens sic satis est cernere Hydatides vario ut numero & situ, ita & magnitudine. Videtur autem harum quasdam tum forte occurrentes Laudatissimus modò Auctor citato eodem depingendas curavisse loco.

Nunquam verò cogitandum erit, has ipsas vel Ovarium, vel aliquam illius partem, constituere. Neque certè Perspicacissimus Regnerus de Graaf in aureo de Genitalibus Mulierum libro, capite septimo, postquam descripserat has Valvulas, nec minus nitidè Tab. ix. sub literis D. C. E. & Tab. x. Lit. H. K. L. depinxerat, unquam somniavit de statuenda hic Ovarii sede. Videtur tamen Clarissimus Naboth contemplatione eorum, quæ jam descripta dedi, in sententiam hanc nimis profectò præceps incidisse. Quæ autem Egregius Vir argumenta allegat, ut paradoxum suum firmet, diluit Insignis Etmullerus. Profectò audacter nimis auctor ille asserit, *Conceptum fieri potuisse absque subsidio ullius Vesiculæ ex Testiculis Foemineis oriundæ, & mulieres concepisse, imo peperisse, quæ tamen omnibus Testiculorum Vesiculis caruerant.* Undenam, quæso, id perspectum fuit? quibusnam documentis evincitur? quonam modo probari unquam poterit, his Foeminis tempore conceptus nullas adfuisse Vesiculas? an quia post gestationem, partum, mortemque, nullæ inventæ fuerunt? nemo certè facilè patietur debili adeò ratiocinio eripi sententiam, quæ Accuratissimorum Virorum sagacissima indagine tanto annorum successu plusquam probata fuit, & accepta. Neque multum proficit exemplo, quod ad asserendam opinioni suæ fidem citat ex auctoritate Clarissimi Professoris Christiani Schambergii, quum ait: *In incidendo cadavere puerperæ ilicò post partum difficilem mortuæ invenisse molem Testium solitâ magnitudine quadruplo majorem, intra eos verò nec Vesiculas, nec Glandulas; sed abundantis pinguedinis, cum pilis intermixtis, copiam.* Namque morbi nativam partium fabricam subito immutant, sæpeque constitit novem mensium gestationis

tempore ipsa Ovaria omnium minimè Vesiculas suas offerre, sed toto hocce decursu in officio suo, quasi otiano, feriari: imò verò ne tunc etiam, ut & ilicò à partu haud apparet illa interior Colli Uterini structura. Ipse ego sæpenumero Steatomata ejusmodi reperi in Testibus; quin & à longo tempore inter Musæi mei rariora asservavi Ovaria, in quibus Atheromata inveni pultaceà plena materià, neque id modò, verum Dentes veros, atque ex amussim factos, dispositos autem racematum ibidem repertos figurà dudum expressi in Thesaur. Anatom. 10. ut & alium dentem humanum in Atheromate Ovarii stabulantem reperi, qui nunc à capillo pendens, tenetur pede anteriore sceleti nitidissimi murini in eodem meo armario.

Quam improbabilis, ne gravius apponam quid, est enunciatio Nabothii, qui statuit Tubas Fallopii, neque virile semen ex Utero ad Testes, neque ab his in Uterum Ovula contenta deferre?

Utinam ponderasset Vir Egregius paulò majori cum curà, quæ Viri Clarissimi, Graafius, Hornius, Drelincourtius, Swammerdammius, Cyprianus, Nuckius, Malpigijs, tota in Britanniiis & Galliis eruditissima Societas, tot experimentis, Embryonum, Abortuum, Partuum, Monstrorum, in hominibus brutisque observarunt, atque conscripserunt! utinam trutinasset follicitus quæ in recentioribus Academiæ Regiæ Parisiensis monumentis habentur de Foetibus in ipso Ovario, in omni parte Tubæ Fallopiianæ, æquè ac in cavo Uteri repertis! haud crediderim ob unam, aliamve levem fati ratiunculam deserturum fuisse systema, cui statuendo tot, tamque Egregii Viri operam navaverant; haud quaquam porò dubito, quin optimus opinionis hujus Auctor, prælectâ Observationum præmissarum utrâque, cessurus sit veritatis viribus.

Denique video D. Naboth proferre contra vulgarem Medicorum Doctrinam, quod Tubæ Fallopiianæ sæpe circa Fimbrias suas laceras ita constrictæ fuerint, ut coaluerint omnino. Vera quidem hæc agnosco expertus. Sed quid inde infertur! profectò id unum, per morbos hæc contingere scilicet. Nunquam tamen exemplo vero constitit mulieres, diu postquam utraque Tubarum concreverat penitus, concepisse, sciant

sciant, hâc occasione Anatomes studiosi verissima esse, quæ dudum evulgavi scribendo: aliquoties me observasse Fimbrias Fallopiarum Tubarum in unum coaluisse cum Ovariis ipsis. Ut enim Anatomicorum decus, amicusque mihi, dum fata sinebant, integerrimus, Regnerus de Graaf, id ipsum haud tantum observavit Lib. de Genital. mulier. Cap. 1. sed & icone viva expressit Tab. XIX. fig. 5. & fig. 1. literis C. F. atque Fallopius id toties viderat, ut in Institut. Anatom. id fere semper putaret, sed errorem correxit in Observ. Anatom. ita ego ipse specimina talia in Musæo meo adservo. Quia tamen Insignis inter Anatomicos Morgagni, posteaquam id in Observationibus meis Anatomico-chirurgicis legerat, dubitavit an sæpe fieret, nec videtur Ipse illud unquam oculis spectasse fuis, promptus sum profectò, qui Eximio atque Meritissimo Professori, si id modò velle rescivero, transmittam ipse specimen ritè paratum, ut conservari queat, in quo rem ipsam contemplabitur; quum plura exempla præsto mihi sint. Neque diffitebar interim, quum res ipsa ita se habeat, longè frequentius me illud fuisse expertum in vetulis, decrepitis, effoetis, quàm in corporibus juvenilibus.

Quæ quidem omnia, ut ad propositum revertar denique, id efficiunt, ut firmus credam certusque, quod tamen tanti Viri pace dictum velim, Ovarium illud fictum Nabothianum fuisse modò Hydatidum, inter rugas Valvulosas Os Uteri internum obsidentes natarum, congeriem. Hydatides autem hujusmodi, ut in omni morbo lento partes quascumque occupant, ita viscera præprimis infestare interiora observantur frequentissimè. Ego verò cenfeo Hydatidas esse extremitates Vasorum sanguiferorum, quæ priorem suam mutaverunt naturam, atque in vitiosam degeneraverunt fabricam. Id didici maximè ex eo, quod Placentas, in quibus nulli Lymphæ ductus inveniuntur, aliquoties spectaverim Uterinas, imò & inter mea asservem hucusque quæ unam partem omninò in Hydatides conversæ sunt, aliam verò partem sanæ, quin imò habeo alias, quarum tota fere in Hydatidas hæc permutata cernitur, quæ alii habuerunt pro falsa conceptione. Jecinora quondam inveneram, quæ etiam penes me recondita servo, quorum tota moles abierat penitus in Hydatides. Demonstrare quoque possum in Musæo meo Peritonæum Hydropicæ foeminæ

foeminæ integrè conversum in Hydatidum texturam. Videre etiam mihi quondam contigit in ipso plexu Choroide Hydatidum quam plurimas. Neque tamen usquam frequentius reperias id genus mali, quàm in Abdominali regione; ita tamen ut longe plus, & acerbius foeminas infellet, quam viros. In ipso autem corpore foeminino magis ovaria, quam alias partes, occupat. Quam mirabile est, licet sit adeò frequens, videre ampullulas aquâ turgentes ab ipso pendere tam Utero, quam ab annexis illi partibus, quæ Uniones sanè referunt hærentes à pedunculis varietate longitudinis admodum diversis? huc autem advertas, quæso, animum: nascuntur aliquando ex Hydatide parvâ utres ingentes profectò, dum exiguo ab inchoamento crescit assiduo novi humoris appulsu in terribilem molis immanitatem, quâ totum abdominis cavum ad crepaturam usque repletum visum quandoque fuit. Malum sanè frequentius multò, quàm creditur. Fit eâ re morbus, quem Hydropem clausum vulgus appellat. Qui absque undulatione est, uniformi, durissimèque tenso tumore manifestatur, neque patitur prementi cedere partes, nec sonum edit ullum oscillante corpore. Memor equidem pulchrè sum casus, dum in cadavere muliebri, aperto abdomine inveni faccum aquâ turgidum, adeò certè magnum, ut serosi liquoris copiam contineret, quam novem vulgares urnæ (quas *water-emmers* Batavi appellant) tantum capere poterant. Mirum verò, extrâ membranaceum huncce faccum nihil in Abdomine præterea inveniebatur laticis.

Ipse autem capax hicce faccus ex Hydatide expansâ, in molem hanc vix imaginabilem increverat, interimque pro rato, quo increfcebat, pellis ejus increffescebat simul. Quod etiam in omni ferè simili tumore fieri solet. Quid enim? in Ganglione, Atheromate, Meliceride, Talpâ, aliisque id genus Tumoribus, quæ in principio tenues erant pelliculæ, ubi multum increvit Tumor, instar crassioris, lentique corii spissantur. Ipsa quoque Vesica urinaria diu à magno extensa calculo se ipsâ multis vicibus crassior reddi toties conspicitur; quod qui ignorant, infelicissimè sæpe hâc de causâ in Lithotomiâ errant Artifices.

Omnia nunc hæc observata nos docent, haudquaquam absolum esse, si dixerò, ut jam ante, Hydatides hæcæ circa  
Uteri



Uteri internum Os in cavo ejusdem sæpe natas mirabilia quam plurima efficere.

Manum ergò subducerem de tabulâ ; nisi unum alterumve adhuc Viro Celebri memoratum vellem : dissecuisse me scilicet ante quadraginta & sex abhinc annos in demonstratione publica Cadaver mulieris , atque invenisse in cavitate Uteri ejusdem Embryonem , qui corpore suo toto æquabat Hordei mundati granum , simulque quam clarissimè deprehendisse in ipso Ovario cavitatem quandam hærere , quæ manifestò habebat Ciceris magnitudinem , cujus concava facies sanguinolenta spectabatur atque rugosa , planè eodem apparatu , quo concava Uteri superficies ilicò à partu semper videtur. Forte quoque fidem receptæ asserit sententiæ pulchri exempli speculatio ; etenim Uterum muliebrem conditum habeo , cujus Ovarium multa continebat Ova , ex quibus crepantibus , fetisve , exsiliit lymphaticus humor , verum inter plurima horum unum spectatur Ovario adhuc adhærescens , interim tamen imprægnatum fœcundatione genitâ , ut Tibi cernere datur contemplanti annexam hic figuram. Ad Te se convertit mea scriptura Clarissime Etmullere , qui occasionem fecisti huic dissertationi , quam locupletissimo augmento amplificare datum esset , nisi actum non agendum scirem.

III.

*De Glandulis Cutis humanæ , atque de  
Papillis nervosis.*

**A**Gite jam , experiamur quid sensus de hisce doceat ? utrasque Cuti adesse asseruere Steno , Swammerdam , Malpigijs , magna illa & clara in Anatome lumina. Utque fieri natum , audaciâ asserendi hosce Auctores multum adhuc superaverunt cæteri , licet minus instructi fuerint experimentorum supellectile , sed fœcundiores figmentis. Vidi ita quondam Iconibus has ita delineatas , ut obstupuerim merito ad infrænâtam adeò licentiam fingendo , spectâ Tabulas , quibus Celeberrimus Prof. Bidlous hæc depictas evulgavit in magno suo opere *Anatomico* , confer deinde accuratam rei ipsius

considerationem, ut videas quam sibi indulgeant sæpe Auctores, quantâque sit circumspeditione opus, antequam tuto iis fidat Philosophus. Fateor interim, post tot molimina nunquam Glandulas hæc detegere me ita valuisse, ut eas describere possem, imò ne videre quidem licuit. Devinctum itaque me profiteor Illi, qui eas ibidem existentes oculis exhibuerit meis. Interea loci unicuique spectatori harum deliciarum idoneo demonstrare jam possum, & quidem jam tantum, Organum nervosum cutaneum tactui exercendo proprium dictum. Quum enim haud ita dudum Vasa sanguifera in binis Cruribus humanis materiâ meâ replerem in alios usus, aliudque prosequer eo ipso propositum, bonâ fortunâ & auspiciatò evenit, ut ita replerentur ambo, ut undique penitus ruberent præ innumerabili Vasculorum multitudine. Hoc ipsum quum lætabundis perlustrarem oculis, ilicò liquidò advertēbam toto Cutis tractu plurima loca esse albicantia, turgidula tamen, atque in obtusum elevata apicem, denique Pilis enatis originem clarè præbentia. Quæ contemplatus facilè censui Nervosas hæc extra minima Vasa repleta Papillas esse habendas. Facit imprimis eò mira simul observatio, dum toto Cruris, Pedisque ambitu evidenter ubique cernerentur, neque tamen ulla inveniretur in convexâ parte Pedis, quam dorsum ejus vocant vulgò. Quid inde? an tactui minus est apta nata hæc pars? omnino. Experire, & invenies. An ibidem igitur nullæ adsint? id haud dixero. Forte minores, aut profundius sitæ, minus apparent. Fateri tamen cogor, me ipsum olim, & sæpe, credidisse non modò, sed & scriptis asseruisse Glandulas hæc cutaneas adesse. Sed magis id egi præceptis, & abreptus auctoritate omnium fere Anatomicorum, quam veris experimentorum documentis. Scire tamen est, inter cuncta argumenta nullum plausibilis esse, quod Glandulas hæc doceat adesse, quam mira illa in morbis tubercula, quæ toties sub Cuticulâ ex ipsa se Cute elevant, atque protuberant.

Ipse utique in armario meo plura talia spectanda servo. Verum, ubi cum curâ hæc examinavi, putavi Glandulas non esse, sed Epidermidis quasdam elevationes.

Neque alienum me fateor à sententiâ, quam Amicus meus Clarissimus Hermannus Boerhave, Botanices, Medicinæ,  
&

& Collegii Practici Professor publicus in Academia Lugduno-Batavâ ore, & literis, mihi explicuit.

Ille scilicet reperit sub Epidermide in ipsâ Cute, aut quandoque infrâ ipsam, hæere parva quædam receptacula, rotundula, ambitu tenuis membranulæ confecta. Hæc quidem superiori, quâ Epidermidem spectant, parte aperta observat ita, ut angustato tamen orificio conniveant, neque faciliè nimis contentum humorem erucent. Vidit quoque evidenter Epidermidem ipsam pertusam ibi, ubi hæc folliculorum emissaria adsunt, ut ex specu cavo cum folliculo cavo in orificia eorum angusta, ex his per apertam super eâ Epidermidem iter sit quandoque patulum. Membrana constituens Vascula hæc undique pertunditur per extremas fistulas adferentes humorem blandè pinguem, dum recens omninò huc allabitur, est enim tunc tenuis, limpidus, inodorus, insipidus. Ubi verò receptus hic loci quâcunque inertia diutius hæret, exhalante ejus parte liquidissimâ inspissatur, tenax redditur, utque oleis ferè proprium ceræ tenacis indolem adipiscitur, stagnat, vix perspirat, augetur, tubercula creat, & morborum cutaneorum frequentissimam, licet prætervisam, causam præbet. Putat autem humorem hunc unctuosum, in sanitate incolumi, emolliendis, laxandis, à rigiditate & ariditate præservandis, in flexilitate requisitâ conservandis extremis inservire; defectu verò ejusdem diros excitare morbos. Hunc esse asserit oleosum liquorem, quem recentissimis inventis oculis spectabilem reddit Leeuwenhoekius, ut ipsi mihi per comitatem ejus insignem videre licuit. Hunc esse eundem, quo inuncta cernitur largissimè facies sanorum, simul ac blando ad saturitatem somno relecti splendentem quasi ex inunctione olei vultum exhibent.

Hanc ipsam pinguedinem Capillos inungere, juxta eosdem defluere, atque flexilitatem iisdem conciliare unctuosam, ne ariditate findantur, qui aliter unus est inter morbos capillorum. Deprehendi imprimis hæc organa iis corporis locis, ubi partes magis exponuntur aëri, sibi mutuò magis contiguous sunt, aut attritu quodam maximè agitantur. Unde ad palpebras, faciem, nasum, axillas, inguina, præputium, nates, pedum inferiora, imprimis apparent. Quando liquor hic spissatur, facit illas exiguas papillas albas, quæ glandes valde parvas refe-

runt, in facie frequentes, inprimis in naso: hæ pressæ fortiter eructant lentam materiem, albam, ceraceam. Si folliculi magis replentur fiunt tubercula parva, quæ partes contiguas leniter inflammando, rubedinem, prurimum, pustulas faciunt varii coloris, aspectus ingrati. Quando deinde turgent magis, crassamentum incipit per meatum folliculi usque ad superficiem Epidermidis per meatum illius exire, & quâ parte aërem experitur cærulescere, vel nigrescere, in apice; si tum fortiter præmitur intra binos oppositos digitos, tum ex ampullato receptaculi ventre lenta materies per angustatum collum pressa, in ipso hoc transitu formatur in cylindrum contortum, qui apice nigro, longo, albo, intorto, corpore, tam exquisitè vermiculum refert, ut Medici pariter & idiotæ decepti hâc imagine putent se vermes cutaneas oculis vidisse.

Verum quando magis increscens magisque, turget aggesta materies, tum Atheromati, Meliceridi originem dat veram & unicam, prout materies pulti, vel cocto melli magis assimilatur. Quin etiam, quando tubera talia maligna evadunt Lepram, & Cancrum cutis; nec non Elephantiam, excitari autumat. Atque huc usque animi sui sententiam super his mihi explicatam paucis dedit, poscentique evulgare hac occasione concessit: posset verò eam locupletissimis rerum documentis amplificare, atque hinc docere veriore methodum affectus cutaneos curandi. Neque ego ipse hisce magis investigandis deëro: interim tamen nemo corpora hæc potius Glandulas, quam receptacula humoris pinguis vocabit. Tu interim vides, mi Lector, haud ita insulsum me esse, ut esse negem, quidquid propriis non usurpo oculis.

Absit talis à me vanitas. Id assero verus, mihi nondum visas esse, ideoque devinctissimum me fore illi, qui luculenter easdem indicaverit. Neque est quod putet quis sudoris excretionem absolvi per subcutaneas Glandulas, licet plerique ita assentiantur præeunti Excellentissimo Anatomicorum Marcello Malpigio, nihil minus: nam ultimæ Arteriolarum extremitates, quæ tomentosæ Gossypii tenuitatem plurimum exsuperant, canales sunt ipsi, quibus sudoris transmittitur materies. Eadem autem fistulæ exhalant etiam specie invisibilis fumi emeritos humores ex corpore & superfluos. En verò ex-

expansum mihi campum hîc latissimum exspatiandi per varias Aliorum super his, quæ modò exposui, sententias. Sed abriperent me hæc à proposito meo, ut scilicet manifestos errores, quos in Anatomicis Ipse commiserim, vel alii, absque ullo odio, solo veri amore, exponam.

I V.

*De Glandulis aliarum partium  
membranosarum.*

**I**Nteriora Cerebri cava, Ventriculos vocant Magistri, Pleuræ ambitum internam, Pericardium, Peritonæi cavitatem, Tunicamque Testium vaginalem dictam, semper madere, lubricari, vaporoso humore allui, omnes norunt. Neque minus evidens habetur laticem hunc in cava illa pulsus libere fursum inde emanare retrogrediendo. An verò opus illud efficeretur Stenonianis, & Malpighianis Glandulis, quas egregii hi viri ponunt hos in usus membranas illas ubique obsidere? diu dubitavi. Verum, postquam arte singulari usus detexi nunquam satis admirandam Arteriolarum extremarum tenuitatem, facile perspexi ad scopum hunc nec opus esse Glandulis, imò verò neque easdem ibidem reperiri. Fatetur id sanè magnus Malpighius asserendo Glandulas hæc in statu sano conspectas haud fuisse, sed in morbis, ubi dilatatae sunt, & auctæ, demum conspicuas fieri. Fateor in hoc argumentandi genere speciem subesse persuasionis. Sed tamen putem corpuscula, quæ apparent in membranis dictis, non esse, nec fuisse, Glandulas. Contrà verò clarum mihi quidem videtur, extremitates Arteriarum obstructas abire in tumores præternaturales, mutata penitus nativâ formâ. Nonne Aneurisma, Varix, Phlyctæna, atque alii similes morbi, exempla clara exhibent? Qui itaque asserit Glandulas esse ibidem locorum, in sanitate demonstrat oportet: id enim Anatomici est, de non exploratis filere potius, quam luxuriosè excogitare.

## V.

*Rursum de Glandulis aliarum partium, & de  
Papillis tactus quam plurima.*

**Q**uo magis sedulò, & diu perscrutor corpuscula, quæ in corpore nostro ab Anatomicis Glandulæ appellari solent; eò magis certus fio, Glandulas haud esse, quæ vulgato sermone ubique pro talibus recenseri solent. Neque ullo modo video, corpuscula, quæ sita sunt in averfâ parte coronæ Glandis Penis virilis, Glandulas esse; licet subtilissimus Morgagni cum aliis pro Glandulis agnoverit in adversariis. Mihi interim, salvâ Viri Egregii auctoritate, apparent istæ eminentiæ habendæ esse pro Papillis Nervosis ultra superficiem in limbo coronæ Glandis assurgentibus, quæ, ubi orgasmo venero tenfæ, atque molli frictu pressæ sunt, summam in hoc opere delectationem excitant. Verùm quoties tabo virulento impuri scorti inquinantur, foedo sanè spectaculo intumescunt, atque deglubente acrimoniâ concepti veneni tenuem, quâ tegebantur, pelliculam, nudatæ atque erosæ atrocitatem intolerabilis doloris sævissimam experiuntur: quod summo est argumento Nervorum magis, quam Glandium, naturæ affines esse. Novi equidem Pilis hisce locis Papillas carere; sed neque id in pulposo digitorum apice fit, ut etiam non in volâ manus aut pedis plantâ, quibus tamen locis omnia Papillarum plena. Notavi jam dudum extrema Vasorum sanguiferorum singulis fere plagis corporis quam maximè differre in structurâ, quâ constant. Verùm etiam didici deinde id ipsum quoque in Nervorum obtinere extremis: alias quippe in superficie interiori Palpebrarum deprehendi, rursus in Papillis Mammarum mirè differentes eas, quæ in eminentiori harum parte adsunt; in Linguâ autem mirificè iterum diversas ab iis omnibus, dum & in Cute locatæ iterum longè recedant à specie, quâ præcedentes prodeunt. Observavi namque quibusdam locis corporis tantâ has copiâ haberi, tanquam propinquâ necti vicinitate, atque concinno adeò disponi ordine, ut inter illas spatii vix aliquid intersit, imò ut & extra superficiem

ficiem Cutis emineant, ut jamjam in toto observavi Pene, unde tantæ voluptatis capax, tantoque obnoxia dolori, pars hæc deprehenditur. Illæ autem, quæ profundius immersæ sunt Cuti, videntur inservire huic proposito, ut basin præbeant nascituris Pilis; atque hæc quidem ipsæ numero habentur longè pauciores, neque etiam in conspectum se produnt oculis nostris, nisi prius pilosæ alicujus partis Vascula cuncta materiâ meâ rubrâ omninò repleta sint, ita ut nullus ramulus illorum absque hacce cerâ sit. Id verò jam pridem modò reperi, atque præstiti in Crure humano, quod coram ostendi Viro in Medicis & Botanicis incomparabili Boerhavio. Etenim id mirabile, in hac præparatione omnia extrema Vascula exceperunt hanc materiem, atque rubescunt, solæ autem illæ Papillæ, ex quibus Pili nascuntur, intactæ remanserunt, atque singulari suo colore nativo albo quam distinctissimè se interstinguunt ab omnibus vicinis ruberrimisque partibus. Quid verò sentiendum sit de Papillis his in Pene, Linguâ, Palpebris, aliisque partibus, postea dicam, quum in hisce investigandis omne locem subcisivum tempus.

## VI.

*De Corde.*

**J**Ure sibi proprio Cor principatum inter cætera viscera sibi vindicare omnes fere autumant; id omninò certum habetur, multa in fabricâ ejusdem necdum satis extricata prostare; meretur itaque ex hac excellentiâ simulque obscuriore structurâ, & proprietatibus aliqua de ipso notari. Haud ita bene Anatomici situm illius, atque naturalem locum Nobis descripserunt. Licet enim in Thorace locatum illud universi asserant, quem tamen ibi obtineat situm, id verò haud ita verè depingunt. Godefridus Bidlo in magno opere Anatomico ita expressit, ac si penderet, apice coni Diaphragma, basi verò Jugulum spectante. Id animalibus, quæ natura prona finxit, commune, nunquam in corpore humano. Scilicet in eo Cor Diaphragmati ita incumbit, ut illa ejus pars, quâ id attingit, quasi incumbentis suo pondere compressa esset, quod nusquam in quadrupedibus pronis obtinet.

Con-

Contra verò in hisce conis speciem figura Cordis æmulatur, quod tamen Cordi humano haud ita verè adscribere fas sit: quum forma hujus multum inde recedat, utpote curtius, atque longè compressius. Princeps inter auctores Andreas Vesalius ita hæc excudenda ut in tabulis suis curavit, ut res ipsa in homine vivente se habet. Si autem te ceperit desiderium cognoscendæ structuræ Cordis, adeas, nec pigebit, quæ, lumen clarum artis, Steno expedit. Quum enim ante Eum substantiam visceris hujus existimarent Parenchymate quodam confici, industriâ accuratissimæ indaginis detexit veram Musculi naturam ibidem adesse; demonstravit autem id ipsum adeò evidentè, ut Hippocratis sententiam firmans Musculorum quidem artificiosissimum pronunciaverit: utique finem habet ubi initium, utrumque ad basin assertum deinde fuerat omnibus receptum, omnem omninò sanguinem, qui per Coronarias Arterias fuerat ipsi Cordi datus, nullà guttulâ exceptâ, per solam Coronariam Venam Venæ Cavæ reddi, imò & illum, qui lege circulationis ab utrâque Cordis Auriculâ redibat, unicâ etiam hacce reverti viâ. Verum ego postea clarè detexi, atque demonstravi publico, ramos quosdam Venosos ita in Auriculas patere, ut partem Venosi sanguinis exceptum ab Arteriis directo itinere instillarent Auriculæ dextræ, nunquam attactâ Venâ Cavâ, ejusve magno sinu. Sed neque novum minus fuit inventum Clarissimi Vieussens, posteaque Thebesius Eruditissimus, quum invenerant ex ipsâ Cordis substantiâ Venulas aliquas oriri, quæ sanguinem Cordis ab Arteriæ Coronariæ ramis suppeditatum patulis orificiis infunderent ipsi Cordis cavo, absque ullo in sinu Cavæ, Auriculæve cavo, diverticulo. Id ipsum sæpenumero etiam demonstravi. Ipseque Egregius Thebesius satis apertè fatetur, dum dicit: hoc Ruyschius videtur omninò olfecisse. Verum si quem cupido trahit spectandi Vasorum Cordis sanguiferorum decursum, mirabilemque texturam, me visat, exhibebo libens non modò Arterias, quæ per exteriorè Cordis superficiem se expandunt, quantoque illæ numero se exhibeant, sed & eas, quæ per interiorè ejusdem plagam distribuuntur. Aliquot elapsi sunt jam anni, quando impense lætabar, visâ mihi exili Arteriolâ, quæ interiorè occupabat Cordis superficiem: erat quippe novi quid, quo reperto delectamur omnes.

Jam



Jam verò, postquam magis hanc artem exercui, magisque demonstro cuilibet avido harum rerum spectabilem interiorum Cordis cavitatem, tot ornatam vasculis ceraceà repletis materià, ut tota ejusdem fabrica merè contexta appareat ex sanguiferis ubique fistulis.

Id verò longè adhuc pulchrius est, quod Lacerti carnei; horumque tendines ipsi præ multitudine valorum toti rube-  
fcant: imò verò, quod minus forte suspicari quis vellet, ipsæ illæ Valvulæ, quas dirigendo sanguinis per Cor itineri sagacissima natura dicavit, eadem hâc arte pulchrâ vasculorum distentorum hæc materià specie splendent, fulgentque.

Observes autem, Clarissime Lector, me ita injectu materiæ hujus ceraceæ replevisse Cordis vasa, ut, ubi illa pervenit ad extremitates omnium ultimas, tomento, aranearumque filamentis, tenuiores, vasculis egressa quasi effundatur, atque roris instar se expandat super molliusculas carneæ Cordis substantiæ fibras, easque rubicundissimo sanguinis colore tingat. Certusque crediderim id negotii eodem planè modo ita in vivo perfici homine, ut arte meâ in cadavere efficio: si enim sanguis suis ubique vasis coercitus, rectoque ex Arteriis in Venas itinere transfunderetur, absque ullâ sui effusione, non posset tum nutrimentum partibus corporis nostri adferre. Denique in hisce, quæ ita præparavi, Cordibus humanis, oculis liquidò objicere queo, Vasa sanguinis, quæ transeunt per ipsa vasa sanguinea alia, ita ut & hæc ipsa per priora nutririque queant: quin etiam diversas directiones, quibus distincta hæc vasa porriguntur, dum per interiorum, exteriorumque Cordis superficiem transeunt.

VII.

*De Vomitu insolito.*

**A**Nimalia quam plurima nasci, vivere, vegere, generare rursus prolem, inter alia quædam viventia animantia à seculis prioribus jam observatum fuit; dum interim sapientissimi Philosophorum vix audeant de modo oriundi certi quid proponere vel hodie. Neque est, ut quis putet solos Vermes,

Lumbricosve, intra homines gigni: vix credas quot species diversas casus quandoque obtulerit, vel sedula indagatio inveniit. Cupisne cognoscere, adeas, neq̄ poenitebit laboris, quæ Diaria Eruditorum Gallica, Acta Philosophæ Britannica, Lipfentia Commentaria, Academia Leopoldinæ Ephemerides, exhibent, legas Diligentiffimum observatorum collectorum Schenkium.

Vah quam mira reperies, quam incredibilia spectabis! digniffima interim est, & hæc historiæ naturalis pars, quæ excolatur, perficiaturque. Ut symbolam dem, revoco huc, rariffimum sanè animal, quod jam in Thesauro meo Anatomico ix. icone ad vivum ducta expressi. Ad quadrupedum pertinet genus ob numerum pedum, caudamque gerit, imò caput, & os, maximè autem Umbilicalis Funiculus ei cohærens raritatem rei augent præ cæteris; integrum sic condivi, ut in plurimos durare annos porrò queat, atque spectari ab iis, quos trahit voluptas talis contemperationis. Aliud interim planè jam demum oblatum mihi possideo, quod certè limacem satis scitè refert: nonne oculi bini, forma, & magnitudo, ejusdem id docent? ut judicare queas ipse, en, sic Tibi afferro, ut peritus pictor naturam ipsam ejus figurâ exhibuit. Illud verò ipsum puella quatuordecim nata annos, una cum copioso evomuit cruore hisce ipsis diebus. Vegetum quum adhuc esset dono mihi dedit puellæ Parens, simulque adseveravit, aliquo illud à tempore vomitus supervixisse spatio, veroque aliquandiu motu semet exercuisse.

Id autem facilè credes imprimis esse commemorandum, quod in corpore humano Vermes generentur tam diversâ formâ discrepantes inter se, ita tamen differentes ab omnibus aliis in naturâ rerum unquam repertis, ut nusquam iis similem illum conspiciere detur extra corpus hominis, interim horum nonnulli in plurimarum exporriguntur ulnarum longitudinem. Hos igitur natos fuisse in eodem corpore valdè proclive est cogitare. Neque nimis probabilis videri posset forte sententia Eorum, qui ex deglutitistalium animantium ovulis productos fuisse putant, de quibus sermo fuit, vermes.

Ille interim, quem rejectum à puellâ modò descripsi, prodiit demum ex illâ, postquam longo temporis spatio fuerat valetudinaria, semper de gravitate Ventriculi conquesta prius, nunquam sanitate fruens perfectâ. Et

Et equidem verum credulitate multorum absurdissima quæque pro veris obtrusa sæpenumerò haberi & ficta, sed tamen pariter certâ fide constat prodigiis quam simillima quotidie observari, inter quæ & animalculum illud recensendum existimo, quod colore & albo & nigro variegatum vitali motu se cognoscendum præbuit.

Magis adhuc admirationem excitat contemplatio illius animalis in homine geniti, quod in Thesaurò Anatom. IX. delineatum in meo Gazophylacio spectandum proflat: quia præditum est Funiculo simili ac est Umbilicalis, quin etiam latuerat in quodam corpore non admodum dissimili à naturâ Athetromatis, quod vice Placentæ fungi videbatur, inspectio veritatem rei docet, atque testimonia ibidem annexa confirmant.

Neque interim sentiendum erit, animal illud, de quo ut prius dixeram, à puellâ deglutitum intravisse in corpus, ut forte quis arbitraretur: erat enim vivens atque vegetum, neque reptatu instar limacis se movebat, sed conatu sursum, deorsumque, exercito: evomuerat etiam cruorem prius atque simul, præterea adversâ dudum cum valetudine fuerat conflictata. Neque videtur vivens in Ventriculo permanere potuisse, sed dudum mortuum, ut in plerisque advertimus animalculis, pisciculisve, qui, vivi ubi deglutiuntur, brevi moriuntur postea in hospitio vitæ sustinendæ inepto.

Cerno quidem, objici hic posse dogma hodie cunctis inconcussum habitum, de ortu omnium animalium ex ovo: verum hoc tempore id non attingo, nimis enim à meo me averteret proposito. Tu, quisquis hæc amas utilissimum tractatum perlege, quem de Vermibus conscriptum nobis dedit Expertissimus Dr. Nicolaus Andrii gallico sermone. Invenies ibi Pag. 19. Sententiam Viri esse, Vermes morbum esse corpori nostro congenitum, ipsaque, unde tandem prodeunt Vermes, Ova in nobis generari simul cum reliquis corporis nostri partibus, quæ tandem præfinito tempore fota excludant suos foetus ita, ut aliæ corporis partes humores producant quosdam ante non apparentes, aut & partes quædam solidas. Ego etenim opinioni huic meum facillè apponerem calculum, quia hæctenus nullam invenio, quæ ita sit ipsi veritati consentanea. Quod si probabilem magis quis norit, rogandus erit, eam ut communicare velit.

## VIII.

*De Monstris.*

**U**T prodigiosa est naturæ foetura in gignendis animalculis tam variis, ita quoque varia sæpenumero deprehenditur in mutandâ partium fabricâ, dum abire videtur à fine suo, quem ipsa sibi præscripsisse visa fuit.

I<sup>o</sup>. Inter illa primo quidem loco ordinandos puto tres diversos foetus humanos, qui nati sunt sine Cerebro, neque ullâ gaudent cavitate in Capite penitus ossæo. Horum ego binos in sceleta construxi (tertium autem in liquore meo balsamico conservo integrum) ita, ut Nobilissimus Kerkringius in suâ eum Osteogeniâ Pag. 59. icone exactè ad vivum depinxit.

II<sup>o</sup>. Deinde satis & mirabile est, hisce adflare sceleton, cujus dextra manus atque pes dexter, digitis numerosioribus more naturæ consueto donantur: sinistri verò lateris manus atque pes iisdem abundant quoque, etenim dextra manus septem digitos, pes dexter octo possidet; sex habet sinistra cum duabus appendiculis, novem integris superbit digitis pes lævus. Vid. Pag. 55. Osteogeniæ Kerkringii, qui & ejus picturam verè dedit, itaque

*Est modus in rebus, nec semper copia didat:  
Prodiga naturæ dona vel ipsa nocent.*

III<sup>o</sup>. Foetum etiam humanum cum binis natum capitibus inter mea reposita conservo. emi illum, sed dolui, quod qui primi eum possederant minus periti eorum, quæ ad conservanda hujusmodi rara requiruntur, male eundem condiverint, unde durus jam & omninò niger apparet.

IV<sup>o</sup>. In ove duos deprehensos Lienes, vario sitos loco, ostendo conditos.

V<sup>o</sup>. In eodem animali quondam Hepar inventum est, in quo quinque proflabant Vesiculæ fellis. Examinaui oblatum, atque repudiavi tum, quum enormis pretii exactiōe deterrerer.

VI<sup>o</sup>.

- VI<sup>o</sup>. Clarissimus Johannes Jacobus Rau, Professor in Academia Lugduno-Batavâ Celeberrimus in Osteologicis, Myologicâ, & Lithotomiâ versatissimus, quondam demonstravit nobis Arteriam ex arcuato flexu Aortæ oriundam; quem postea & ipse casum reperi, atque adhuc unicuique exhibere videndum possum.
- VII<sup>o</sup>. Frequentissimè maximâ cum diligentia perscrutanti mirabilem membri masculi fabricam, contigit semel mihi invenire duo diversa, satis fortia involucra, totum corpus Penis humani ambientia atque coërcentia. Illud ego ipsum descripsi in Thesauro Anatom. tanquam consuetum naturæ, sed quum de industriâ in plurimis perlustratis postea non ita invenerim, petit veritatis sincerus amor, ut jam moxnam plerumque unum modò tale integumentum, rarissimè duplex, adesse.
- VIII<sup>o</sup>. Binos foetus humanos à multis jam annis asservo in balsamo, qui per abdomen inter se concreverunt.
- IX<sup>o</sup>. Suillos etiam binos in Uterino hospicio concretos possideo.
- X<sup>o</sup>. Quin & alium, fere bimestrem habeo foetum humanum, cujus tam superiores, quam inferiores artus, mirè tortuosi conspiciuntur.
- XI<sup>o</sup>. In alio itidem bimestri foetu Labium superius fissum miraris.
- XII<sup>o</sup>. Sed horrebis fere, si videris alium in musæo meo foetum humanum, cui supra Nasum appendicula est adnata instar Colis masculi.
- XIII<sup>o</sup>. Ovis autem Caput exhibeo conditum, cui os deest, dum Oculi situm perversum obtinent.
- XIV<sup>o</sup>. Sed vitulum Capite privatum toto, dum una modò Auricula supra Truncum, loco Capitis prominere.
- XV<sup>o</sup>. Multâ sedulitate perscrutabar sæpe oves quam plurimas, quibus dederat natura Pedes ultra consuetum numerum, eminentes ex nucha. Nihil verò in omnibus his magis mihi visum mirabile, quam pedes hi omni semper essent Musculo destituti, illorum verò deficientium vice pinguedine erant obsiti quam plurimâ.
- XVI<sup>o</sup>. In alio mei Armarii angulo specto portionem Placentæ Uterinæ humanæ, instructam suo Umbilicali fune; sed, mirum!

rum! pendet ab eâ foetus humani crus, cum Pede extremo, tribusque digitis.

XVII<sup>o</sup>. Plurimos etiam ibidem adspicio foetus humanos, quorum Genitalia mirifice deformia, ut & quibus hoc vel illud abest membrum aut superest.

XVIII<sup>o</sup>. Interim tam varios perscrutatus toties nunquam inveni Hermaphroditum verum: tamen plurimos fabulosa quæque de eo referre ubique experior. Quoscumque de hoc genere explorare mihi contigit, deprehendi Pseudo-hermaphroditos appellandos, semper enim in his Clitoridis caput, extra pudenda propendens, mentiebatur Glandem virilis membri, id verò quoties & in brutis adverti? certè dudum ex Genitalibus ovinis exemplum exhibui tale in Thesauro Anatom.

## IX.

*De raro Renum vitio.*

**R**enes mirè variatâ figurâ conspiciuntur ab iis, qui attento lustrant oculo animalium diversorum corpora; rem cum fide descripserunt plurimi, quos inter in Zoötomia peritissimi eminent *Severinus* & *Duvernejus*, ille in Zoötomiâ suâ, hic in descriptione Anatomich brutorum. Boves, Ursi, Glîres, Erinacei, Testudines, Aves, Renes possident superficie inæquali constructos, ut Malpighius in Tractatu de Renibus dudum accuratione illi propriâ optimè docuit, idemque in posth mis evidentius probavit. Neque ignorarunt Veteres idem illud inveniri etiam in Renibus humanorum foetuum, quibus semper Renes ita fabrefactos observaverunt. Sed in adulto hominis corpore semper fere sunt politâ superficie, æquabili, & glabrâ. Attamen in his quoque interdum, licet ætatis jam adeptis apicem, talis inæqualis, atque ex variis quasi partibus coalescens, Renum facies videtur. Vid. Malpigh. in posthum. pag. 35. Epistol. ad Spon. I. memorabile autem est id, quod bis jam mihi fas fuit observare: scilicet Renes adultorum, ubi facti sunt ut in foetibus, non modò exhibere ludentis quasi naturæ errorem, imò verò morbos excitare quam atro-

atrocissimos, atque post cruciatus sævos tandem & lethales. Primum rei autem mihi inauditæ exemplum dedit matura Virgo, quæ in Amstelodamensi debebat Orphanotrophio. Misera hæc à longo jam tempore exquisitis adco, & intolerabilibus torquebatur doloribus circa regionem Renum, ut ineffabile sit. Accedebant ad accessiones crudelissimorum paroxysmorum mictus sanguinei sæpe redeuntes. Offercebatur quidem in levamen, quid ars invenire poterat consilii & remedii. Sed proderat nihil! Igitur omni deperita ope, penitusque confecta excruciationibus in solâ morte lenimen reperit, avidoque causæ mihi cadaver inspiciendum exhibuit. Quid verò hic exspectares mi Lector? credo id ipsum, quod nos omnes lapidem scilicet in Renibus asperum atque hispidum. Nos verò inciso cadavere hujus nihil, ne arenulas quidem, invenimus: sed erat huic utriusque Renis superficies inæqualis omninò, & repræsentabat faciem ex multis particulis durioribus coagmentatum. Postea, quum semper mecum mirari casum hunc pergeret animus, alium novi Virum adultum, læstabatur miserimus hic cum dolore lumbari intolerabili, sæpenumerò redeunte: semperque acutius infestante, unâ cum copiosissimi sanguinis mictu. Medici ad arduum casum implorabantur plurimi, omnes hi tractare morbum ut à calculo Renes obsidente aspero, omnes sic censuere, hos inter & ego ipse fui cum filio meo. Neque juverunt interim agrum omnia, quæ Medicorum ex præscripto promptus hausit, remedia. Sed pari fato victus moritur. Inspeimus simul cadaver, atque invenimus exquisitè eandem Renum structuram, ut in illâ puellâ, sine calculo ullo vel sabulo. Genuino hoc miserandi morbi exemplo didici calamitosam humani generis conditionem, causasque malorum imperscrutabiles sæpe & omninò insanabiles, licet cognoscerentur. Quæ verò in hac re sit causa symptomatum Phytica, Tu inquire, Medice! forte reperies, licet lateat, neque Te forsitan medendi fugiet methodus, si modò miri accidentis ratio Te non fefellerit. Felix, si inveneris! Laudandus, si inquisiveris!

## X.

*De pulchrâ curatione morbi Oesophagici semper pro incurabili habiti.*

**I**Nter omnes corporis partes, quæ infestantur morbis difficillimæ curationis, haud infimum locum occupant, imò familiam ducunt illæ, per quas necessaria corpori ingeruntur, aut superflua foras eliminantur. Inter illas ad incudem revocabo Oesophagi affectum, quo deglutitio depravatur, & tandem non rarò aboletur, ita ut in tali statu moriendum sit ægro. Deglutitio frequentissimè quidem impeditur propter Tonsillas inflammatas, & tumefactas; enim verò de hoc affectu hic non loquor, qui curatu facilis, neque etiam de Angina, multò minus, de rebus deglutitis, puta aciculis &c. quibus adde Atoniam vel Paralyin fibrarum musculosarum Oesophagi, sed verò de Oesophagi angustatione profundius sita, forsan à tumore quodam, vel contractione orta, cujus discretio facilis est à cæteris supradictis, nam spongiâ balanæ affixâ, oleoque saturatâ, introductionem in Stomachum profus impedit: si autem affectus consistat in Paralyi fibrarum musculosarum Oesophagi, spongia facile admittetur, à tumore in vel à latere Gulæ suborto, illud digitis extrinsecus sentiri, & explorari potest. Præterea in Angina affectus cito oritur, & brevi cursum absolvit, respirandi difficultas summa, febris, lingua sicca in propatulo sunt, & si paucis post horis non curantur, & morbus remediis sit superior, homines subito è medio tolluntur.

Ut de hâc parte corporis pauca hæc inter mea animadvertaria inferere voluerim, occasionem mihi dedit Vir Amplissimus, & in arte Medicâ, & Chirurgicâ Expertissimus D. Johannes Mennes, Physicus & Consul Civitatis Hultii, qui me in consilium vocavit super hâc re, & quid faciendum in hoc affectu, an ptialismus instituendus esset, nec ne? cum autem calculum apposuissem, nec alienus essem ab hoc auxilio tentando, convenit quoque Industriissimum, & in Arte Medicâ Versatissimum Professore Boerhaviu, & alios, quibus in consilium vocatis, instituit curam, felicissimo cum successu;

ita-



itaque ab illo petii, ut mihi communicare vellet, quid singulis diebus exhibuerat, quidque de die in diem observaverat, id quod fecit, & hoc L. B. in commune bonum communicare volui, vide sis relationem integram, & sinceram, ita se habet ut Ipse ad me conscriptam dedit, ne verbulo mutato.

*Clarissime Vir, Decus Batavorum in Anatomicis  
Excellentissimum.*

**F**Avente summo Numinis Flamine, multa ex alto Democraticis puteo eruta sunt abscondita, tum rariora, tum inaudita, in quibus eruendis indefessus sexagenarius tuus labor, benedicta manu, palmam omnibus, Clarissime Vir, me iudice, in palaestra hujus studii militantibus praeripuit laureatam; Quo per omnes Germaniae, Italiaeque oras, laurea indefessi & exantlati laboris ac perennis encomii suspensa est, quo omnes à Gallia advenae, quo ex Anglia novitatis cupidi, quasi ad aram vestrae scientiae, à die in diem catervatim, summam cum admiratione sollicitantur. Quo novitatis ac desiderii pruritu, diu anxie correpto, occasio ad scopum monstravit viam, cum literis repetitis vocarer, desiderio flagranti, à Domino quodam Groningae Thesaurario, ut manus medelasque adhiberem statui ejus morbifico deplorato. Casus positivus morbi cum videretur mihi rarissimus, cum appulerim Amstelodamum, Consilium institui medicum, Celebriorumque Chirurgorum, aperui Tibi quoque Clarissimo casum, detexi susceptam methodi Curam, interrogando, an aliam nosceres eripiendi ac salvandi viam, in salutem proximi, in ipsam artis communis laudem mihi benigne ac candidè patefaceres, agnovisti notatam manu casum rarissimum, chyrographam obsignasti conamen instituti mei respectu partis affectae, respectu causae procatharticae, ac curae ipsius absolvendae. Quam medendi methodo noster praepositus aeger non tantum à morbo, sed etiam à symptomatibus est liberatus, summo Triunio adiutorio; Qualem medendi successum in itinere redux Vestro patefeci desiderio, ulterius debitor promissi sum factus dati, ut totam vobis quasi stylo delinearem institutam ac peractam Curam,

D

dia-

diariumque explicarem notatum, fortunatosque exhibitæ medicinæ successus, tum ut enodarem symptomata, tempore Curæ incidentia. Fateor me ad hunc usque diem fuisse debitorem promissi dati; verùm fonticæ rationes locum cum faciant excusationis, impeditus tum fui curâ multorum sub manu decumbentium, tum officio Consulatus hujus urbis, usque ad hunc diem, ubi remissio obruti laboris me suadet persolvere debitum. Casus igitur vestræ observantiæ propositus fuit sequens.

*Casus.*

Vir triginta annorum natus, genere & prosapiâ clarus ante tres corripiebatur annos, tum obstructione Glandularum, quæ Tonsillæ dictæ, tum relaxatione Uvulæ, tum inflammatione faucium, tum hæmorrhoidum cæcarum doloribus, tum earum fluxu notabili, quæ symptomata quidem diligentia Medicorum, medelisque appropriatis depellebantur; Verum continua renovantium caterva symptomatum, uti Tussis ferina, Hæmorrhoides, Catharri suffocativi natales non tantum producebant prodigiosiores, verùm secum ducentes summam æsophagi coarctationem circa quintam & sextam Colli vertebra, à die in diem accrescendo deglutitionem impredientem, usque eò, ut nisi summâ cum molestiâ, summo deglutitionis conamine, solum modo fluida, attamen anxie, assumere potuerit nutrimenta, continuò in pejus vergentem; Ob metum diurnum suffocationis, esurino ac jejuno ventriculo, promptas ac auxiliatrices lachrymabundus petit manus medicas.

*Pars Affecta.*

Partem affectam existimabam & ponebam latitare in tunica glandulosâ æsophagi aliisque faucium gutturisque glandulis, præprimis circa quintam aut sextam colli vertebra, ubi tres illæ notabiles glandulæ, mecum à Domino Verheyen observatæ, ac destinatæ ad humectandam in deglutitione gulam; ad hæc quoque symptomaticè tunica musculosa fore affectata.

*Diagnosıs.*

Diagnosin enodare non necessariò judicabam, cum signa partem affectam denotantia in propatulo essent.

*Pro-*

*Prognosis.*

Ex praxi notum, hic casus non tantum in curatione gravissimus, sed omnino desperatus ac conclamatus, propter viam ad sumendum debitum nutrimentum, medicaminave occlusam; ad hæc, ubi omnis Chirurgiæ operatio hic nimis curta, vana ac planè manca.

*Causa.*

Causam procatharticam, examinatis examinandis, ponebam in dispositione scorbuticâ, (sapienti sat est,) in' sero acri, quile ferum scimus à sanguine sequestrari per glandulas totius corporis machinæ, ut quoque hisce supra nominatis ac in gulâ sive æsophago, fungositate ad molem & coarctationem excretis.

*Cura.*

Curam ore pleno statuebam, examinatis examinandis periculosam planeque ancipitem; verùm quoniam melius est adhibere dubiosam quam patientem deplorandum inevitabiliter & miserrimè committere sepulchro ac dimittere cymbæ Charontis frangiferæ, & ultimum remedium cùm sit tutissimum; Tùm ponebam à praxi doctus multiplici, unam eripiendi ac salvandi methodum, consistentem in debito & accurato ptyalismo in principio, & postea levi lentâ salivatione; Hæc peractâ sudoriferis ex mineralibus propinatis, balneisque associatis; Et post hæc internè instrumentis debitis ad partem affectam applicatis; ad quæ conducunt deobturantia, consumentia & consolidantia.

*Approbatio.*

Nos infra scripti artis scientiæque periti, ad casum propositum in Consilium vocati, examinatis lance casum supra propositum trutinavimus, methodum à peritissimo Viro Johanne Mennes, Doctore Celeberrimo, curandi unicam propositam hisce agnoscimus, institutum tanquam unicum ac salutare pronuntiamus remedium.

Hæc inter nonnullos Vestra, Excellentissime Vir, fuit ap-

probatio. Itinere absoluto suscepto, visitavi Groningæ nostrum ægrum, qui desiderio adventus mei emaciatus, extensis brachiis lachrymabundus excipiebat me sospitorem, die Aprilis secundo, illicò tentavi æsophagum spinâ balenæ, cujus extremitas exornata fuit spongiâ, oleo oblimitâ, quo tentamine perſentiebam circa quintam aut sextam colli vertebram, obstaculum tale impermeabile, ut descendere nequirem ad ulteriorem descensum, quo scrutinio talem circularem percepi coarctationem, ut ne quidem apice spongiæ permeare possem. Post duas horas propinavi jusculum limpidius, quod sumere, etiam sic cochleatim, non poterat, nisi summo deglutitionis conamine, imò ut sex vel septem deglutitionis probamina ac tentamina facere necesse esset, summâ cum tumefactione ac rubore faciei. Circa guttura, faucesque omnes inveni partes solidas, naturales, nisi ut Tonsor quidam relaxatam decurtaverat forfice Uvulam, quam inveni nunc nodosam, Tonsillæ erant inflammatae, neque notabiliter tumefactæ, sed induratae; inveni ægrum melancholicum, emaciatum, colore pallidiore ac planè lurido, quo non tantum turbabatur facies, sed rugæ faciei incrementum turpitudinis ac deformositatis majus dabant. Examinavi sedulò vitæ ante actæ genus ac diætæ an unquam inciderit in Veneris lascivæ scyllam, aut Bacchi Charibdim, sanctè mihi confessionem dabat, nunquam aliqua Veneris notâ aut stigmate correptum fuisse, imò nunquam in palæstrâ Veneris fuisse, nisi cum sanâ ante annum nupta. Hisce pro Medici necessitate examinatis, gressum ulterioris examinis extendi, quæ & quanta adhibita fuerint pro diversa Medicorum intentione medicamina, percepi nostrum ægrum omnibus Medicorum & Chirurgorum conatibus instar macclandæ Ovis placidè se submisisse; inter qualia curandi ac applicati conamina, aliquod junioris Medici inauditum, quod narratum spero Vobis non fore ingratum. Noster æger instar desperabundi relictus, tum à Medicis, tum à Chirurgis, omnia ab agyrtis & anilibus consiliis venalia proposita, ac verborum popinâ prolata, applicabat, sine ullo reconvalescentiæ successu, contigit ut Novelletus in medicina Tyro, jam jam Doctorandus, ac Academicis studiis tumidus, rumorem civitatis spargeret, sese infallibiliter nostrum ægrum curaturum, si modo patiens huic fidem daret. Qua promissionis

tionis securitate datà accessit ægro nostro, fecit ac applicavit turundam grandiore latitudine aperturæ œsophagi, longitudine spithami, quam oblitam intrudebat unguento quodam, quæ turunda fræno alligata erat auribus, ne descenderet in ventriculum, in qua tristi positurà noster æger, noster patients instar omnium patientissimus, per quatuordecim dies ac noctes gemebundus instar summi captivi detentus, sine ullà de hac pœna, requie aut remissione, nisi ut sumeret summà cum anxietate jusculum limpidum; per nares respirationi tantum via erat patula, interim vana hujus Academici Candidati erant instituta risu ac cachinno persolvenda. Ad hæc legi omnes ab ægro nostro sollicitas Doctorum expertorumque consultationes, inveni, perlegi ac percepi, unam à Domino Boerhaven Lugduni Professore transmissam, ad scopum curationis nostrum tendentem ac collimantem; hac Consultatione, cum vestra conjunctà stipatà, divino destinatam ac propositam adjutorio incepti curam, nempe primò correctis corrigendis, per ptyalismum hoc peracto, per plenam salivationem: Quà absolutà, gulæ coarctatio non tantum deleta, sed totum œsophagi obstaculum depulsum est, ut ante nominato ac dicto instrumeto non tantum liberrimè, sed sine minimo incommodo aut obstaculo ad ipsum descendere poterim Ventriculi Orificium. Quamvis omnia secundum veras medicinæ regulas instituta, quamvis ex voto & probamine omnia successerint, ut nullum in deglutitione amplius obstaculum, attamen noster æger consuetudine mali ac susceptis præjudiciis ita obsessus, ut nollet credere absolutam esse curam, obstaculum, ac remoram esse planè remotam, quare à die in diem spinà Balenæ, spongià exornatà, usque ad orificium ventriculi plenarium tentamen interim confessorium dedi, tam ad tollenda mali relicti præjudicia, quam ut conceptas ac meticulosas deponeret cogitationes, undè quidem certior factus, verùm solida in principio non ausus sumere nutrimenta præ metu suffocationis imaginariæ. Quare præscripsi illius loci commune aliquod pulmentum, quod præparatur è farinà secalinà & aquà fontana diu concoquendo, vulgò *roggen doljes*, illic dicitur optimi nutrimenti, facilisque concoctionis, de quo pulmento, bis, tum ter de die, cum lacte fumebat non tantum scutellam unius pintæ plenam, verùm, ut dicitur, *een goede Spoel-comme volen*

*een Spoel-comme melk.* Quibus deglutitis, gavisus ille non tantum, sed ego summopere, usque dum, ut fumeret solida cujuscunque generis nutrimenta infarcienda, donec malo depulso, præjudiciis deletis se curatum esse affirmabat. Quam peractam curam; vestro non tantum dignam ingenio, judicavi transmittendam; verum ut solverem promissi mei pensum, in tesseram nostræ amicitiae noviter contractæ, adjungo accuratum tractatæ curæ Diarium, conditione petitoriâ, si qua vobis talia in Curâ medicâ sint rariora occurrentia, æquali manu benignâ mihi velitis concedere, tum ad stabilimentum nostræ communis scientiæ, quam in salutem pretiosam proximorum. In quam fidem & amicitiae spem permanens, qui sum indefessus, Clarissime Vir,

Vestræ Observantiæ

Addictissimus

*Hulsti die 19. Octob.*  
1716.

JOHANNES MENNES  
Physicus & Consul Urbis.

*Diarium*

*Diarium Curæ habitæ.*

**A**Nte meum adventum, transmissi præscriptionem alicujus decocti, quo usu, humorum correctio, pro intentione absoluta est, præparatis præparandis, quoad patientem, quoad locum: Incepi curam adjuvatrice Dei dextra, summoque Numinis flamine.

1716.

April.

6. Exhibui Mercuriale purgans, quo sex levissimas pro mea intentione habuit sedes, levamine desiderato.  
Circa vesperam propinavi sudoriferum ex mineralibus, id est, Antimoniatis & mercurialibus propinatum, effectu desiderato, ut per totam maduerit noctem sudore debito.
7. Exhibui alicujus præparati gr. V. E. connubio mercurii & antimonii, effectu, ut multum viscidæ per vomitum ejecerit materiæ, & duas habuerit sedes, sine aliquo turbido conamine aut dolore.  
Circa Vesperam repetitam prædicti compositi exhibui Dosis, quâ tres habuit sedes.
8. Exhibui gr. V. quibus secutæ sunt quatuor sedes dolore ac ardore aliquo intestini recti, æque in collo vesicæ.  
Circa Vesperam repetitâ exhibitâ dosi, subsecutus est tenesmus, verum ejectione viscidæ materiæ perquam acerrimæ.
9. Manè non tantum rei speculator fui, quoniam sentiebam oris foetorem fragrantissimum. Verum  
Circa Vesperam exhibui gr. V. sine ullâ materiæ ejectione, aut per sedes, aut per vomitum, sed patiens totam urinæ plenam reddidit matulam particulis acrioribus salinosis scintillantibus, foetore fragrantissimo ac hircino, colore rubicundo, quibus ejectis circa noctem subsecutus est ptyalismus.
10. Dedi gr. V. subsecutus est vomitus ejectione multum viscidæ materiæ, sine sede, sed odore fragrantissimo, cum magnâ Urinæ quantitate ut antea.

11. *Exhi-*

11. Exhibui gr. X. quoniam salivatio in æquilibrio quasi stare, cum summâ circa partem affectam coarctatione, suffocationis metu, propter viscidam materiam ad motum difficiliorem illic stagnantem, quoniam limpida tantum eliminabatur materia.
12. Omni metu depulso, salivatio incipiebat, omisi igitur internè medicamina: Externè applicabam quæ erant conducibilia, ad attenuanda viscida incidenda, dissolvenda, ac aperienda. Interim patiens in loco detinebatur admodum calido, ut semper sudores sentiret debitos. Quo die inconceptibilem viscidam ac tenacissimam per salivationem ejecit materiam, odore fragrantissimam, apud artis filios pituitam albam dictam, interim sine ullo incidente symptomate aut sede.
13. Tantum speculator fui, quoniam omnia ex voto succedebant.
14. Remanente viscida materiâ, coactus fui exhibere gr. V. pro incitamento, sine vomitu, sine sede, sine urinâ, sed cum sudore & viscidæ materiæ debitâ salivatione.
15. Repetitam exhibui dosin gr. VI, cum successu debitæ salivationis, sine sede, sine vomitu, sed cum sudore ac urinâ turbulentâ.
16. Speculator fui, sine vomitu, sine sede, sed cum sudore & urinâ turbidâ.
17. Speculator fui, nulla fuit sedes, nullus vomitus, aut urina, sed sudor fuit debitus, salivatio ex voto.
18. Speculator fui, salivatio ex voto, sudor debitus, urina nulla, sine sede & vomitu.
19. Speculator fui, quoniam omnia ex voto uti antea, odor autem qui fragrantissimus nunc mutabatur, factus depuratus ac limpidior totâ materiâ eliminatâ.
20. Speculator fui, sine vomitu, sine sede, sine ullo symptomate; salivatio non tantum ex voto; verùm urina, quæ aut antea turbida, nunc clarior, ac odore violaceo induta reddebatur, boni ominis.
21. Ad majorem intentionis securitatem instar Canis Venatici exhibui gr. IV. ad ruspandum an aliquid in his aut illis latibulis latitaret] mali. Effectu mirabundo; nam subsecuta est urina clara, debito ac naturali odore ac colore



colore per salivationem emissa tantum limpidiſſima materia ſine foetore ullo aut odore, nunc, ubi per totum ſalivationis curriculum nullum habuerit ſomnum, placidè dormivit, quaſi ſomno ſepultus per totam noctem: manè expergefactus hilari refocillatoque animo, eſurino ſtomacho ſalutavit accedentes.

22. Speculator fui omnium ad melius.
23. Iterum pro Indagatore dedi gr. III; undè certior factus omne malum planè eſſe eliminatum, ſaliva limpida, urina debita, ſine ullo odore manifeſto, quare
24. Exhibui præſcriptum Emollientis Enematis, quoniam per totum ſalivationis curriculum, nihil excrementi per alvum depoſuerat, interim ſine ſucceſſu proſpero. Quare
25. Infuſionem dedi laxantem, quâ laxam accepit alvum ſatiſfactoriam, ſine ullo dolore aut gravamine.
26. Ad majorem ſecuritatē iterum dedi gr. IV, ſine ullo alio effectū, niſi ut excitaret ſudorem debitum, quo gavifus malam eliminatam eſſe materiam.
27. Per totam benè dormivit noctem, juſcula jejuno cepit ventriculo; igitur pro illiniendo collo præſcripſi ſequens Linimentum. ℞. Ung. pomati ꝑiſſ. ol. ſuccini albi ꝑij. Lavendulæ ꝑiſſ. Nuc. Moſch. exp. ꝑj. ol. ſpicæ Nard. Indic. ꝑj. F. Linimentum. Externè ad focum collum obliniendum.
28. Exhibui purgans debito ſucceſſu.
29. Exhibui Laxativum cum ſucceſſu ad reſtituendum pedetentim motum periftalticum.
30. Præſcripſi pulmentum antea nominatum.

Mayo.

1. Quoniam alvus conſtricta, iterum præſcripſi purgans ut antea, nullo cum ſucceſſu, quare enema cum ſucceſſu inſtitutum eſt.
2. Inſtitui Curam Lacteam per octiduum.  
Tum porrò per decocta, ac balnea ſicca appuli ad ſcopum curæ præpoſitum.
12. Spongiâ, ſpinâ Balenæ exornatâ tentamen circa æſophagi obſtaculum inſtitui, deſcenſum ſine ullâ remorâ feci ad ipſum ventriculi orificium, quotidie oleo quodam

illinità repetitionem peregi ; Undè certior factus curam Dei gratià absolutam esse, quare sanus ad hoc usque tempus noster antea deplorabundus à me relictus est patiens ; de Quo, literis heri acceptis, certior factus sum.





Fig. I.




Fig. II.



# EXPLICATIO FIGURARUM.

## TABULA I.

Fig. I.

- A. *Ren Humanus.*
- B. *Pelvis.*
- C. *Vena Renalis.*
- D. D. *Superficies Renis inæqualis.*
- E. *Ramus Arteriæ Renalis,*

Fig. II.

- A. *Uterus mulieris gravidæ.*
- B. *Os Uteri.*
- C. *Apertura cultro facta.*
- D. D. *Ligamenta teretia, rotunda vulgò dicta.*
- E. *Ova non fœcundata.*
- F. F. *Ovarium cultro apertum, ut Ovum fœcundatum in conspectum veniret: hujus facies exterior albicans, Calyx nuncupatur Graafio, interior verò, seu contentum coloris est cinerei, id quod sculptor studio nigrum fecit, ut à calyce diversum esset colore.*
- G. G. *Ductus Ovarii fimbriæ.*
- H. H. *Ductus Ovarii, seu Tubæ Fallopiæ.*

## TABULA II.

### Fig. I.

- A. *A. Dextri Ventriculi Cordis in planum expansi facies interior, ex juvene.*
- B. *Vascula sanguinea tenuissima repleta ceraceâ materiâ rubrâ, quæ tanto sunt numero, uti dicta facies videatur ex meris Vasculis sanguineis constituta.*

### Fig. II.

- A. *Sinistri Ventriculi Cordis in planum expansi facies interior.*
- B. *B. Vascula sanguinea, quæ non solum per carneam substantiam, verum etiam Chordas, Valvulas, & Lacertarum tendines numerosissime sunt disseminata, ita ut Cor rubicundissimo colore undique superbiat.*

### Fig. III. Uterus humanus femine virili saturatus. vid. Hystor. Fol. 2.

- A. *Portio Vaginæ.*
- B. *Ejus cavitas.*
- C. *Uteri fundus.*
- D. *D. Ovi ductus femine virili quoque repletus, idque in utroque latere.*
- E. *Apertio uteri cultro facta, uti ejus cavitas, ut & semen jam à liquore induratum, in conspectum veniant.*
- F. *Fimbriæ Ductus Ovarii.*

### Fig. IV.

- A. *Animalculum vomitu rejectum. Limaci æmulum. vid. Fol. 18.*
- B. *Tuberculum in latere situm.*
- C. *Capitulum analogum.*

Fig. I.



Fig. II.





Fig. III.



Fig. IV.



W. C. de laar ad vitam fecit





MICHAELIS ERNESTI  
ET TMULLERI,

*Phil. & Med. Doct. in Academia Lipsiensi Anat.  
& Chir. P. P. Extraord. Facult. Med. Adfessoris,  
& Natura Curiosorum Collega*

EPISTOLA  
PROBLEMATICA,

*Ad Virum Clarissimum*

FREDERICUM RUYSCHIUM

*M. D. Anatomiae & Botanices Professore,*

D E

O V A R I O N O V O.



A M S T E L Æ D A M I,

Apud J A N S S O N I O - W A E S B E R G I O S, 1729.

THE  
UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE  
LIBRARY

BRITISH  
MUSEUM

THE  
MUSEUM OF  
NATURAL HISTORY

1850



THE  
MUSEUM OF  
NATURAL HISTORY

# Clarissime & Experientissime

## V I R.

**T**uas denuo pulso fores, cujus cognita satis atque perspecta est in admittendis non minus quàm benevolè excipiendis quibusvis discere cupientibus promptitudo. De Cortice Cerebri Tecum ante hos 14 annos agere, benignè permisisti; jam a Cœlo ad Terram Microcosmi, a summa ad imam corporis partem me confero. Uterus scilicet in scenam jam producendus est, ad quem serenum, ut soles, *Vir Clarissime*, vultum convertere ne dedigneris, obnixè rogo.

In generationis negotio, utut summo adhuc mysterio, à Recentioribus tantum non omnibus creditum hæctenus fuisse, nosti, sub foecundo coitu sive ipsum semen virile, sive auram solummodo ejus genitalem per vaginam in uterum immisam ex hoc vel mediante sanguinis circulo, vel immediatè per tubas Fallopianas ad ovarium seu testiculos muliebres penetrare, ibidemque unum alterumque ovulum actuare seu imprægnare. Ante 7 annos vero Dissertationem conscripsit hic loci Dominus D. MARTINUS NABOTH, Vir in secandi arte peritissimus; in qua commune hoc assertum non solum labefactare, quin & novum illudque verum se invenisse ovarium dicit. Ut igitur distinctè rem proponam, quomodo Medici suum hæctenus invenerint ovarium, primum narrabo; hinc quomodo Dominus Dr. NABOTH hoc ipsum destruere, novumque ei substituere conatus sit, exponam; tum pro quo Veteres æque ac Recentiores ovulum hoc Nabothianum habuerint, edisseram; ac denique quo applausu hæctenus novum hoc ovarium fuerit exceptum, palam faciam.

Communis Veterum erat distinctio inter animalia Ovipara & Vivipara: quibus ultimis quoniam genus humanum accensebatur, non solliciti erant Medici de ovis humanis investigandis. Ex quo vero HARVEUS ductu FABRICII *ab AQUAPENDENTE*, hanc distinctionem ad exclusionem tantum, non vero ad primam formationem foetuum esse restringendam, docuerat, omnia omnino

animalia ex ovo nasci adstruxerat, atque analogiam inter pennatorum aliorumque animalium ova ostenderat, nullus non humana ova investigandi omnes animi nervos intendebat. Primus tamen omnium JOHANNES van HORNE in *Epistola de Genitalibus* Anno 1668. quod est ovarium in oviparis, testes esse muliebres, disertè enuntiabat, utpote qui perfecta ova intra se contineant, humore scatentia, & pellicula propria circumcincta. Quem sequebatur NICOLAUS STENO in *Elementorum Myologiae Specimine*, & JOHANNES SWAMMERDAMMIUS in *Miraculo Naturæ*, atque REGNERUS de GRAAF de *Mulierum organis generationi inservientibus*, aliique successu temporis plures. Quanquam primam hujus inventionis gloriam CAROLUS DRELINCURTIUS in *Lucubrationibus Historicis & Physicis de Fœminarum ovis* sibi tribuere maluerit. In qua sententia eo magis confirmabantur, cum THEODORUS KERCKRINGIUS Anno 1671. in *Anthropogeniæ Ichnographia* foetus humani rudimenta in illis ovulis inveniri demonstraret, & foetus trium aut quatuor dierum, quindecim dierum, trium septimanarum, unius mensis, & sex hebdomadam ex illis ante oculos posuisset. Ex quo denique Dominus de S. MAURICE in *Epistola ad Dominum de la Closure* Anno 1682. Parisiis perfectum foetum in dextro ovario post matris mortem se vidisse testabatur, testiculos muliebres genuina continere ovula, a nullo Medicorum negatum iri, omnes confidebant.

Negavit tamen id ipsum Dominus D. NABOTH, cujus mentem ut plenius assequaris, *Vir Clarissime*, haud ægrè ferēs, spero, quod ipsissima ejus verba ex supra laudatæ Disputationis §. XI. XII. & XIV. allegem. Sunt autem ista hujus valoris: § XI.

„ Quoniam varia obitant, cur in testium vesiculis, veluti ovulis  
 „ veris, conceptionem haud fieri mihi persuadeam, è diverso a  
 „ liud ovarium genuinius in utero ipso vidisse visus mihi fuerim,  
 „ veniam merebor, si morbos tubarum & testiculorum, non ve-  
 „ rò ovarii novi, sterilitatis inter causas neglexero. Conceptio-  
 „ nem namque fieri posse absque ullius in testiculis foemineis vesti-  
 „ culæ subsidio, docent eæ mulieres, quæ conceperunt atque pe-  
 „ pererunt, vesiculis tamen omnibus in testibus caruerunt. Pre-  
 „ voco primum ad puerperam à Domino D. JOHANNÈ CHRIS-  
 „ TIANO SCHAMBERGIO, Professore in hac Academia su-  
 „ perioribus annis celeberrimo Anno 1703. Mense Decembri dis-  
 „ , sectam

„ sectam, cum mox a partu difficili vitam cum morte commuta-  
 „ set, In hac, abdomine inciso, ingens statim in oculos incurre-  
 „ bat testium moles, ordinarium quadruplo exsuperans, atque  
 „ intra se non vesiculas & glandulas, sed multam pinguedinem  
 „ cum pilis intermixtis comprehendens: pilorum alii erant longio-  
 „ res, longitudinem digiti adæquantes, alii breviores, in extre-  
 „ mitate una radicem, in altera cuspidem instar perfectorum pi-  
 „ lorum obtinentes, nulli tamen tunicæ, sed soli pinguedini in-  
 „ hærentes. Provoco dein ad fœminas, quæ liberorum extite-  
 „ runt matres, etiamsi testes habuerint scirrhosos & omnibus ve-  
 „ siculis vacuos. Sic Anno 1701. multis Medicinæ studiosis præ-  
 „ sentibus, fœminam 34. annorum dissecai, cujus uterque testis,  
 „ magnitudine fere pugni, totus cernebatur scirrhusus, nequicquam  
 „ vesicularum vel glandularum exhibens, sed instar cartilaginis  
 „ fere se habens. Sic in fœmina honesta, 36. ætatis annum a-  
 „ gente d. 29. Jul. Anno 1704. incisa, uterque pariter testis pomi  
 „ majoris magnitudine superficiem satis inæqualem, & ex viginti  
 „ quali nucibus avellanis coagmentatum ostendebat, nec alia cor-  
 „ puscula substantiæ perquam duræ ac fermè cartilagineæ internam  
 „ eorum molem constituebant.

§. XII. „ Tubas vero Fallopianas nec semini virili ad testes, nec  
 „ ovulo etiam ab hisce ad uterum transferendo inservire, facile  
 „ comprobabunt fœminæ omnes, quarum post partum & obitum,  
 „ tum ab aliis, tum à me apertarum, tubas cum testibus strictis-  
 „ sime coaluisse, aliquoties observavi. Comprobabunt idem non  
 „ minus canes fœmellæ, quæ feliciter fœtus conceperunt, con-  
 „ ceptosque ediderunt, postquam tubæ Fallopianæ juxta ornamen-  
 „ ta foliacea utrinque ante congressum ita constrictæ essent, ut  
 „ sic latera ipsarum successive potuerint coalescere. De novo au-  
 „ tem ovario cogitando ansam præbuit Anatomia publica, quam  
 „ ex speciali mandato Electorali Experientissimus JOHANNES  
 „ FRIDERICUS ORTLOB, Anat. & Chir. Prof. Extraord.  
 „ (nunc beatus) Anno 1694. Mense Januario administrabat. Etenim  
 „ cum viscerum præparatio mihi concrederetur, inter reliquas par-  
 „ tes corporis cervicem uteri teretem, crassum atque exterius con-  
 „ tactu durum & turgidum, interius vero, cum eum inciderem,  
 „ vesicularum sive ovulorum plenum ita observare contigit, ut  
 „ ovula ipsa multum pariter turgerent, atque duritiem externam  
 „ cervicis formarent, humorem continentem, qui coctione levi

„ concrefceret. Quales veficulas, pro ovulis genuinis a me re-  
 „ putatas, etiam postmodum in quamplurimis sexus fequioris ca-  
 „ daveribus tum publicè, tum privatim & hic & Halæ Magde-  
 „ burgicæ diflectis non folum annotavi, fed & Domino D. FRI-  
 „ DERICO HOFMANNO, Confiliario & Archiatro Regio  
 „ Pruffico ac Prof. Publ. Medicinæ Primario in Academia Fri-  
 „ dericiana celeberrimo, Domino D. JOHANNI WILHELMO  
 „ PAULI, Anat. & Chirurg. Prof. Publ. in Academia Lipfienfi  
 „ celeberrimo, Domino D. JOHANNI CHRISTIANO  
 „ SCHAMBERGIO, Lipfiæ quondam Anat. & Chirurg. Prof.  
 „ Publ. celeberrimo, multisque Medicinæ alumnis demonftravi.  
 „ Ovarij fi quidem muliebris novi nomine nihil aliud intelligo,  
 „ quam veficularum, ceu verorum ovulorum, in cervicè cum pri-  
 „ mis uteri, conceptioni quam maximè deftinatorum conge-  
 „ riem.

§. XIV. „ Ovarium fi quidem novum in commodo deprehen-  
 „ ditur loco, in ipfa videlicet, prout jam indigitatum, cervicis  
 „ uteri fuperficie interna, quam omnem fere ad infimam ufque  
 „ cavitatis fundi uterini partem occupat, egregiè imprimis veficu-  
 „ lis in foemellis viro maturis turgens. Aliquando tamen veficu-  
 „ læ etiam nonnullæ limbum five circum orificii interni, quo  
 „ cum vaginam refpicit, excurrunt interdum, licet rarius in cavi-  
 „ tate quoque fundi uterini una vel altera occurrit. Et licet ova-  
 „ rium tale fit fimplex, fubinde nihilominus in circumferentia cer-  
 „ vicis interna fere infar binarum arbufcularum cum ramulis ex-  
 „ pansarum atque fructibus confpicitur. Cujuslibet veficulæ figu-  
 „ ram rotundam feu ovalem quodammodo præ fe ferentis, pars  
 „ tertia circiter extra internam cervicis uterinæ fuperficiem promi-  
 „ net, duæ vero partes fubftantiæ cervicis immerguntur, cum  
 „ eadem veluti continuatæ. Magnitudine non minus ac numero  
 „ veficulæ dictæ fatis variant, dum earum aliæ pifum majus, aliæ  
 „ minus, nonnullæ femen cannabis, plures grana milii, magnitu-  
 „ dine æmulantur; in fubjectis junioribus veficulas plures & mi-  
 „ nores, in natu majoribus majores & germen promptius, in fenio-  
 „ ribus eafdem pauciores videre licuit. Propter veficularum au-  
 „ tem protuberantiam æque ac propter fibrofam five cellulofam  
 „ cervicis figuram non potefl non ovarium integrum apparere in-  
 „ æquale.

Omnem

Omnem interim Anatomicorum conspectum non effugerunt hætenus hæc corpuscula Nabothiana, modo ipsis tam felicibus esse licuerit, ut pro ovulis illa habuerint. Sic primo loco REGNERUS de GRAAF loc. cit. cap. 8. *Notandum*, inquit, *hic in uteri collo inter rugas seu fibras potius sæpenumero hydatides diversæ magnitudinis reperiri.* Post eum audiendus est Dominus des NOUES, qui in ZODIACI MEDICO-GALLICI ANNO III. pag. 20. sqq. hæc habet verba: *A me observatum est, uteri illam partem, quæ in vaginam desinit, vocaturque orificium internum, non modo structuram obtinere eo modo conformatam, ut masculino semini introitum facilem concedat conceptionis tempore, concepto fœtui tempore partus exitum permissura, ac præterea, si ita lubet, sanguini menstruo, id quod ab Anatomicis omnibus est proditum; sed & etiamnum ideo constitutam esse, ut conceptaculi vicem præbeat speciei singulari materiei spermaticæ, quam necessitatis tempore eundem in locum effundat, in quem effunditur coitus tempore semen masculinum.*

Observationem hanc consecutus sum mediantibus tribus ex ordine dissectionibus trium cadaverum muliebrium, rei veritatem confirmantibus, atque has ideo exhibeo circumstantias:

I. *Mediocri facta expressione prædicti orificii illius membrana exterior variis in locis inæqualiter turgebat, effingens quosdam tumores subrotundos.*

II. *Fortiori adhibita compressione materia prædicta guttatim prodibat per foraminula quædam ex prædictis protuberantiis vel tuberibus propemodum magnitudine & forma illa referentia, quæ conspiciuntur in parte virili, Veromontanum dicta.*

III. *Leviter scarificata parte illa cuspide scalpelli falcati, adhibitaque vehementissima expressione, illico exiliere insignes flocci ejusdem materiæ supra unamquamque scarificationem.*

IV. *Paucis, nequaquam dissidebat ab illa, quæ se in virilibus testibus exhibet, colore, consistentia, ac proinde omnino alia erat ab humore oleoso, quem in libidinis stimulis prosundunt mulieres, cujus originem vulgo deducunt a quibusdam glandulis infraglandulam vaginalem sitis.*

Denique in scenam produco JOHANNEM BAPTISTAM MORGAGNUM, qui in *Adversariis Anatomicis primis* Anno 1706. publicatis §. 32. ita dicit: *Sive ego mulierum, seu vaccarum uteros secem, eadem mihi quæ innumeris quoque profectoribus,*

bus, lenti mucii & limpidi, nisi quod ad flavum nonnihil vergit in summa vagina, itemque in cervice copia occurrit. Qui autem succus in suprema cervicis parte est, reliquoque utero, quique est in tubis Fallopiianis, is vero mihi satis dissimilis videri solet, ut illius propterea descripti mucii scaturigines & fontes in ipsa cervice, osculoque uteri quærendos credam. Quos dum assidue perquiro, ecce quasdam vesiculas animadverto, varia magnitudine, omnes vero subrotundas, aut ovales, internam prope totam cervicis faciem confertis agminibus obtinentes. Hæ non mihi primo observatæ sunt; namque eas ibidem sæpenumero comperiri, auctor olim fuit GRAFIUS de Mulierum organis cap. 8. quas postea BARLIUS, vid. les Nouvelles decouvertes &c. Tom. III. Lib. II. c. 2. atque ORTLOBIUS Histor. Part. & Oecon. &c. Dissert. 34. confirmavere, & Præstantissimus quoque LITRIUS Memoires de l'Acad. Royal. des Scienc. 1701. pag. 294. observavit. Attamen suspicatus interdum sum, easdemne isti, quas ego, vesiculas consideraverint, cum plerique eorum hydatides esse, judicent, addatque ORTLOBIUS, eum, qui inerat, humorem ab inflicto iisdem vulnere non sine saltu prorupisse. Utut est, certè ego, lentum semper istum humorem, seu potius mucum esse, observavi, quem ex iis vesiculis multum exprimo, quemque sicuti cum liquore hydatidum, quæ circa testes, tubasque occurrebant, aliquando comparatum, magnopere inveni dissimilem, ita ejus mucii, qui in cervice, & summa vagina est, nunquam non simillimum animadverti. Porro eæ vesiculæ nunc plures, alias pauciores intimæ cervicis tunicæ sunt intertextæ, ita ut ex altera parte in cervicis cavitate promineant, ex altera intraejus substantiam sese recondant; Et vesiculæ quidem in plurimis hæ sunt. Minus sæpe autem in suprema cervice, circumque uteri orificium inveni, etsi aliquando hoc ipsum vidi confertissimis agminibus exornatum. An autem in hisce partibus, inque tota etiam cervice, quando nempe in hac quoque desiderantur, multo eæ vesiculæ sint minores, ane potius altè intus conditæ sint, merito aliquis suspicetur. Ego quidem ex uteri osculo, nullis apparentibus exterius vesiculis, multos circumquaque globulos descripti mucii aliquando expressi, vidique præterea vesiculas aliquot intra cervicis ipsius substantiam penitus latentes; quas & Clarissimum MERGUM Histoire de l'Academie Royale des Sciences 1701. pag. 40. intra osculi uterini substantiam comperisse, non ignoro: suntque eadem facile



facile ea seminis conceptacula, quæ nempe Mr. DES NOUES observatione paulo ante referebam. Quæ cum ita sint, vestra est peritia, Academici, utrum eæ vesiculæ sint veræ hydatides, judicare. Ego sane non multum ab eo absum, ut esse glandulas concipiam, unde is lentus & glutinosus mucus destillet, qui præter cæteras, quas supra attigimus, utilitates, hanc etiam præstet, ut in prægnantibus, sive ea concepti seminis vis sit, sive primo contractum, ut multi volunt, ipsius uteri orificium morari cogat, atque concreescere; certe longe densior & spissior factus, cum postea ulterioribus gestationis mensibus orificium id deducatur, subeuntis aëris injurias oportunissime defendat. Cæterum an ad mucii ejusdem separationem is quoque glandulosus plexus conducatur, quem aliqui infra uteri orificium statuunt, me vero nunquam animadvertisse, confiteor; imprimis autem, an eæ vesiculæ sint hydatides, ane sint glandulæ, vestrum, ut dixi, judicium facio; ego in re hac nihil certi propono.

Et meam si allegare experientiam fas est, hæc corpuscula frequentius circa cervicem uteri, imo aliquando unum alterumque in ipsa Tuba Fallopiana, quotiescunque hætenus cadaver scemininum secandi copia in nosocomio nostro concedebatur, vidi, meisque Auditoribus demonstravi.

Ad applausum denique ordo me ducit, quo ovula Nabothiana hætenus fuerunt excepta. Primum igitur sitto Dominum Dr. BENJAMINUM BENEDICTUM PETERMANNUM, qui in Decadis II Observatione IX. ita loquitur: „ Duo reperiri in „ sexu sequiori ovaria, communis est Anatomicorum sententia. „ His autem tertium adhuc addere nonnullis placet, de quo Disputatio de sterilitate, sub Domini D. NABOTH, Exercitativissimi alias Anatomici, præsidio habita, consulenda. Utrum autem „ experientia & ratione hoc ipsum confirmari possit, impræsentiarum non disputabo. Nihilominus ex principiis Anatomico-Pathologicis demonstrari posse confido, in affectibus cachecticis, „ hydropicis, & tumoribus œdematosi internorum viscerum glandulas statum quendam præternaturalem induere: siquidem has „ in non paucis cadaveribus dissectis quam maxime scirrhasas, & „ ad hydatides Galeni referendas, observare nobis licuit. Memorabile jam referre lubet exemplum in cadavere meretricis hydrope extinctæ, in nosocomio annotatum. In hoc enim ab extra „ deprehendimus glandulas circa cervicem uteri, ovariorum ma-

„ xime similes. Illis autem dissectis nihil aliud se offerebat, quam  
 „ lympha, uti aliàs in glandulis hydropicorum, viscida, rugæque  
 „ simul vaginæ uterinæ partim excrescentiis carnosis, partim glandu-  
 „ lulis scirrhis instar globorum minorum refertæ conspiciebantur. Orificium uteri internum satis erat amplum, ut digiti cras-  
 „ sioris cuspidem excipere posset. Ovarium dextrum lapillis non-  
 „ nullis instar granorum milii turgidum conspiciebatur. Quibus  
 „ circumstantiis rite perpensis ex principiis Anatomico-Physiolo-  
 „ gicis concludimus, glandulas jam dictas scirrhisas nequiquam  
 „ pro ovario illo novo ac tertio haberi posse. Interim distiteri  
 „ haud vereor, interdum ovulum, aut fœcundatum aut sterile  
 „ sede sua naturali delapsum, per tubam Fallopiam in mulieri-  
 „ bus, fluore albo laborantibus, partim propter lubricitatem fi-  
 „ brarum mōtricium ad cervicem uteri usque deferri, partim hu-  
 „ jus peripheriæ propter visciditatem annecti, imo fœtum ipsum  
 „ in tuba Fallopiana concipi posse: uti talis tubaria conceptio non  
 „ solum ordinario fit in brutis, cornibus nempe horum uterinis, sed  
 „ etiam extraordinario modo in hominibus præter experientiam  
 „ ELSHOLZII in eleganti Tract. de Conceptione Tubaria, „  
 „ RIOLANI, ISBRANDI DIEMERBROEKII in A-  
 „ natomia, MATTHIÆ TILINGII, aliorumque, mihi  
 „ ipsi sub B. Parentis directorio in aliquot cadaveribus dissectis,  
 „ sine ullo novi ovarii conceptu animadvertere licuit.

Cui adjungo Dominum *CHRISTIANUM FRIDERICUM BUTTIGER*, Medicinæ Doctorem, qui in *Disputatione*, in qua  
*fœtum non ante conceptionem in ovulo præexistere*, sed post eandem  
 formari docet, anno 1708. hîc loci publicæ defensa hæc habet verba:

§. VII. „ Quæ cum ita sint, liceat mihi modeste dissentire à  
 „ sententia negante, testes vera ovaria esse. Neque enim, quæ  
 „ objicitur, observatio, qua puerperæ alicujus cadavere inciso, tes-  
 „ tes omnibus vesiculis privati, e contrario autem multa pingue-  
 „ dine cum intermixtis pilis referti animadversi sunt, mulieres abs-  
 „ que testium ope concipere posse, probat ideo quod fœminæ il-  
 „ lius testes intra illius temporis spatium, quo in utero gessit, ve-  
 „ siculis orbari, aut antea jam ex parte quidem morboſi, unam  
 „ tamen alteramque vesiculam adhuc integram comprehendere  
 „ potuerunt, indeque non mirum, quod fœmina illa, et si puer-  
 „ pera fuerit, nullas tamen in testibus post obitum ostenderit ve-  
 „ siculas; nec illico efficitur; quod ideo sine testium ope conce-  
 „ perit.

„ perit. Multo autem minus inde asserto robur accedit, quod  
 „ non paucae foeminae post fata scirrhosus habere testes observatae  
 „ fuerint, cum tamen, ipsas complurium antea liberorum matres  
 „ fuisse, constiterit. Potest enim hoc facile usu venire, nec ta-  
 „ men ulla nos urget necessitas inferendi, quod ideo conceperit  
 „ foemina sine vesiculis. Nam, si aliquem hepatis, lienis, aut  
 „ alius cujusdam visceris scirrho laborare, possibile est, qui tamen  
 „ ante unum alterumve annum prospera valetudine usus fuit; quid-  
 „ ni etiam foeminae, liberorum antea matres factae, intra illud  
 „ temporis spatium, uno nempe alteroque ante obitum anno,  
 „ scirrhum contrahere possint. Quamobrem nullum mihi relinqui-  
 „ tur dubium, quin haec omnes foeminae utero conceperint, dum  
 „ adhuc vesiculas in testibus inclusas continuerunt, postquam au-  
 „ tem omnis illorum substantia scirrho occupata est, parere etiam  
 „ desierunt. Idque eo lubentius mihi persuadeo, quo certius con-  
 „ stat, quod pleraeque foeminae, quas scirrhosus aliove morbo vi-  
 „ tiatos testes habere, in vivis conjectura, in demortuis autem  
 „ anatomia detexit, steriles semper repertae sint, eamque ob cau-  
 „ sam testium morbi non immerito ab omnibus recentioribus aequae  
 „ ac veteribus Medicis inter veras sterilitatis causas numerentur.

§. VIII., Quare haud equidem magis nobis verisimile fit, con-  
 „ geriem illarum vesicularum, quae interdum in cervice uteri re-  
 „ peritur, verum ac genuinum ovarium esse, cum rationes, qui-  
 „ bus hoc ipsum stabilitur, ad accuratioris judicii lancem appen-  
 „ sae, non debitum habere pondus momentumque deprehendan-  
 „ tur. Sic enim non, ut dicitur, interna cervicis uteri superficies  
 „ locus ovarii commodus est, sed incommodissimus, ovulorum-  
 „ que conservationi plane adversus. Siquidem inter omnes con-  
 „ stat, quod partus tempore nulla fere pars uteri magis injuria  
 „ afficiatur, quam ipsa ejusdem cervix; quippe cui egressum mo-  
 „ liens foetus vehementer capite innititur, eandemque mirum in  
 „ modum distendit, ut facilis sit conjecturae locus, quod vix ali-  
 „ ter fieri possit, quam ut haec ratione ovula ibi haerentia multum  
 „ laedantur, penitusque intereant. Quod ipsum quoque dicen-  
 „ dum foret de iis ovulis, quae superioris orificii uterini limbum,  
 „ vaginam respicientem, occupant. Haec profecto ovula, cum  
 „ jam extra cavitatem uteri constituta sint, a semine virili foecun-  
 „ data non sursum ad uterum adscenderent, ob arctissimam uteri  
 „ constrictionem, sed proprio potius pondere in vaginam delapsa

„ inutiliter excernerentur. Quin si viris fide dignis credere fas  
 „ est, talis novi ovarii locus matri quoque perniciosus esset. Di-  
 „ citur enim Clarissimus Dominus FASCHIUS aliquando ob-  
 „ servasse, quod honesta quædam & nobilis fœmina propter ovu-  
 „ lum, nimis profundè ad uteri cervicem demissum, ibique in-  
 „ crementum capiens, vita privata sit, idque ideo, quoniam tan-  
 „ tæ extensioni insueta pars hæcce ac incrementum foetu tandem ru-  
 „ pta est, foetusque in abdomen transmissus, quem post cada-  
 „ veris incisionem intestinis quasi intratum invenerunt. vid. BER-  
 „ TUCHII Dissert. de sterilitate, sub præsidio Dn. FASCHII ha-  
 „ bita. Quomobrem si natura præter solennem legem, quam in  
 „ reliquis omnibus animalibus perpetuo servat, in solo homine o-  
 „ varium cavitati uteri includere voluisset, existimaverim, quod  
 „ potius fundum uteri, ubi naturaliter ovula accrescere solent,  
 „ tanquam sedem aptiorem delegisset, nec ovula in eo posuisset  
 „ loco, unde post fœcundationem iterum divelli, ac sursum ab-  
 „ lata fundo demum uteri adfigi necessario debeant. Quod si igi-  
 „ tur inter præcipua genuini ovarii requisita aptitudo loci non ul-  
 „ timas tenet, multo potiori jure, testes mulierum vera ovaria  
 „ esse, contendere possumus, utpote qui ejusmodi aliquem locum  
 „ nacti sunt, quem sive tuendorum ovulorum ratione, sive alio quo-  
 „ cunque respectu consideres, aptissimus semper est, atque miran-  
 „ dam Summi Numinis providentiam non obscurè prodit. Quæ  
 „ de conceptione canis, cujus tubæ in fimbriatis extremitatibus li-  
 „ gatæ fuerunt, referuntur, fidem pene superant, & quoniam  
 „ alia exempla in contrarium adduci possunt, nihil evincunt.

§. IX. „ Sicut autem novi ovarii locus parum congruus est;  
 „ ita etiam vesiculæ, è quibus constat, non, ut perhibetur, pla-  
 „ centæ uterinæ, chorii ac amnii, nec non vasorum umbili-  
 „ calium rudimenta habent. Quod si enim à vasorum sanguifero-  
 „ rum præsentia ad placentæ rudimentum argumentari liceret,  
 „ eodem jure perhibere possemus, quod & hydatides & vesiculæ  
 „ in testibus contentæ, quas supra cum Clarissimo MALPI-  
 „ GHIO principium glandulosi corporis appellavimus, placen-  
 „ tæ primordiis gaudeant, utpote quas copiosa vasa subire ac per-  
 „ reptare laudatissimus Auctor, aliique docent. Quinimo cum  
 „ placenta uteri nunquam in adultis duas tertias; sed vix tertiam  
 „ occupet partem, rudimentum quoque istud valde dubium at-  
 „ que incertum redditur, siquidem magnam res veritatis speciem  
 „ habet.

„habet, quod, si pars illa vesiculæ verum esset placentæ prin-  
 „cipium, eandem quoque in recentioribus pariter ac adultis ovis  
 „proportionem servaret, neque in his tertiam duntaxat, in illis  
 „autem tres omnino occuparet partes. Simili ratione tertia illarum  
 „vesicularum pars, quæ à connexionè libera prominat, & mem-  
 „branosa est, neutiquam ideo pro chorii & amnii rudimentis ha-  
 „beri potest, quoniam in ovis præsertim majoribus non difficul-  
 „ter in duas lamellas discerni observatur. Nam & vesicularum,  
 „in testibus comprehensarum, tunicæ adhibito studio in lamellas  
 „dividuntur, neque tamen ideo in verorum ovulorum numerum,  
 „ut ipsi contrariæ sententiæ Authores fatentur, sunt referendæ;  
 „& hydatides docente Domino de GRAAF de Mulier. Ovar. du-  
 „plici ordinariè tunica constant, quarum interior, licet tenuissima  
 „sit, ab exteriori haud difficulter separatur, cum tamen nemo fa-  
 „cile, has veris ovulis esse annumerandas, adfirmare audebit. Quin,  
 „si expertis credere fas est, eam ipsam ob causam, quoniam facile  
 „in lamellas dividuntur vesicularum illarum tunicæ, vera ovula non  
 „sunt, & consequenter nullum habent chorii & amnii rudimen-  
 „tum, siquidem laudatissimus de GRAAF hoc ipsum intercedere  
 „discriminis inter vera ova atque hydatides, quod harum mem-  
 „branæ facile, illorum autem difficulter in lamellas dispescan-  
 „tur, ibidem adfirmat.

§. X. „Eodem fere modo comparatum est funiculi umbilicis  
 „rudimentum, quod ovulorum suorum liquori innatare atque fi-  
 „brillæ speciem præ se ferre dicitur. Non enim aliam invenio hu-  
 „jus rei probationem, nisi hanc; fibrilla innatat vesiculæ, ergo  
 „fibrilla illa est funiculi umbilicis rudimentum. Certe etiam hy-  
 „datidibus interdum aliquid fibrillosum aut heterogeni innatat,  
 „quod tamen æque minus pro funiculi aut foetus rudimento ha-  
 „beri potest, ac fibrillæ sanguini innatantes. Accedit, quod fi-  
 „brilla illa, in ovuli colligamento observata, adeo subtilis fue-  
 „rit, ut oculis usurpari vix potuerit, adeoque utrum ejus stru-  
 „ctura cum funiculo umbilicali conveniat, nec ne, penitus igno-  
 „remus. Ad contrarium itaque potius amplectendum, partim  
 „præfens dissertatio, qua nullam foetus ante conceptionem præ-  
 „existere delineationem, probaturi sumus, hortatur, partim quo-  
 „que observationes, primordium foetus funiculi rudimento prius  
 „in conspectum venire, testantes, suadent. Nullum enim est  
 „dubium, quin, si fibrilla, quam se observasse contendat, ve-  
 „rum fuisse funiculi umbilicis rudimentum, non prius, quam

„ ipsum corporis primordium in oculos incurriffet, quod ta-  
 „ men factum ipsi referunt, dicentes, se illud duntaxat ocu-  
 „ lis detexiffe, hoc autem non difficulter mente concipere po-  
 „ tuiffe. Neque vero est cur aliquis sibi perfuaderi patiatur,  
 „ majoris momenti esse, quod vesiculæ illæ instar albuminis  
 „ ovi coctione inspissari dicantur. Tametsi enim mihi non-  
 „ dum occasio obtigerit, in rem hancce inquirendi, libenter  
 „ tamen illud largiar, probe gnarus, quod non omnis vero-  
 „ rum ovulorum formalitas in inspissatione consistat, sed alia  
 „ præterea requirantur. Id quod contrariæ sententiæ defen-  
 „ sores nolentes quasi fateri coguntur, utpote qui negant, tes-  
 „ tes muliebres vera ovaria esse, aut genuina complecti ovu-  
 „ la, cum tamen, illa coctione inspissari, certissimum sit, &  
 „ quotidiana experientia confirmetur. Quodsi autem testium  
 „ vesiculæ, quæ tamen igne inspissantur, vera ovula non sunt,  
 „ firmissima quadam consequentia efficitur, quod & novi o-  
 „ varii vesiculæ neutiquam ideo vera ovula appellari queant,  
 „ quoniam illarum liquor instar albuminis ad ignem conden-  
 „ satur, adeoque hoc etiam argumento nil probant. Quo-  
 „ rum de novo ovario, in cervice uteri posito, sententiam pe-  
 „ nitus evertit elegans NUCKII experimentum, qui referen-  
 „ te excellentissimo Domino BERGERO Lib. de Natura  
 „ humana p. 457. in cane foemina tertio post congressum die  
 „ extraxit per vulnus, abdomini inflictum, sinistri lateris cor-  
 „ nu, cujus ovarium jam duobus ovulis majutculis notabiliter  
 „ conspicuum vidit, idemque deinde inter ovarium & vagi-  
 „ nam medio loco ligatura arctiori constrictum, reposuit, ac  
 „ vulnus obligatum intra octiduum ad cicatricem perduxit.  
 „ Vigesimo primo ab injecta ligatura die canem secuit, & cor-  
 „ nu sinistri partem ligaturam inter & vaginam vacuum & ina-  
 „ nemprehendit. Quo profecto experimento nil clarius  
 „ esse potest, siquidem nemo non inde intelligit, quod, si ova-  
 „ rium in cervice esset positum, foetus quoque necessario intra  
 „ ligaturam & cervicem inveniri debuerint, spatio, quod testes  
 „ respicit, inani relicto.

Hunc excipit Dominus ANDREAS OTTOMARUS  
 GOELICKE Med. Doctor ejusdemque antehac in Friderici-  
 ciana P. P. Extraordinarius, nunc vero in Academia Regia, quæ  
 est Duisburgi Clivorum Medicinæ Professor ordinarius, qui  
 Anno

Anno 1708. Halæ Magdeburgicæ Disputationem habuit Medico-Forensem, qua demonstratur, *Partum octimestrem vitalem esse & legitimum*, & inter alia his usus est verbis.

§. XI. „ Tria imprimis sunt, quæ pro confirmatione sententiæ suæ urgere videtur Dominus D. NABOTH. Primum est, quod novum istud ovarium in omnibus fœmellis semper & sine discrimine temporis reperiatur. Multum sane negotii sibi facefferet Author, si propositionem hanc maxime universalem in omnibus subjectis semper & sine discrimine temporis ipsa autopsia comprobare deberet. Fuerunt per totidem secula & adhuc sunt multi perspicacissimi, & si ita loqui fas est, ipso Argo oculatiores Anatomici, qui in totidem uteris cultro suo subjectis procul dubio vesiculas illas, utpote quarum aliæ pisi majoris, aliæ minoris, nonnullæ seminis cannabini, plures granorum milii magnitudinem secundum ejus observationem æmulantur, observaturi fuissent. Profundissimum vero eorundem de his rebus silentium propositionis hujus universalitatem maxime dubiam & suspectam reddit, potissimum cum ad corpuscula tantæ capacitatis videndum non requiratur oculus microscopio Lewenhoeckiano aut Muschenbroekiano demum munitus, sed vel semicæco, etiam invito & tale quid non quærenti, manifeste sese palpanda obtrudant. Et ne quid dissimulem, contigit etiam mihi ante biennium, puellam quandam decem annorum in suburbio Hallensi examini Anatomico subicere, & cum jam tum temporis de novo ovario Lipsiæ invento mussitarent Studiosi Medicinæ, cupiditas incessit animo, negotium istud rimandi curatius, adeoque non difficulter a matre puellæ obtinui, ut uterum cum annexis tubis domum mecum deferrem; sed ingenue confiteor, me totam internam ejus superficiem glabram, nullis tuberculis aut vesiculis asperam aut inæqualem deprehendisse, etiamsi vel microscopiis accuratissimis, quibus non destitutor, uterum undiquaque lustrarem: an oculorum hebetudo, an ovulorum parvitas, an vero, quod probabilius, eorundem absentia in causa fuerit, ex his facillimum est judicare.

§. XII. „ Alterum, quod ipsum ad novam hanc hypothesin statuminandam commovisse videtur, est ovarii hujus sim-

„ pllici-

„ plicitas, sive, quod solitarium sit seu unicum, licet paulo post  
 „ non obscure sibi contradicere videatur, dum asserit, quod  
 „ licet sit simplex, subinde nihilominus in circumferentia cer-  
 „ vicis interna fere instar binarum arbuscularum cum ramulis  
 „ expansarum atque fructibus conspiciatur. Quod tamen hac  
 „ vice non admodum urgebo, illud tantum breviter monitu-  
 „ rus, istam organorum corporeorum simplicitatem providam  
 „ ac solertem naturam sedulo semper ac studiosè ubivis evi-  
 „ tasse, adeoque homini binos oculos, binas aures, duas na-  
 „ rium pinnas, duos renes, totidemque vasa spermatica, duos  
 „ testiculos, duo ovaria, plures loto pulmonum ac hepatis,  
 „ paria semper nervorum tam ex cerebro, quam ex medulla  
 „ spinali prodeuntia liberaliter indulsisse, idque eandem non  
 „ nisi summa providentia fecisse, ut altero horum organo-  
 „ rum læso vel corrupto, alterum nihilominus salvum esset ac  
 „ superstes. Tantum igitur abest, ut imaginaria illa ovarii sic  
 „ dicti simplicitas aliquam foemellis prærogativam sit allatura, ut  
 „ potius iisdem in procreatione sobolis summè noxia futura  
 „ sit. Tali enim ovario simplici semel destructo nulla ampli-  
 „ us generationis actui medicina superest: cum econtra in du-  
 „plici ovario antiquo, altero læso, alterum adhuc integrum  
 „ sit, & talis foemella felix adhuc multorum liberorum possit  
 „ esse mater, uti mulier apud Cyprianum, evidenter pro-  
 „ bat.

§. XIII. „ Sed tertium, idque princeps argumentum impi-  
 „ mis suppeditat commodus situs seu locus, in quo ovarium  
 „ novum deprehenditur, occupans quippe omnem internam  
 „ cervicis uteri superficiem, ad infimam usque cavitatis fundi  
 „ uterini partem, licet etiam nonnullæ istarum vesicularum  
 „ limbum orificiæ interni excurrant, & nonnunquam in cir-  
 „ cumferentia cervicis interna instar binarum arbuscularum  
 „ cum ramulis expansarum atque fructibus eleganter conspi-  
 „ ciantur. Ecce quam pulcrum ovarium, in quo pusiones  
 „ crescunt, non aliter ac pira & poma in arbusculis. Lubens  
 „ tamen agnosco commodum istum situm ad immediatum se-  
 „ minis masculini contactum vividius suscipiendum multum  
 „ conferre. Sed quis non videt, ex tali foecundo congressu  
 „ non unum vel alterum pusionem, sed integram eorum cõ-  
 „ loniam esse prodituram, sicuti non sine singulari delectatio-  
 „ ne



„ ne a bombycibus sæpenumero multas oculorum series centuria-  
 „ tim femine illorum profico conspersas & fœcundas redditas  
 „ fuisse, observavi. Sed mulieres tamen ordinario non sunt mul-  
 „ tiparæ.

§. XII. „ Ast duriora adhuc fata miserorum pusionum cervi-  
 „ cibus imminent, quia patria illorum, hoc est, vesiculæ ulterius  
 „ describuntur, tanquam duabus partibus substantiæ cervicis im-  
 „ mersæ, & cum eadem veluti continuatæ, parte circiter tertia  
 „ extra internam cervicis uterinæ superficiem prominente. Doleo  
 „ merito illorum sortem: quis enim ipsos ex foveis istis profundissi-  
 „ mis, quibus immerguntur, liberabit? Quis credet, hoc pacto ullum  
 „ partum naturalem esse futurum, qui non bipalio effodiendus,  
 „ aut cultris incisoriis ex uteri cervice, cum qua non tantum con-  
 „ tinua, sed etiam ad duas tertias partes immersa sunt ovula, ex-  
 „ scindendus sit? Et unde constat tantum placentæ uterinæ vi-  
 „ cem explere, quantum ultra duas tertias substantiæ cervicis est  
 „ immersum? Annon hinc sequeretur, placentam uterinam ut plu-  
 „ rimum cervici uteri debere esse agglutinatam, adeoque non leve  
 „ fœtui exituro objicere obstaculum, quod tamen est contra in-  
 „ spectionem ocularem? cum placenta uterina fundo uteri con-  
 „ stanter adhæreat, licet in eo varius observetur naturæ lusus,  
 „ dum interdum in sinistra, nonnunquam in posteriore fundi u-  
 „ terini parte hæsisse deprehensa est, quemadmodum in nuperrima  
 „ sectione, quam in muliere quadam rustica, præsentibus qui-  
 „ busdam auditorum meorum administravimus, eandem parti  
 „ uteri dextræ adhæsisse, clare conspeximus. Unde vero porro  
 „ probabit D. Author, in vesiculis uterinis contineri germen,  
 „ id est, totum fœtus corpusculum, cum ipsemet fateatur, singu-  
 „ las fœtus partes nullum oculum, optimis licet vitris armatum,  
 „ discernere posse? Iisdem difficultatibus premuntur, quæ de  
 „ amnio & chorio tanquam membranis fœtum involventibus &  
 „ funiculo umbilicali profert. Hæc vero omnia si dubia sunt,  
 „ incerta & ex rationis tantum speculantis conceptibus profecta,  
 „ uti ipsemet non negat, nemo nobis vitio vertet, si quæ juxta  
 „ leges hujus hypotheseos adhuc restarent dubia circa conceptio-  
 „ nem, & inchoandam & perficiendam, exponenda, in aliud  
 „ tempus remittamus

Atque hanc suam sententiam de ovario Nabothiano iterum re-

perit Clarissimus GOELIKE in *Historia Anatomia* superiori anno in lucem divulgata, tandemque concludit pag. 183. *Versatur autem in eo totius rei cardo & vesicularum istarum, quas nonnullis abusive seminales vocare placet, certitudo & universalis existentia, in quibuscunque subjectis fœmineis Anatomice demonstratur, qua demonstratione hætenus deficiente, irritum sane est, quicquid de usibus & consecrariis in Physiologiam & Pathologiam inde resultantibus differitur. Stabunt sane duæ illæ rationes in contrarium allatæ inconcussæ, quamdiu primo per observationes sæpius iteratas & experientiam magis universalem non ostenditur, vesiculas istas semper & in omnibus promiscue fœmellis, tam brutis quam humanis, & id quidem secundo non in statu extraordinario seu morbofo, sed quam maxime secundum naturam.*

*Hæc duo quamdiu solide non præstantur, non poterunt, qui talia sero objiciunt, accusari, frustra esse, quod veritatem rei Anatomicam sollicitent, vel penitus universalem istarum vesicularum existentiam negando, vel earundem naturalitatem, (ut sic barbare cum aliis loquar), infringendo.*

Habes hic, Vir Clarissime, Historiam Ovuli Nabothiani: superest, ut pro ea, qua polles Authoritate, Judicem Te nunc præstes, nec in ambiguo ulterius relinquas ordinem Medicum. De cætero ex animo opto, ut Supremum Numen sufficientes corpori animoque vires largiri velit clementissime, quo in perpetuum Artis salutaris ornamentum & emolumentum, quicquid Curiosi adhuc condunt pretiosi Tui Thesauri, cum orbe Literato communicare valeas, quod animitus optat

Clarissimi Tui Nominis

Cultor indefessus,

*Dabam Lipsiæ,  
die 6. Maji 1714.*

D. MICHAEL ERNESTUS ETMULLERUS.

FREDERICI RUYSCHII,

*Anatomes & Botanices Professoris, Academiae Caesareae  
Curiosorum Collegae, nec non Regiae Societatis  
Anglicani Membri,*

ADVERSARIORUM

ANATOMICO-MEDICO-

CHIRURGICORUM.

DECAS SECUNDA.

In quâ varia notatu digna recensentur.

CUM FIGURIS ÆNEIS,



AMSTELODAMI,

---

Apud JANSSONIO - WAESBERGIOS.

M. DC. C. XX.



ILLUSTRISSIMIS, NOBILISSIMIS,  
ERUDITISSIMIS,

VIRIS,

Societatis Philosophicæ

BRITANNICÆ

Membris florentissimis

Sub auspiciis

Serenissimi Regis

GEORGI.

Opusculum hoc

*OBSERVANTIÆ, ET REVERENTIÆ, TESTANDÆ ERGO*

*Offert*

FREDERICUS RUYSCHIUS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1911

1911

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PAITANICA

Journal

1911

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

GEORGE

1911

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

# ADVERSARIORUM ANATOMICORUM.

## DECAS SECUNDA.



**E**N, Amice lector, en iterum me procedentem in scenam! nonne foret fatius virum octuaginta & tres annos natum filere, atque sarcinas in magnum illud, brevi suscipiendum, iter colligere? Ita Sane! oportet enim inter actiosa vitæ & Supremum diem otii quid habere, quo vera Philosophia, quæ mortis meditatio, ab animo excolatur. Sic ago profectò, idque mihi præstat benignitatis DEUS præter tot bona, quibus me grandævum largissimè beavit, ut maximum senii tempus in his locem. Interim tamen vivo, noctesque adhuc & dies impendo alacer contemplando, atque investigando humani corporis abdita, & puto me novi quid discendo quotidie fenescere feliciter. Id verò, quod industriæ meæ aperit Creator, non mihi servandum credo; sed ita censeo, velle Adorandum Numen per me servum suum hæc in gloriæ suæ celebrationem mortalibus manifestare, ut sensim Medicina perfici queat. Si has meas causas æqui fers bonique, gaudebo; nec incolumis desinam monere sodales meos audacter & fideliter, si quid invenerim boni. Cedant conatus nostri in Gloriam DEI, & Salutem hominum!

### I.

#### *De Membrana, & vasis Sanguiferis in Acetabulo Coxæ.*

**O**Mnia ossa suâ ambiiri membranâ, scripserant Anatomici, solos Dentes Periostio dicebant carere. Illi vero qui

**A**

accuratâ indagine mirabilia in Conchâ Auris Officula deinde detexerant, & hæc, Dentium instar, omni proprio vestimento nuda tam severè docent, ut insanire viderer Principi in Anatomicis viro, quando olim & hæc ipsa arctè investiri verâ membranâ, verò Perioftio, scripseram, addideramque simul vasa Sanguifera excipi, ordinatim distribui, perque membranâ hanc in meatus horum Officulorum intröire, humores eò deferre, imò verò & inde iterum recipere vascula, quæ perfunctos munere suo humores ex ipsis horum officulorum medittullis reducunt.

Neque minus incredibilia proferre censebar, quando scribebam publicè inventum mihi Corticem Cerebri solo fabrefactum vasculorum Sanguiferorum contextu. Quid itaque censebunt, qui me legunt scribentem, cavitatem Acetabuli in ossibus innominatis ex parte obducta esse membranulâ tenuissimâ, quæ ita contextitur mirabili vasculorum sanguiferorum apparatu, ut arte meâ repleta hæc totam membranulam nitenti undique pingant rubedine: eminus enim lustrata oculo membrana hæc absolute rubra apparet.

Neque est, ut quis putet, membranosas partes ex tenerrimis contextas vasis ilicò in locis illis perire debere, utpote quæ sustinent molem superioris corporis, atque attritu perpetuo in se invicem actæ facile destruerent tenella hæcce vascula, unde inflammationes, dolores, suppurationes, atque alia mala perpetuo sequerentur. Ut enim hæc caveret incommoda Creator, cavitatem hanc ita construxit, ut impossibile sit, capiti Ossis Femoris membranam hanc, vel vascula ejus, attingere. Locus namque in quo tuta reconditur, est extra hemisphæricam superficiem cavam Acetabuli, unde globosum ossis Femoris caput, mobile intra descriptam cavitatem: eique fere congruens, nullâ parte suæ superficiei unquam possit tangere membranulam, ejusque vascula, ut manifestum erit unicuique qui inspicit Figuram.

Nemo miretur latuisse tamdiu atque effugisse omnem perspicacium Anatomicorum industriam hujus membranæ apparatus: quis etenim artificum hæctenus potuit ceraceam materiem ita impellere, ita dirigere, ut in intima hæc eo penetret impetu, ut abditissima hæc, & remota ab Arteriis majoribus,



vascula tam perfectè repleat? Attamen absque hâc felicitate successus frustra erit, quicumque vel membranulam hanc subtilissimam spectare cupit, longe minus possibile erit ulli vascula in hac tenuissimâ aliter detegere. Dolor coxarius ægrotantibus cruciatum, medicis verò opprobrium esse, tristis sæpe clamat experientia. Est, ille sæpenumero incurabilis, nec levatur medicamentis, vesicantibus non auscultat, ferro resistit ipsi & igni. Coquestus jam de hisce Divus Hippocrates, nec mirum videtur sedem tum fixisse in vasculis profundissimè sitis in diverticulo Acetabuli intra cavitatem ejus posito. Nonne igitur difficillimum est eò intactis viribus illibata medicamenta afferre?

In icone cernis reptatus, & numerum, vasculorum sanguiferorum per hanc membranam, Monendus tamen es pictorem, artis suæ peritissimum licet, mirabilem naturæ ornatum haud satis feliciter assecutum fuisse: quia tam numerosa, tam implicita, hæc sunt, ut imitari fere sit impossibile. Ideoque partem hanc ita præparatam, atque balsamo conditam, ita asservo in novo, quod jam iterum paro, gazophylacio Anatomico, ut unicuique idoneo spectatori lubens illud contemplandum exhibere promptus sim.

II.

*De Vasis, quæ per Patellam ipsam distribuuntur, atque per Cartilaginem mobilem in genu.*

**H**Uc, amabo Te, ades, qui desideras artem discere, quâ corpus Tibi exstruxit Deus! nova nec prius descripta prius contempleris. Non ita diu est, quando replendo cadaveris vasa in mirum incidi inventum. An verò observavit Quis, vasa sanguifera sese penetrare per Patellæ corpus, atque immenso numero in una ejus meditullia se abdere? certe quum non meminerim id contigisse, rei nunc speciem dabo in Tabulâ conspiciendum, postea verò & Cartilaginis Tibi vasa sistam. Sed oleum pendet & operam, qui vasa hæc invenire annititur, & demonstrare, in patellâ adulti jam hominis; sed qui imitari

valet, quod præstiri, in cadavere juvenili, ubi Cartilagineâ adhuc pelluciditate transparet, poterit illa distincta videre, atque advertere mirabiles eorum distributiones. Ne verò felicis laboris rarus pereat successus, necesse est, partem ita arte paratam sic conservare, ut nec pereat, nec evadat opaca: utrumque sanè artificio singulari effeci: atque ita pulchrum hocce spectaculum inter mea incorruptum asservo.

Cogitat forte, hæc quisquis legit; an ergò mihi frangenti toties Patellas, ut inspicerem in indolem earum, nunquam apparuit vel unus talium vasculorum, vel truncus, vel ramus? Ego candidus huic dixerim, nec mihi unquam illa fuisse spectata licet indaganti: etenim fractæ Patellæ ut inspiciatur vasa ilicò, contracta suoque hinc expulso liquido orbata, omnem effugiunt sequentis aciem. Ubi verò injectâ cerâ, antequam frangatur Patella, vasa hæc distenta sunt, atque indurescente dein eâdem materie manent repleta, tum demum datur speculari omnia. Inspice, quæso, figuram hic positam, quâ conatus sum exprimere Patellam de juvenili ablatam corpore; videsne eam tot abundare vasculis, ut tota fere rubescat? Senilia autem ossa sensim arctius compacta vasorum plurima abolent, inque firmiter compagem densant, unde per ætatem firmiora quidem, at aridiora simul, ossa evadunt; quod quidem liquidius nunquam, quam in dentibus, spectatur, quos vasis contextos pueri in tenellâ ætate recondunt, senes verò, aut ætate proveciores, vasis conspicuis destitutos possident.

Quod si quis minuta me sectari objicit, atque in rebus haud magni momenti inquirendis occupatum deridet; imò verò si ait, satis esse notum, vasa ferri sanguinea per omnes corporis humani partes, perque ipsa adeò ossa. Huic ego reponam; mirari me licentiam hanc, quâ quis audet asseverare, se scire vasa existere, quæ nec ipse vidit, nec alius unquam. Undenam ergo illa nosti? quis eorum decursus? ubi hærent? quæ diversitas in senio, ætate virili, adolescentiâ, pueritiâ? omnia hæc bene nosse, atque oculis spectanda dare, pluris facio, quam omnia conjecturanti atque effingendi effecta: nihil licet Anatomico adiungere, quod non videt, nihil eorum, quæ videt, negligere, aut vilipendere. Nihil in corpore humano frustra conditum, cognoscitur & in eo frustra nihil.

Si ægrè haud feret Lector, monebo eum, me vidisse jam bis, nec sine admiratione, casus vix credibiles nisi ipse interfuissem. Vocabar, ut opitularer, ad homines, qui suas caligas supra genu arcto vinculo constrinxerant ita, ut impediretur velox & facilis partium harum motus; his dein per plateas obambulantibus contigit; ut cespitarent, unde verò flexu genu prolaberentur humi, sine allisione Patellæ, aut Tendinum; interim diffracti his erant ipso hoc flexu subitaneo Tendines validissimi Musculorum, qui Tibiam extendunt. Quis credidisset id fieri posse, qui novit & consideravit crassitiem horum ingentem? Rem tamen expertus sum adeò evidenter, ut hiatus inter partes Tendinum horum abruptas tam magnus esset, qui concederet digitum adulti transversum imponi. Neque surgere hi, nec se erigere poterant, imò verò ne pedibus quidem insistere absque adminiculo hominum ipsos fulcientium, contacti autem per multorum mensium spatio in lecto decumbere, tandem toto reliquæ vitæ decursu baculo corpus inter ambulandum fulcire, atque sustinere, impellebantur.

Multa equidem inducunt me, ut crediderim, esse quandoque talem in membranis, tendinibus, imò & in ipsis ossibus, conditionem, unde facilius, quam naturaliter, suis naturalibus locis exire, aliorsum cedere, quin & rumpi, possint. Quæ quidem mala haud accidissent tam facile, si abfuisset ægra hæc diathesis. Sane simile quid cernimus in Herniis, quæ natas admiramur levissimis aliquando ex causis, quum iidem homines alio quidem tempore impunè sustinuerint nixus, motusque maximos. Quis nescit sæpe terrore, animi perturbatione, levi nisu corporis, has in robustis, & exercitatis, natas? Dudum est, quod scripsi in observationibus meis historiam, quæ huc facit. Viro per publica incedenti, in declivitate pontis, lubricitate viæ subducti pedes casum minitantur, ille tamen corporis agilitate lapsum evitat, nec alliditur stratis viarum, in ipso tamen hoc nixu frangitur illi Patella transversa absque ullo allisu. Commissus ille curæ famosissimi Chirurgi, qui in pago *Jisp* dicto artem summà cum famà eà tempestate colebat, nihil adjumenti accepit. Quod tamen haud contigit culpâ adeò boni magistri: sed fragmenta Patellæ fractæ sæpe non coeunt iterum, quia unita haud possunt retineri, tam diu do-

nec coaluerint. Sæpe & impeditur hæc concretio inde, quod vasa fragmentorum quandoque non satis suppeditant materiem ossibus aduncandis propriam. Enimverò homines vidi, quibus fracti ossis frustra, omni arte ritè tractata, tamen nunquam concresebant horum humeris, brachiisve circumducti & applicati, tubi ex bractea ferri multum præstabant commodi; partes in situ satis commodè ita retinebantur, ut motus requisiti exercere utcumque possent.

## III.

*De lubricâ materie, quæ in articulo genu,  
pone Patellam reperitur.*

**M**irificum corpus, quod hic loci observatum Anatomicis, glandularum fabricâ constare apud omnes fere auctores recentes pro certo quidem habetur: imprimis verò, postquam suam super his sententiam, observationibus subnixam, edidit subtilissimus inter Britannos Anatomicus *Clopton Havers*. Addit quippe egregius hic vir delineationem, quæ glandis structuram omninò exhibet. Ego tamen, qui partes has, arte meâ præparatas, cum curâ examinavi glandulosi quid nihil invenire me cogor fateri: postquam enim eventu felicissimo vasa hujus partis materie replevi ceraceâ, atque deinde dexteritate singulari expedivi ab intricatione suâ mirabili, videor mihi liquidò spectare, totum hunc apparatus merè glandulosum habitum, esse ex meris conflatum vasculis, quæ sanguinea sunt, sed quam tenuia? quam diverso ab omnibus aliis reptatu incedentia? Sane est in his singulare quid, quod frustra aliis in partibus quæsieris. Sed præ cæteris notabile mihi videtur in hoc opere, quod glomen horum vasculorum undequaque obsitus sit materie quadam lubrica valde, & quæ pinguedinem æmuletur satis bene.

Ipsa itaque materies lubrici huius linimenti, quæ hic deprehenditur, non fecernitur certè à sanguine ope structuræ glandulosæ, ut quidem id volunt auctorum Celeberrimi, sed perfectò separatur extremis illis Arteriolearum finibus, qui ideò tam subtiles, multiplices, & tam singulari penitus apparatu  
in-

instructi sunt, ut efficiendo huic operi aptissimi sunt: vascula enim arteriosa serosa hic ita construuntur, ita ordinantur in suo decursu, ut simile alibi non spectemus. Cur autem hæc subtilitas, figura, reptatus, situs, non sufficerent producendæ singulari indoli hujus humoris? quare esset opus accedere glandulæ naturam præterea, ut idem fieret. Nonne demonstravi jam dudum alibi in Hepate, Liene, Testibus, extremitates vasculorum arteriosorum solas esse, & sufficere, ut peculiæres illi humores, suis singuli locis, conficiantur, sine ullâ glandulæ cujuscumque accedentis ope. Si porro objicere quis vellet, omnes humores simul confusos in sanguine arterioso contineri, ideoque tantum esse opus, ut ab hæc universali, omnesque humorum species continente, humore singulares illi separentur, ita quidem, ut Fel, Lac, Oleum, Semen, Saliva, jam hærentia verè in ipso sanguine tantummodo inde rursum separentur: non habeo aliud quod dicam, nisi me credere, verè quidem materiem horum omnium jam adesse in sanguine, interim tamen liquores hos peculiæres, antequam tales evadant, omninò adhuc peculiari debere, elaborari, & in singularem suam naturam acquirendam ulterius perfici: hæc autem omnia perfici videntur & absolvi per mirabilem apparatus extremorum vasculorum, quæ propterea tantâ diversitate fabricæ deprehenduntur in qualibet parte, ut conficiendis tot diversis humõribus pares evadant. Causa tandem, quæ opinioni de glandulosâ hîc loci fabricâ originem dedit, hæc imprimis est; in vasculoso illo apparatu locantur ubique exigua membranacea, receptacula, similia iis quæ in intestino recto imprimis, ut & intestinis tenuibus observantur, quæque versatissimus in Anatomicis *Listerus* donat nomine agminis glandularum, de quibus postea dicam. Circa receptacula hæcce innumeralia vascula sanguifera, telâ aranearum subtiliora, atque decursu omninò singulari disposita videmus. Neque apparere hæc vascula possunt, nisi prius cerâ rubrâ bene repleta fuerint, dein radiis solaribus rectâ allapsis in cœlo sereno, observentur per oculos boni microscopii adjumento usos: ubi enim omnibus his beneficiis simul adhibitis non uteris frustra hæc inquisiveris. Atque inde sane fit, ut pauci futuri sint, qui hæc conspiciere valebunt, vel in ipsis præparatis ritè partibus. Ego autem

tem, qui tot annorum experimentis sensim, omnia tentando, bonâ sæpe fortunâ adjutus, hæc inveni, soleo quotidie fere variis illa hominibus ostendere, atque inde audeo afferere, extremitates harum arteriolarum aptas natas lubricum hunc humorem ex ferofâ sanguinis materiâ secernere, atque in cavitates illorum receptaculorum lentê, sed perpetuò, infundere. Quas postea lacunas *Boerhavianas* appellabo: quia singularis ille meus Amicus, in Academiâ Lugduno-Batavâ, Professor Botanices, Chemiæ & Medicinæ, primus de his mihi locutus est. Licet autem vascula hæc tam subtilia sint, tamen humor inde secretus potest spisso lentore lubricitatem hic requisitam adipisci, dum in recessibus harum lacunarum remoram passus inspissari facilê potest. Ubi autem medii articuli effusus inter articulos attritus, subtilior hunc redditus, maneat, postea inquiram: suffecerit hodie ostendisse, Arteriolas solas esse unum organum secernendæ huic materiæ.

## IV.

*De Mesenterio.*

**N**imis innotuit Anatomicis, Mesenterium subtili membranaceâ fabricâ constare, quâ intestina tenuia annexa in hemisphœrii speciem retinentur: verum non diu est, quod intentiore animo & oculis contemplarer fabricam ipsam hujus membranæ, tumque nova satis nonnulla mihi se conspiciunda obtulerunt. Evolvi itaque, quæ alii super his commentati fuerant, atque expresserant figuris. Sed apparuit, quædam effugisse tamen illorum aciem. Sanê recondebar, sæpe mihi observatum, & olim, fuisse; homines, quibus vulnera inflicta utque in cavum abdominis ita, ut etiam perforassent hanc mesenterii membranam, lethalia fuisse intra duos tresve dies Interim re accuratissimê, ut oportet pro renunciatione coram Judicibus, examinata, nec vulnerans instrumentum ulterius penetravisse apparebat, neque ulla præterea pars alicujus momenti fuerat læsa, ut accurato & sollicito examinatori liquidò constabat. Sed gravissimis hi homines, & assiduis doloribus fuerant afflicti, qui abdomen intolerabili cruciatu exagitaverant. Quis  
tamen

tamen auderet hæc vulnera lethalia pronunciare? Profecto nondum id auctoribus placuit, qui super his scripserunt. Intellexi dein ab Ornithotrophis, quod, cum Gallos castrant, eisdem illicò jugulent, si animadvertunt in hoc opere mesenterium vel minimum læsum fuisse: sunt enim per experimenta certissima edocti, hos brevi morituros esse ab hoc vulnere, nec arte ullâ servari posse. Quæ quidem docent Mesenterium, licet neglectum, quam frequentissimè, maximi tamen esse momenti in vulneribus abdominalibus. Si autem semel tantum, vel forte bis, id mihi observasse contigisset, certè non ita haberem animadversione, vel commemoratione, dignum. Sed elapsi jam sunt anni quadraginta & octo à quo auctoritate Magistratus Amplissimi, urbani præpositus sum officio examinandi cadavera occisorum in Amplissima hac Urbe, ubi, proh dolor, nimis hujusmodi malefactorum hominum culpâ homicidia accidunt, ut deinde ad Judices referam de conditione vulnerum: atque in multiplici hac occasione testari mihi fas est, jam sæpenumero me expertum esse, quæ modo dixi.

Dum verò sedulò Mesenterii structuram oculis perlustro vigilibus, manifestò deprehendo plurimos subtiles nervos per illud distribui. Quin & evidenter cerno, extremitates Vasculorum sanguiferorum non ita terminari, ut icones Anatomicorum docent, sed habent se hi fines sic, uti ego hîc in figura depinxi: Ne autem dubitare quis jure queat de picturæ veritate, servavi partes, juxta quas hæ deliniationes factæ sunt. Sunt enim extrema hæc vascula tomenti instar subtilissimi tenuia, atque tam innumerabilia, ut totum Mesenterium rubescat penitus, postquam ejus vasa materie ceraceâ rubra injecta repleta sunt: quum interim absque hac præparatione ne oculos penitus effugiant. Equidem fateor, me non potuisse olim ita præparare Mesenterium: neque enim aliud difficilius hac in arte habetur, quam materiam ceraceam urgere eousque, ut usque in hæc vascula penetret, & tamen simul cavere, ne eadem propellatur ulterius. Si enim urgetur plus, postquam huc pervenit, tum Tunica cellulosa Mesenterii penitus eadem materie repletur; ubi autem tum & adhuc ultra premitur, oritur extravasatio præternaturalis materiæ ceracæ in forma globulorum rubrorum. Quamdiu tamen ceracea materia tan-

tum transit in tunicam cellulofam, tamdiu nondum puto extravafationem præternaturalem effe, etenim replet tantum cellulas hujus membranæ, veluti extremitates Arterioforum idem efficiebant in vitâ pro nutritione. Atqui cõ non oportet, materiem propellere, quia tunc obscurantur & confunduntur fines extremi repletarum Arteriarum.

Quin etiam videmus in Mefenterio glandulas plurimas tam majores, quam minores. Sed in humano Mefenterio nunquam Pancreas Afelli apparet, ut in ovibus, licet error hic magnus committitur à multis. Si autem Mefenterii vafa sunt repleta prius, tum hæ Glandulæ vagæ in humano Mefenterio deprehenduntur effici ex subtiliffimis vafculis fanguiferis, pulposa tamen fubftantiâ fimul appofitâ. Vafcula hæc mirabilia valde funt, five eorum fpectaveris ftructuram, five decurfum confideres: neque ullo modo exprimere hæc poffum, longe minus in figurâ depingere; fed in novâ meâ collectione Anatomicâ oftendere poffum, & volo dignis quibusque fpectatoribus.

Sed & puto maximè notandum circa Vafa lactea; quod Venæ lacteæ primi generis, tranfeuntes per has Glandulas, fe uniant cum Vafis lacteis generis fecundi: Id enim mihi patuit, quando tubulum exiliffimum introduxeram in vas lacteum primi generis, perque illum deinde flatum immiferam, ftatim enim tum flatus lacteas fecundi generis quoque diftendebat, ventusque in thoracicum ductum ufque transit. Præftabam id tubulis adeò subtilibus, ut fetam tenuem vix admitterent, quosque mihi hos in ufus parabat dexteritas incomparabilis eximii Mechanici Lugdunenfis, *Muffchenbroek*, ante quinquaginta jam & fex annos.

Quin imò cum gaudio reminifcor veterum laborum, quando vafa lactea fic inflata ex ipfo Mefenterio feparata eruebam, atque exficcabam in aëre, ut arefacta oculis exhiberem. Sed jam damnofa quid non imminuit dies! Nihil fimile efficere non poffum! Hebetata enim acies oculi, nec perfpicilla defectum fupplere poffunt. Venæ autem lacteæ primi generis oriuntur ex Inteftinis tam subtili principio, ut ineffabile id, & incre-



incredibile fit, ita quidem ut tomentosa horum exilitas absolute non possit ullâ figurâ depingi : ideo solebam ego infingere tubulos meos ad propositum modò enarratum in vas lacteum, quod pollicis lati crassitie distaret ab ortu ejus ex Intestinis. Si verò subtilis adeo est horum ortu, quis ergò credat pressione aëris, alterius ve corporis, Chylum adigi posse in oscula horum? Certè potius crediderim innatâ hæc, & insitâ à DEO, facultate peragi, quam forte non omninò ineptè attractionem posses vocare. Neque improbable mihi, sed demonstrabile, videtur, singulas quasque corporis humani, imò verò & universi, partes, à Creatore præditas esse virtute quâdam singulari, nec communi ita aliis, per quam potestatem infusam valeant commodè & certò id præstare, cui efficiendo creatæ sunt. Et opinor Chylum, ad Glandulas Mesenterii vagas delatum, ibidem quodammodò perfici, limpidiorem & puriorem reddi, ope Arteriolearum pulposis extremitatibus suis, forte subtilissimos illi humores assumentium; atque ita perfectiorem hunc Chylum porro deferri in ductum Thoracicum : receptaculum enim Chyli naturaliter in homine non reperitur.

Sed & Pinguedinem per Mesenterium distributam reperio tam numerosis ornatam vasculis sanguineis subtilissimis, ut integrè rubescat, postquam materiâ ceraceâ illa replevi : deinde verò arte non vili reddere possum eadem tamen vascula distinctè visibilia : quod quidem artificium inter cætera eximium est. Non ita dudum est, à quo id efficere didici, nunc verò certò id præsto, ut in Icone hic depingendum curavi, cujus prototypon in Thesauris meis asservo.

Quin & id memorabile narro, Venas Mesentericas in equis Valvulis veris hinc inde præditas à me observari, quod nunquam in corpore humano mihi, forte nec aliis, observatum novi.

Vidi semel in toto vitæ meæ Medicæ decursu, Mesenterium humanum apostemate purulento computruisse, atque inde ipsa quoque intestina, soluta suis Mesentericis vinculis, libera & confusa in abdomine fluctuasse, dum interim sic affecto homini vita nihiloominus, licet brevi quidem tempore, fuit superstes : propriis ego manibus cadaver hoc incidi, rem-

que verissimè sic se habere expertus sum. Neque memini tale quid aliis unquam visum, vel descriptum fuisse: quamvis de Omento talia observari satis frequenter occurrat.

Aliud quondam mirabile, scrutanti mihi visum fuit, unde dubitabam an forte, præter sanguinea, chyliifera, lymphatica, pinguedinosa, nervosa vasa, alia adhuc darentur in Mesenterio nec descripta huc usque, nec nota. Id certò Tibi, & sincere dixerim, olim mihi contigisse, dum brutorum corpora aperiebam præ inopiâ cadaverum humanorum, ut in Mesenterio ovis invenerim partem culmi graminis, quæ locata erat inter intestina, & inter Glandulas Mesenterii, neque hærebat tamen in venis, nec in ullo genere vasorum notorum, tamen in Mesenterio. An ergò latent ibi in vivis vasa adhuc ignota nobis, & post mortem fugientia? ut *Acelliana* olim & *Pecquetiana* meminisse innotuerant. Certe contigit mihi videre in cadavere foeminae, quæ Amstelædami vitam egerat, atque ingentem habebat calculum in altero Ureterum, cujus obstaculo impediabatur transitus materiæ purulentæ ex Rene illius lateris in Vesicam; inde autem intumuerat ureter usque ad eò, ut speciem referret Vesicæ Urinariæ: quum intento hæc scrutarer animo, miri quid observabam: nam ex prætumido illo ureteris loco ortos vidi plurimos exiles tubulos, qui, inde progressi versus partem Abdominis sinistram pleni erant purulentâ illâ materie, Me stimulabat quidem hæc ulterius prosequendi cupido, sed pietas amicorum prohibebat majorem cadaveris lacerationem.

Quis verò omninò definivit hætenus, an & viæ, quibus fertur in Vesicam urina, aliæ haud sint præter eas, quas agnoscimus hodie?

Id quoque hæc opportunitate commemorare fas esto: me inter rarissimi na quæque asservo mihi binas acus ex ære confectas, quas anno elapso *Samuel Lion de Bonavente*, Chirurgus expertissimus apud Judæos, me præsentem eduxit ex digito extremo puellæ Octo. annorum, quæ ibidem ultra annum hæserant, dum nemo sciret, quando & quâ viâ, eò penetrassent. Vide Figuram, 4. Tab. 1. Equidem satis novi aciculas acutas quandoque intra corpus fuisse reconditas, sed binas aciculas cupreas, capitulo globoso instructas, sibi invicem accumbentes ex anteriore parte digiti educatas alicui fuisse, quis vel fan-

do audivit? Certè vel factu videtur impossibile? Vidimus olim, & sæpius fallacias atutorum, quibus miræ artis ludricæ specie imponebant ignaris: illæ verò facillimè poterant detegi. Quis autem ullo conductus prætio patiebatur, duo talia corpora sibi infigi in apicem digiti. Hæc certè longo annorum spatio quam miserabilissimè fuerat conquesta de immanitate intolerabilis doloris, quo excruciabatur: imploraverat opem variorum Chirurgorum, qui incassum plurima tentaverant: nec reperiebatur, qui vel divinando assequeretur, quod hoc esset mali. Nec mirum: Si enim in pingui valde, vel carnosa parte corporis id contigisset, licet mirabile & tunc fuisset, tamen forte visum fuisset possibile? has verò aciculas quis quæreret reconditas intra gracilem partem quæ, tenui forte parcâque pinguedine tecta, cæterum tota tendinibus constat, vel ligamentis, & ossibus.

An tamen minus Tibi mirum videtur, hominem ore suo evomere perfectum animalculum, quadrupes, cani simile? Id autem in Thesauris meis Anatomicis jamdudum edidi. Sed jam servatur in Thesaurio illo incomparabili, quem jam possidet *Serenissimus Rufforum Imperator*, qui voluit mea hæc tot annorum spatio, tantâ sollicitudine, tantâ industriâ, à me collecta, sua fieri. Sed gaudeo hæc nacta esse hospitium in *Aulâ Principis*, cui vix alius inter Principes Europæ comparari potest, si spectes indefessam diligentiam, qua *Historiam Naturalem* indagat. Vix credibile unquam fuisse tam excelsum Monarcham, qui tantâ cum mansuetudine, lenitate, patientiâ, humanitate, interrogare, audire, & admirari, vellet artifices bonos in suâ arte narrantes, respondentes, docentes! quam docilem, imò verò quam supplicem; se præbebat non auditorem modò, sed & Discipulum Clarissimo cuique in omni artium genere Magistro? Voluit utique doceri à me fabricam humani corporis ante XX annos, tumque Intentissimo animo me audivit, super omnibus rogitabat sedulò, atque habebat in memoriâ semper, quod viderat femel.

Quum autem ante triennium huc reversus me primum domi meæ invisit, porrectâ salutans dextra exclamavit, O! mi Præceptor senex, tantoque affecit honore, quem privatus nemo à tanto Monarchâ expectare potuisset unquam.

## V.

## De Saliva.

**S**alivam fanitati tuendæ non utilem modò, at verò maximè necessariam, esse, historia, quæ sequitur rara satis demonstrat. Puella Amstelædamensis annos jam nata XII. passâ fuerat ulcus serpens nomodes, quod ita affecerat inferius Labium, ut magna ejus pars exesa ingentem plagam ibidem ostenderet. Turpe fuit spectare faciem inhonesto vulnere læsam, sed longè tamen deterius erat stillicidium perpetuum Salivæ, quæ ingenti copiâ, assiduò, per hiulcum patensque manabat vulnus: coacta inde misera erat gestare manu semper admotum labio muccinium, quo comperceret defluentem humorem, eumque simul linteo admoto absorberet. Obtulit bona fortuna obviam forte; illi Celebratissimum illum Chirur- gum Amstelædamensem, nobilem certe felicissimo artis exercitio, *Petrum Adriani Verduyn*, qui spectans miseriam, humanissimè rogavit, unde nam ipsa, quibusque nata parentibus? Postquam ex responsis intellexit, parente orbam utroque, ali jam in publico Amstelædamensium Orphanotrophio Menonitarum, percussit illicò commiseratio animum: quid ver- bis opus? adit ultro Curatores illius ædis, & obtulit se, ut tantæ calamitatis onere pressam levaret, nec aliam mercedem petere velle, nisi afflictæ solatium. Committitur actutum ægra viri curæ; qui margines induratas utrimque sic abscidit, ut cruda manarent sanguine, ut in labii Leporini curatione fit, dein trajectis binis per labium acubus vulneris crepedines ad se invicem apposuit, filamentisque firmavit secundum artis præscripta, coaluit intra dies VI. vulnus ipsaque ægra fuit perfectè sanata, ut omnem jam salivam commode in ore retineret, idque in hodiernum usque diem feliciter sanatum per- mansit.

Quod verò hac in historiâ præ cæteris maximè est memori-  
bile; ægra illa, dum patiebatur assiduam hanc Salivæ jacturam,  
ante

ante curationem, corpus habebat tenellum & pro ætate suâ admodum exile, sed & proceritatem neutiquam nacta fuerat annis suis convenientem; verum simul ac arte hac sanata fuit, statim increfcere cœpit, ut justam brevi corporis magnitudinem adepta fit, fueritque summæ admirationi omnibus, qui eam prius noverant, ob insignem hanc, citamque, mutationem. Quam errant igitur, qui, salivam pro recremento noxio habentes, eam abjiciunt, eoque pulchrius valere putant hominem, quò frequentius eâ corpus exonerat, eum in finem Sialogoga adhibentes, & offas tenaces manducandas. Ego contra sæpe vidi ex defectu hujus humoris cibi fastidia oriri: quare & soleo suadere iis, qui ab acutis convalescunt, quibusque frequentius salivâ os affluit, hanc deglutire velint; quin etiam in diuturnis sæpe affectionibus incidit. Salivæ affluxus ingens, quam ubi exspuunt, labuntur in deteriora ægroti, qui sitridui spatio patienter hanc absorbere, sanantur felicissimè.

Accidit, me vocari ad Matronam Amstelædamensem, quærentem de macie extremâ consumpti fere corporis. Depræhendi fœminam adeò debilitatam, ut vix ægros traheret spiritus. Deseruerant hanc desperantes omninò de sanitate medici; dum circumspicio ad omnia, ut inquirerem in causas mali, video forte omni eam temporis momento exspuere in vas à latere appositum salivam, sicque totum profectò exhaurire jam ferme aridum corpus. Dixi ilicò, temperaret sibi, deglutiret, non ejiceret; hunc benignum humorem. Mirum videbatur, adeoque repudiabat primò, consilium, asserens omnino id fore & impossibile sibi & noxium. Ego instare, faceret. Obedivit. Quæ rerum mutatio? brevi sanata fuit absque ope, sine necessitate, alterius auxilii. Nec semel id evenisse vidi, imò verò sæpe numerò. In fine quippe morborum malum id commune est. Si negligetur, sæpe tum lethale evadit.

VI.

*De Valgis.*

**O**Berrat hominum genus obtortis ita incedens cruribus ut genua ambo fere se mutuò tangant, dum pedes plus distant  
in-

infra. Dubitabam olim quid id esset habendum mali an ? mollitie orireretur ossium, ut Rachiticis infantibus, an tribuendum potius ligamentorum laxationi eorum, quibus necuntur Femoris & Tibiæ epiphyfes. Ambigenti super hac re occurrit Valgi & adulti quidem, cadaver. Perscrutabar ilicò, statimque intellexi, rationem morbi. In utroque scilicet crure, cavum interius summitatis erat longè magis depressum, quam cavum ejus Tibiæ externum. Id quomodo factum fuerit monstrat Figura; 2. Tab. 2. unde debuit necessariò pars interna hujus articuli vergere in contactum, atque inclinare. Qui igitur curandos hosce homines suscipiunt, postquam adoleverunt, atque instrumentis, vel ligamentis rem aggrediuntur, peccant; est enim impossibile adultiori ætate unquam efficere, ut cavitas assurgat, vel elongetur tuber Femoris illi cavo respondens. In tenerâ autem adhuc ætate, idonea instrumenta multum præstare, malumque hoc præcavere valent. Sed & illa Medicamenta, quæ aciditatem humorum ad ossa delatorum mitigant, atque natam inde mollitiem ossium firman.

Quamvis enim pauci rem absolverint experimentis, certus tamen sum, ossa humana ab acido quodam liquore penetrata, ita emolliri, ut obsequiosa reddita, tenacitatemque adepta vimineam, flecti queant, ut in Rachiticis, Scorbutisque, fieri videmus. Ita quidem puerorum ossa, macerata diu in liquore acido facto, sic emollita inveni.

An non & inde ratio liquet memorabilis morbi, quo affecta virgo in Galliis, omnia habuit corporis ossa pastæ adinstar mollia? Cogito autem nihil posse accidere pejus infantibus, quibus sic affecta sunt ossa, quam quod cogantur insilere suis pedibus, aut, quod priori adhuc majus malum, ambulare. Præstæ enim incumbentis molis pondere juncturæ molles dilatantur, itaque pariunt omnia mala, quæ Rachiticise venire dolemus quotidie. Inspice modò figuram appictam, ubi curvatura ossis Femoris. Vides ibidem quatuor digitos pedum adulti hominis, in quibus extra cutis superficiem spectabiles occurrunt Papillæ cutaneæ, Epidermide & Reticulari corpore, nudatæ: certè ita prominent, ut luculentissime appareant, si

si exposito radiis solaribus objecto per Microscopium bonum inspiciuntur : quia autem Papillæ hæ ex Nervorum prodeunt extremitatibus , non rarò inde oriuntur clavi , dum pressis nimium per arctos calceos pedibus adunantur Papillæ plures , inde in callosam , cartilagineam aliquando , vel & in corneam , aut ungui similem materiem indurescentes. Neque mirum etiam tam periculosos sæpe , imo & lethales , evasisse hos clavos , ubi incautus magister male hos fuerit aggressus.

## VII.

*De Glandulâ Thymo.*

**N**ulla fere humani pars corporis uberiolem præbuit materiam altercationibus , litibusque , quam Glandulæ fabrica : dum ambigitur interim hæctenus quænam sit singularis hujus structura , quibusnam constet partibus , quomodo in veras differentias distribuendæ ex lege naturæ Glandulæ sint , quis denique harum verus sit usus ? Si itaque meum hæc institutum foret , ut accuratè recenserem auctores , qui bene de his commentati sunt , & quænam sint illa , quæ scripserunt de hisce , id fanè argumentum magnum satis volumen posset implere , & forte multum sic boni temporis periret incassum. Igitur hac vice solum aperiã , quid sentiam de Thymo Glandulâ , & quidem breviter ; obnixè interim flagitans , ut meliora edoctus mihi impertire dedignari haud velit. Olim juvenis sedulam assiduo operam navavi in excolendâ comparativâ Anatome , tumque equos sæpenumerò , multoties & boum corpora , incidebam investigandi ergò ; accidit semel , ut , Thymum scrutatus in bove , visus mihi sim detexisse singularem in eo ductum , quo secretus illius fabricâ humor abduceretur. Persarum mihi videbar Rege beatior ! Vena apparebat liquidò , quæ per Thymum distribuitur , tam pellucidæ fabricæ & tenuitatis , ac si foret vas Lymphaticum sine valvulis , in unam ex venis Mammariis se exonerabat , ilicò commisi pictori , ut exararet ejus icona , cum ipse eo quidem tempore necdum dextrè satis pingere possem , feliciter rem expressit figurâ pictor : quum tamen postea consideratius hoc expenderem negotium , eru-

dito orbi impertire nolui rem. Sed quid eo fecissem mali? Manifestò ramus hic ex Thymo ortus, inde decurrens in Venam Mammariam se exonerabat; quum interim canalis hic non esset ulli alteri similis, utpote pellucidus, tenuisque perfectè instar Lymphatici vasis: si usus hujus erat, reducem ab hac Glandulâ sanguinem Venis inferre, undenam igitur huic unita ab omni aliâ venâ sanguiferâ diversitas? Profectò Venæ lacteæ primi generis sunt crassioribus constantes tunicis fortioribusque, quam lacteis generis secundi: Chylus per lacteas Venas primi generis fertur in Glandulas Vagas Mesenterii per superiora harum, atque per inferiora earundem iterum ex iis exit, deinde autem lacteæ secundi generis latiores sunt, atque fabricæ æquè tenuis & subtilis quum est vasorum Lymphaticorum, habentque etiam valvulas pauciores. Nonne est in naturâ ratio, cur hæc ita se habeant? Si ita censes: erit itaque & causâ certa singularis hujus in hoc ramo Thymi structuræ.

Interea tamen, quid hujus sit rei in homine, cujus tam parva est respectu bovis magnitudo, nondum detexi: nam olim contentus fui vasa hæc acere inflato replere, ut & hic feceram. Quidquid id est, apparebat certè in Thymo ille pellucens, tenuis, ramus, quem pro excretorio ductu habui, sique ille ita semper, ubique eò loci reperiretur, ambiguum restaret adhuc, an meritiò agnosci deberet pro excretoriâ fistulâ? Id dabitur, opinor, hanc ejus tenuitatem haud frustra talem dari. Neque credere què Venas corporis solum reducere sanguinem Cur enim Venæ Mesentericæ sanguinem modò veherent in sinum Venæ Portarum? Quare non æquè in se forberent potum; Chylique tenuiora? ut cruori hic misceant. Si autem negas ductum illum Thymi, credas interim mecum, paratum Thymo humorem venis in Cor deferri. Neque alienum Tibi videatur à verò, dum paratum dico in Thymo humorem: neque enim credibile id solâ absolvi percolatione ut in cribro. Sed singularis ultimarum Arteriolearum compages solâ apta nata est, quæ humorum delatorum exceptas partes in novas formas mutet, subigat, pinsat. Thymus itaque, quum Glandulâ sit, solis igitur constabit vasculis, non Glandulis minoribus: Id enim si foret singulæ tum hæc particularibus membranulis distinctæ.



stinctæ esse deberent, quod nemo demonstravit hætenus, ideòque juxta Anatomicas leges non licet illa fingere.

Videtur utique simplicior, ideoque proprior vero, measententia. Nonne enim ex meis constat abunde demonstratis, extrema vasa longè aliter formata esse, ubicumque aliis præparatur & separatur humor? Si quis dubitat super his, potest in omnibus visceribus à me præparatis id perspicuè videre. Habet enim Invictissimus Russorum Imperator in suo Thesauro omnium specimina. Quin & domi meæ labore improbo recentia ita iterum adaptavi, ut & ibi cernere liceat. Sunt quippe aliæ in ventriculo pro cibi attritu & coctione; aliæ in Hepate, quibus fit bilis, absque ullo Glandularum apparatus; in Renibus penitus rursus diversæ ad separanda putrida de sanguine olea & sales. Tu verò, qui hæc aliter censes se habere, quæso tua, & mea ego, oculis subjiciat fidelibus!

## VIII.

## De Sterno.

**I**nter ea, quæ accuratius definienda erant in vera partium corporis humani fabricâ & illud meritò quæras, quid sentiendum sit de cavitate, quam sub Sterno, inter separatas mediastini pectoris membranas, adesse imaginantur plurimi, & quam solent considerare, ac si habenda foret tertia, vel quarta, Thoracis camera. Ajo hanc nunquam in homine dari, quamvis celebres Anatomici eam descriperint, atque figuris etiam simulaverint. Novi & Chirurgorum celeberrimos hanc posuisse, atque etiam asseruisse sæpe prægressa inflammatione hanc repleti pure, quod dein Sterni perforatione per trepanum educere aggrediuntur. Inquisivi in hanc rem eà quidem, quam veri amor requirit, sedulitate, & reperi constanter, nullam omnino talem cavitatem hic unquam adesse. Si enim in cadavere humano incidere accuratè interstitia extremitatum ossearum in Costis, & Cartilaginum, quæ Costas Sterno committunt, sique tunc prudenter porrò & lentè, Sternum leniter separas ab anteriore parte, spectabis certò, nullam ibi cavitatem reperiri. Sed, quandò deinde liberatum ita Sternum à Me-

diastino & Pericardio elevas, tunc Mediastinum utrimque à pleurâ recedens speciem cavitatis efficit; inter geminatas Mediastini membranas: quæ tamen cavitas prius à naturâ non erat efformata. Quin imò, quoties Pleuram membranam deduco à subjacente membranâ cellulosa, etiam & tum efficitur cavitas, quæ semper quoque factitia modò est: ut de priori dixi. Nec apparet ullus cavitatis illius fictitiæ usus, nulla necessitas.

Attamen, ut rem hanc quam certissimè oculis exhiberem, ita rem aggressus sum: Infantis cadaver in Trunco descendente aperui, tum materiâ replevi ceraceâ, sic quidem, ut Cor & Pulmo integrè replerentur affluente materiâ; id postquam effectum, totum hunc Thoracem transversim discidi, tam infra Cor, quam supra illud, ut solent piscium majorum corpora in segmenta, vel tomos discindi. Quid tum? ne minima sanè cavitas sub Sterno apparuit, quæ profectò debuisset inveniri, si naturali ibi formaretur lege. Sed nihil minus. Hæret ubique contiguus Pleuræ Pulmo, jacet in medio Cor, ut in homine vivo, ita positum, ut apice suo spectet lævam. Posteaquam igitur ita clarè hæc videram, deinde segmentum illud pectoris balsamo condivi, locumque sic parato dedi inter sicca mea recentia præparata: simulque ibi apposui Sternum, unâ cum adhærentibus Costarum cartilaginibus parvuli infantis; quæ quidem felici adeò artis successu præparata, ut non modò Mammaria & Intercostalia, vasa sanguifera, sed & illa, quæ musculos perreptant Intercostales, penitus & distinctè sint repleta, ut totum hoc præparatum distinctissime & nitidissime in conspectum veniat, absque ullâ, vel minimâ, evasatione præternaturali materiæ; sed pulcherrimè videtur ceracea materies instar roris tenuissimè diffundi, quemadmodum & humor nolter Chylo-ferosus viventibus nobis in alimentum ita dispergitur. Sed & Cartilagines Costarum præcipuæ pellicide hic remanserunt. Puto autem nihil reverâ in hæc arte difficilius, quam hoc ipsum efficere; quod pulchrè noscent illi, qui per has incedere salebras animosè conati sunt. Servandum igitur cum curâ hoc ipsum, & inter rarissima mea reponendum, censui, ne mihi auferant fures, qui pro amicis in conclavia mea admissi, infanda audacia rapiunt, exque ædibus meis auferunt, quæ ipsis monstraveram, ut votis eorum satisfac-

facerem. Neque his contenti rapinis, in alias deinde regiones & regna, furto hæc ablata mea circumferunt, pro suis ostentant, suâque se arte & manu talia jactant se parare posse. Elapsi sunt aliquot menses, quando Penem humanum, incredibili labore, summa cura, & eventu felicissimo, ita præparaveram, ut nunquam tam pulchrè, luculentissimè & quam distinctissimè, in oculos se offerebat corpus Nerveo-spongiosum utrumque totum, tum & ipsum integrè hic expansum corpus Nerveo-spongiosum minus, ejusque supra Glandem expansa fabrica, sed etiam apparebat Paraphymosis Tunicæ cellulosæ, atque vera Urethræ fabricâ, unâ cum ambiente undique spongioso corpore. Pulcherrimum hoc fanè omnium eorum, quæ unquam mihi contigit parare potuisse, liberaliter ostenderam homini indignissimo, omniaque ipsi explicueram, quem honestum putabam. Quid verò mercedis ab eo retuli? Avulsit à suo, quo sustentabatur pedunculo, atque furtim secum abstulit. Alii similiter in Anglia & Galliis similes rapinas ostentant pro suis, dum costas ita à me summo labore præparatas cum musculosâ appendice conspiciendas circumtulere: sed cautiorem inde factum me cogunt, minus liberaliter deinceps mea roganti cuique conspicienda offerre. Si quis unquam viderit humanum Penem ita ut descripsi præparatum, certus esto hunc mihi ablatum esse, & quidem furto: nam hætenus similem nemo vidit, nec ipse unquam potui sic efficere. Vir egregius & Nobilis *Dassel*, qui habitat Lunenburgi possidet etiam paratum à me, & missum per me ipsi ex ejus votis, sed longe distat ab eo, quem commemoravi.

## IX.

*De Circosele, Herniis variis & Vesicâ Urinariâ.*

**U**Tinam, qui inventis nova imponunt nomina morbis, curam semper gerent, ut in his formandis observaretur sedulo convenientia vera nominis cum ipsâ rei, cui datur, naturâ, ut ita vox exprimeret rem eâ designandam. Quænam, quæso, causa faudet, Venas Testium dilatatas dominare appellatione Herniæ Varicosæ? Nonne aptius Varices Venarum Spermaticarum appellasse oportuerat? Revera non est alia, hujus

mali indoles, nisi tantum, quod sit congeries Venarum, quæ ultra nativam suam magnitudinem dilatata, atque spiffiores redditæ, apparent. Hernia autem, quum alterius longè ingenii sit, nequaquam confundi debet cum illo malo. Est nimirum hæc dilatatio, nunquam ruptura, Peritonæi, in quam dein extra suum naturalem situm se immittit, Omentum, Intestina, Splen, Vesica, Uterus, imò aliquando integer foetus, ita quidem ut hæc omnia sic emineant, ut externo tactui palpanda se præbeant. Quid autem id est, quod Varices Venosæ commune habent ulli horum? Certè nunquam circa has Peritonæi dilatatus sacculus invenitur.

Neque mireris iterum, me inter corpora Hernias facientia Vesicam, Lienem, Matricem, & Foetus integros enumeravisse: id enim in praxi meâ medicâ observavi, sed non licet jam describere: quia à proposito me averteret meo. Varices Spermaticarum facilè detegunt exploratores digiti in Scroto, dum atrectando partes lumbricos se attingere quis putet.

Sed, qui hoc morbo laborant, dum nihil inde percipiunt mali, parum admodum id ipsum curant; plerumque autem validiore partium pressioni, aut contusioni, malum id debetur. Deprehendi tamen multoties provecioris ætatis hominibus inde natum Hydropem Scroti, quam iterum malè Herniam aquosam, vel Hydrocelen, vocant. Sanari quidem valet id mali, pertuso scroto ope instrumenti Trocart dicto, vel & lanceolâ phlebotomicâ, ut aqua vulnere exeat, sed citò plerumque recrefcit malum. Si autem curationem aggredieris aperiendo scrotum à parte superiore ad latus, tumque vulnus turundâ oblongâ unguento rosaceo mercurio præcipitato rubro permisso inunctâ oppleveris, donec lenis inflammatio, eique succedens suppuratio parva, membranulas stillantes putrefecerit, Tuque eas tenaculo eduxeris, sæpe dein perfectè sanatas observavi. Sed & aliquando Venæpositæ in Membranâ Dartos dictâ, quam ex proprietate suâ cellulosam tunicam appellare oportet, ita Varicosæ evadere possunt: sunt enim hæc tam numerosæ, ut postquam illas ceraceâ materia rubrâ repleverim, membrana hæc tota sanguinis rubicundissimi instar ruberrima evadat; Denique jam liceat mihi addere, suoque hic ordini inserere, quæ modò dixeram inter Hernias debere annumerari etiam Hernas Vesicæ

Vesicæ, Lienis, Uteri, totiusque Foetus. In primo enim casu, de Herniâ Vesicæ fas est asserere, hanc veram Herniam habendam esse: quoniam hæc quoque est dilatatio Peritonæi, in quam elapsa vesica urinaria, naturali suo excussa loco, Scrotum occupat. Videtur id quidem mirum, atque ab ipsa veritate alienum, imò ferme impossibile: tamen id contigisse bis tamen animadvertere mihi datum fuit. Quodque evidenter rem ita se habere demonstrat, id est, homines scilicet illi lotium reddere nequunt, nisi scrotum utraque susceptum manu premendo aquam lotii ita expresserint.

Utque res esset certissimus unius aperui cadaver præsentem Clarissimo Amstelædamensi Medico *Petro Guenellon*, & *Petro Adriani* Chirurgo, qui una mecum conspexerunt, rem ita se habuisse. Sed & Herniam semel vidi, ubi reverâ Lien replebat eo delapsus dilatatum Peritonæum. Casus mihi observatus in Nosocomio Amstelædamensi, Mulier fuerat annosa, cui lævo inguine ingens tumor, qui habebatur pro Placentâ uterinâ in Utero relicta post partum, atque ibi accretâ; alii putabant frigidum esse apostema. Sed in cadavere certò vidi Lienem eò fecuisse, atque hunc produxisse Herniam. Quis autem crederet, utrum unâ cum Foetu in illo hærente veram Herniam posse producere? Attamen & hoc accidisse semel quam optimè, quam distinctissimè, vidi. Non hic ita me capias, ac si intelligerem prolapsum uteri extra vaginam.

Imò longè aliud. Erat scilicet Nobilis Domina, cui dudum ingens tumor hæserat circa inferiora abdominis, quam proximè inguini, atque procedebat hic directè ex cavo Abdominis, brevi autem suppuratus tumor bene sanabatur. Haud ita diu hæc imprægnata fuit; sed quid fit? Novisti, mi Lector, sæpe numero post Apostema Peritonæi & abdominis, ut & post curata ritè vulnera in cavitatem abdominis penetrantia, manere in loco cicatricis obductæ debiliorem Peritonæi concreti rursus fabricam, undè post molimina magna, & impetus validos, dilatatur ibi læsus ante locus, præ debilitate acquisitâ impos hunc sustinere pressum, unde ingens tum fit, & Hernia periculosa. Omninò idem & hic contigit: uterus enim foetu crescente tumens dilatabat hunc Peritonæi locum, seque in sacco hunc dilatatum insinuabat eoque, ut foetus tandem cum utero

ad

ad genua usque penderat antrorsum; instantibus deinde parturientis laboribus, elevabatur ab obstetrice uterus cum foetu, ut in abdomine hæret tamdiu loco debito, sicque felix evasit puerpera, edito per vias naturales bene nato foetu. Nonne igitur hæc vera est Hernia in dilatato Peritonæo vero? Ut tandem in viam, unde egressa fuit, redeat oratio, in eâ sum sententiâ, quod Varices Scroti, quæ in juventute natæ fuerant, transeant in senio in Hydropem scroti: quia deficere incipiunt spiritus, atque hinc pendentes vires; quando venulæ absorbentes non amplius reforbent tam avidè, quam olim effusos arteriolarum extremitatibus humores halituosos, unde hic collecti partes magis debilitant magisque, atque ita tandem scroti Hydropem verum generent. Novi plurimos omne hoc negotium adscribere Vasis Lymphaticis; sed cur Venosa inde excluduntur? certè mihi videntur hæc præcipui esse in his momenti, & fere credo Ascitis, atque Hydropis *αὐτὰ οὐρὰ* causam, ut & omnis Hydropis, imprimis hæere in debilitate, & malâ affectione, extremitatum venosarum. Meministi, jam enim antea descripsi, totam Placentam, in quâ naturaliter non insunt Lymphatica, si retinetur corpore foemino totam quantam mutari posse in Hydatides, vel ampullulas aquosas, idemque visum in integro Hepate, ut vidi, & in Thesauro Cæsaris Ruffiæ apparet. Quid ni & idem in aliis posset obtinere? gaudent hos morbos ruptis adscribere Lymphaticis, idque fieri haud negavero; interim crediderim sæpius à recensitis hæc accidere causis.

Pauca jam superaddo de interiore membranâ, quæ vesicæ Urinariæ cavitatem urinæ contiguam facit. De quâ imprimis notasse juvet, portionem ejus à reliquâ separatum posse per vias urinæ excerni absque vitæ discrimine. Quis mortalium id fuisset unquam suspicatus? ego sanè nunquam. Sed fidelis observatio rem ipsam docuit. Utique erat puerpera, quæ acerbissimis excruciatâ & enectâ fere, doloribus in Ventre, & me vocari tandem, jussit. Præssus animique indagans ingenium, rogitò, an ritè quidem per lochiorum fluxum expurgata esset, liberata à secundinis, & num facilis illi fieret lotii excretio? Ad quæ quidem omnia posteaquam respondisset, quam prosperrimè se hæc habere, interim tamen audiivi intolerabiles esse prorsus ventris quos ferebat, dolores, præscribebam itaque

itaque clyfma, quod leniendo, & fopiendo dolori, effet idoneum, exhibito fimul ad mitigandam torturæ hujus sævitiem medicamento foporato; totum fimul jubebam obvolvi abdomen unguento, quod eft de Althæa, ficque receffi. Reverfus iterum reperiebam nihil horum profuiffe, pertinacem fubfiftere hætenus, nec leniri ullâ ratione, dolorem:fcificitanti denuò, an fatis commodè urinam fecerneret, refponfum quam maximè, idque testari plurima quotidie lintea, quæ illi appofita bene femper humectata inde auferantur. Requievi itaque fupra his.

Quid ergo? redeo, ut vifam, tertiâ quoque vice; obftupui autem nihil me quidquam promovere, licet uterer optimis remediis lenientibus, carminantibus, anodynis denique:quumque puderet nihil levaminis à me præftari ejulanti ægræ; exploravi tandem atrectando, totumque pererro digitis fcru- tantibus abdomen, quod incredibili turgens tumore, atque prædurum inveni Miratus Catheterem immifi in Veficam; profiliit extemplo immenfa lotii vis, fimulque doloris lenimen fibi gratulata fuit miferriima ægrotans. Geminatum deinde quotidie multis fuceffivis diebus idem id auxilii, cum levamine ingenti. Interim advertebatur, nigrefcere catheteris argentei fuperficiem, unde & mali quid latere in Veficâ haud obfcurè patebat: neque certè absque ratione id fufpicabamur. Ecce, poft paucos dies elapfos membrana occupat meatum urinarium, quæ apprehenfa, trahentifque obfequiofa manui, facile educebatur,educta fatis apparuit magna; curavi portionem ejus abfciffam in figurâ depingendam:puto enim id quam rariffimum effe. Certe mihi nunquam, nifi hæc femel vice, obfervatum. Ipfæ hæc mulier pofttea fana, felixque concepit dein, peperitque. Veficam huic inflammatione incenfam fuiſſe fufpicor, quam in Gangrænam fuperficiariam exiſſe deinde credo, ut conſtat exemplorum plurimis, villoſam Inteflinorum Tunicam, quæ Papillis nervofis ſcatet, ſeparatam à reliquâ Intef- tinali fiſtula ano exiſſe: poſteaquam Inteflina acri prius inflammatione, eamque infequutâ Gangrænâ, affecta fuerant. Voco autem hanc Inteflinorum Tunicam Villo-papilloſam, quia animadverti villoſam iſtam ſuperficiem penitus fimul eſſe Papilloſam, quemadmodum ſe habent interiora noſtrarum Ge-  

D

narum

narum in suo integumento , ut & Labia Oris, Oesophagus, Ventriculus, omniaque Intestina, quum sit in his omnibus ejusdem apparatus continuata productio. Verum quidem est, in unoquoque non æque clarum id apparere; quum in Labiis, Genis internis, & in Intestinis multorum hominum tunica hæc Papillas hæc nimis manifestas non possideat, attamen in aliis fatis conspicua datur. In buccis interioribus, & Linguâ boum, inque Oesophago testudinum, in primis magnum valde apparet, hoc papillosum corpus; ita quidem ut in bobus coctione integrè separari possit totum hoc papillosum tegumentum, ut Papillæ sub hoc eminentes appareant, Quoties verò contingit in homine post violentas nimis alvi purgationes tegumentum hoc ipsarum Papillarum deglubi à Papillis suppositis, tum verò cruciatuum infestissimi corpus aggrediuntur.

Quantusque dolor nascitur in Papillis Labiorum & Linguæ, quoties tenui suo involucro nudatæ sunt? Si in ea memet jam diffunderem, quæ alii de hæc tunicâ scripsere, quam Villopapillosam appellavi, quantus meæ scripturæ pateret campus; sed propositum mihi fixum est, parcissimus ut sim in recensendis alienis, totus in enarrandis iis, quæ ipsemet quotidie observo. Interim monitus esto, care Lector, me quandoque forte inter hæc exarare nonnulla, quæ aliis jam ante me descripta fuerunt: id ægrè non feras. Confirmo meâ tum fide observationes priorum, si repeto, si novi quid adfero, pretium tuli laboris, dum aliquâ in re profui. Novi quidem allegatorum auctorum citatione spissari volumina, ostentari eruditionem, debitam cuilibet assignari laudem. Sed has ego talium laborum laudes aliis non equidem invideo, mihi otium hisce ritè excolendis omninò deest: neque enim unquam nimis mihi mane lucet surgens Sol, semper vesperascit ocyus quam vellem, ita submergor quotidianis in Anatomè & praxi medicâ occupationibus.



## X.

*De Embryonibus, Placentâ, Ano imperforato, &c.*

**J**Am antea, aliâ occasione, dixi, haud ita facile esse definitu, quamdiu mater gravida possit mortuum in utero foetum gerere. Quin etiam enarravi jam prius, mortuum in matrice infantem non putrescere in pus, neque in ichorem resolvi, sed flaccescere modò, & evadere laxum, quamdiu os uteri probe obturatum manet; eo verò apertò, admissoque in cavum Uteri aëre, tum demum illicò in putredinem abire. Jam verò consideremus, quam arduum sit cum veritatis evidentia asserere, si mortuum ediderit mulier foetum, quamdiu mortuum gestaverit mater, adeoque quo tempore ille in matrice ante partum, mortuus fuerit, accuratè designare: sæpe enim mihi accidit, ut foetus ad me abortivos ferant, quos ajunt duobus, tribus, quatuorve à conceptu mensibus gestatos esse, neque tamen tum sunt, quos ostentant, grano hordei majores: quum tamen hoc tempore jam digitum vel sesquidigitum longi esse deberent. Sed non temerè credendum mulieri enarranti exquisitum suæ imprægnationis tempus: quia defectus menstruorum, quem referunt non ita certò indicat id, quod quæritur. Nunquid plurimæ mulierum his quidem destituuntur, licet imprægnatæ non sint! Aliæ mane vomituriunt quandoque, neque tamen ideò sunt gravidæ, imò multis matutinus vomitus quotidianus, absque graviditate: ita quidem, ut signa hæc potius incerta sint, nec verè pathognomonica haberi queant. Igitur, quando reperio foetum, utcumque parvum, collapsum esse, & præditum colore cineritio, quum aliter colore sit candido, semper tum certus sum, mortuum jam fuisse aliquamdiu in utero materno: nec dubito, quin sæpe tempus à morte satis sit magnum, id enim adscendit aliquando ad unum binosve menses, si consideramus diem, quo mater gravida terrore, motu violento, distractione corporis, fluxu uterino, vel sin ilibus fuerat affecta, & conferemus diem, quo abortum enititur. Neque enim toto hoc temporis spatio vel minimum incrementi unquam capit foetus. Si verò abortus fuerit, foetus trium vel

quatuor mensium, qui post mortem retentus erat aliquamdiu in utero, ille deinde in lucem editus habebit ex flacciditate partium collapsum caput, & truncum, apparebitque speciem gerens horridi monstri. Memini, sæpe me vocatum ad hujusmodi casus, atque invenisse afflictissimos parentes horum abortuum, quoniam falsò putabant se monstra generasse. Ego tum soleo consolari eos, atque asserere bene genitor hos foetus post obitum ita degenerasse in corpore materno diu retentos. Nec dubitabant amplius; quum viderent me inflando parum per fistulam hæc corpora ita rursus extendere, ut pristinam ilicò formam recuperarent, qualem ante mortem habuerant prius: caput enim globosum iterum figuram adeptum foedam turpis monstri imaginem amittebat penitus, collapsusque turgebat denuo in torosam venter speciem; lætati hæc specie parentes summas agebant gratias. Nec immeritò quid enim magis horrificum parentibus evenire queat, quam si loco humanæ sobolis terribilia progenerent monstra? Imò etiam decepti falsâ rerum imagine in ipso congressu aliquandò memores horrendi atque informis monstri, ipso forte generationis momento deturparent propriam prolem.

Vidistis imagines embryonum, quas excudendas curavi in meis Thesauris Anatomicis; & facile est ibi notare, quàm ratione successu temporis suam figuram quotidie mutant. Apparent quippe nulli omninò artus in primo embryonis statu, postea verò in locis, ubi humeri & femora deinceps apparebunt, tubercula modo exigua prominent, ex quibus post longam diem humeri, brachia, manus, femora, crura, pedes, explicantur & prodeunt. Consulatis quæso, Thesauros illos Anatomicos, illa namque, quæ ibi depingenda curavi, reverà omnia ita se habere, manifestò videre est in Gazophylacio Majestatis *Cæsareæ Russiæ*, ubi prototypa servantur. Quam immaniter autem differunt illa mea, ab iis, quæ iconibus suis impressis alii ostenderunt orbi literato? Sanè obstupui mirabundus, ubi conspexi picturam embryonis humani vix æquantis granum hordei, in quâ tamen manuum pedumque exhibebantur species: quum tamen tunc instar chrysalidum, absque ullâ apparitione artuum conspiciantur.

Itaque;

Itaque, si hi embryones, quando adhuc tam tenelli sunt, in utero materno moriuntur, inque eo post mortem adhuc aliquamdiu manent, tum semper deprehendo illos colore cinereo tinctos, & collapsos penitus; contrâ verò, si statim à morte suâ utero excluduntur, albô donantur colore, atque undique torosi sunt & teretes. En tibi hic ejusmodi embryonem, qui molem grani hordei vix excedit, hunc accepi à paucò tempore à matre, quæ referebat se tres menses gravidam fuisse, idque audire sæpe mihi contigit, examinans reperi compressum, tam parvum, non verò teretem, unde conjiciebam à longo jam tempore fuisse mortuum, & quidem forte binis mensibus antequam abortum hunc enixa fuisset mater: eo enim tempore quam maximè fuerat ipsi percussus ingenti terrore animus. Sed an animadvertis funem umbilicalem? Certè is longè spissior ipso embryone. Nec id infrequens. Utique sæpe sic vidi. Sed & alio casu filamentum instar subtilem inveni: forte causa tantæ crassitie est appressio adducti pabuli ad corpus Embryonis, quod in illud penetrare impos ita expandit vasa in Umbilico. Opus est proprium errorem corrigere me, quem admisisse me confiteor, in Thesauro Anatomico, ubi embryones depictos dedi. Est ibi embryo tritici semen æquans, à secundinis pendulus, cujus ibi placenta admodum videtur magna; sed ibi tum fui oblitus dixisse, quod ingens illa moles, quæ ibidem placentam repræsentat, non solum constaret corpore placentæ, sed maximam certè partem constaret ex grumoso cruore, qui illi arctè accrevit. Maximèque oportet considerare, placentulas eo tempore fere semper ita nasci, rarissimè autem accidunt ita puras excerni ex utero. Quando autem solæ prodeunt & separatæ, tum sæpe instar chartæ sunt tenues, aut dorsum cultri forte crassitie suâ æquant. In *Gazophylacio Imperatoris Russiæ* est hujus rei exemplum unum. Quam pulchrum verò! quam rarum! mihi sanè in tantâ observatorum copiâ semel tantum id videre contigit. Accuratissimè ibi natura modum suum expressit, cui ars solum præstitit conservandi modum. Est ibi placenta nuda, pura, sola, absque ullo adhærescente cruore, pendet in liquore ab embryone, qui articulum digiti magnus est, si me non fallit, memoria.

Liceat porrò hâc oblatâ mihi occasione pauca differere de rebus, quæ à præsentibus haud ita alienæ centeri possunt. Abundans nimis rerum copia paupertatem sæpe facere, obesse autem contra, inopiam, vetus est proverbium. Mihi fas esto addidisse, & nimis anxiam diligentiam aliquoties damnosam evadere. Nusquam verò effati hujus certior visa mihi veritas, quam ubi animadverti in illa, quæ fieri solent; & exerceri in adjuvandis parturientibus, neque vel ibi inanis perdi operæ, quam in educendâ post partum Placentâ. Hanc partem fœtus esse habendam, neque ad corpus maternum pertinere, ideoque ex utero matris post eductum fœtum debere abduci nimis certò constat omnibus. Interim contingit illam fundo matricis cavo convexitate sui corporis adeò accretam adhærescere, ut in unum fere corpus miris coaluisse modis fere videatur: quo quidem casu ambigi potest, quid salutare magis puerperæ habendum sit, hanc aliquantulum ibi relinquere, an verò omni ope obnixè moliri, omniaque vel vi tentare, eam avulsam inde educere? Est certè gravis ratio, quæ suadet deliberato adhæc animo esse, nec temerariâ præcipitantiâ perdere, quam prudens forte servavisset tarditas. Non me fugit scilarorum sententia scriptorum, qui ita animum inducunt suum relictam in utero placentam conjicere, in præsens mortis discrimen puerperam. Satis explorato cognovi, obstetrices ideò omnem adhibere conatum; ut arte, vel vi, hanc eductam ostentare queant amicis præsentibus. Sed dolui acerbè casum miserarum mulierum, quibus haud rarò læditur sic uterus à festinante nimis, & nimis imprudenter sæpe agente, obstetrice. Extemplo tunc abdomen prædurum tumet, febris incenditur continua, quam properata sæpe mors insequitur. Docuere satis *Paræus*, *Portal*, *Mauriceau*, & alii, quonam artificio placentam auferre de corpore tutò oporteat, quid autem agendum, quando præter consuetudinem nimis fortiter adhæserit, nimis parcè explicuère.

Obtulerunt mihi se casus, in quibus omninò erat impossibile, absque imminente mortis periculo Placentâ liberare matricem. Horum censeatur unus, quando, edito jam infante, contractio spasmodica, fortisque fit uteri in eo loco, qui est inter placentam & illam uteri partem, in quâ os matricis inter-

internum iterum se formare deberet postea. Scire enim est, post natum infantem, in utero nullum reperiri tale os, ut olim fuerat: sed ita omninò se res habet, ut in bursa nummaria, quæ loris transmissis constricta rugosum os format, laxatis autem hisce vinculis, ubique æquè lata est & expansa. Hæc itaque memorata jam constrictio uteri sæpe tam altè posita est, ut digitis, manu, carpo, & brachio, profundè in corpus immisissis, demum percipiatur: quin & arctationem hanc ibi adeò strictam quandoque detexi, ut digitum vix, imò vix admitteret, dum tamen pone hanc placenta renera hæreret. Quoniam, quæso, pacto ulli possibile erit artificii inde eruere vastum illud placentæ corpus, nisi lethalem sustineat inferre vim matri? Uti que morietur subitò puerpera. Vidi namque hanc præ cæteris causam dari, cur nec opinantes improvise moriantur post partum foeminæ: dum interea rerum suarum satagans obstetrix, quasi re pulcherrimâ gestâ, ostentat placentam, hancque integram, atque illibatam manu suâ educatam jactat. Quin & obtinet aliquando, ut, licet apertus satis uterus hiet hæctenus, placenta tamen ita teneat uterum, ac si illi concrevisset, expertus loquor: atque propterea, si artificiosâ tussi, aut nisu quasi parturientis factò, placenta non facilè sequitur, tumque digito juxta funem umbilicalem prudentissimè immisso, eoque prudenter placentam perterebrando ut separetur, & ne sic quidem succedit, fatius mihi videtur omne ulterius, periculosum semper, molimen ommittere, relinquere placentam, donec ipsa natura hanc, ut sæpe feliciter fit, expediverit. Attamen, post natum partum, mater liberata non est, quamdiu placenta necdum excussa! fateor. Sed, an non præstat ex binis malis minus eligere? Prudentius ergò relinquere placentam, donec natura hanc separat, aut donec laxata, magisque libera, manu evellere hanc detur, quam lethali festinatione occidere ægram. Putetne quis, boni quid contigisse trucidatæ mulieri, quod mortua sit sine placenta? Quæ cum illa poterat vixisse! Vera dixi. Placenta infantis, non matris, pars habenda. Natura incredibili conatu, & solertiâ, intenta semper suæ liberationi, atque relegationi omnis molestæ sarcinæ: rarò inde fit, restare in utero placentam, licet ibi viginti, imò & viginti quinque dies, post partum hæserit. Credite verissima asserenti, ex  
fede-

sedecim, quibus relicta placenta, quindecim à naturâ liberatas salutavi. Licet autem, quod quam rarissimè accidit, placenta remanserit; non tamen inde tantum mali, quantum olim creditum. Conclamata erat salus, relicta placenta! Fateor optandum, hanc tutò eductam: sed salvâ tamen vitâ. Si autem tota remanet tandem, quid illi contigit? Profectò uterus affiduò arctior redditur, atque perpetuâ suâ contractione affectans pristinam parvitatem, & figuram, ita comprimit remanentis placentæ corpus, ut in globosam arctèque compressam massam formet, quæ nihil de formâ placentæ retinens, tota fere in duram, carnosam, molem degenerat; Vidi attamen foeminas has imprægnatas iterum, bene natum idoneo tempore foetum enixas, atque postquam satis feliciter erant liberatæ ab onere suo tam foetu scilicet, quam secundinis, denique & hæc placentæ olim retentæ frustra jam demum excrevisse, quæ ignarum vulgus Molas, falsos conceptus, vel & monstra alimenti foetus persuctum rapacia appellitare falsò solet. Verum aliter tota hæc retentæ moles placentæ penitus amittens genuinam suam indolem, qui est merus vasorum sanguiferorum contextus, integro suo corpore permutatur in congeriem hydatidum, atque postrema hæc mutatio frequentior longe priori observatur.

Tum autem hæcce Hydatidum massa, incredibili augmento crescens, vasorumque horum adaugens numerum, denique tanta evadit, ut matulâ vulgari vix capi queat; imò, post excretam tantam massam, sæpe postea novas adhuc similes massas deponit.

Mirabiles has excretiones, nuper est admodum, quod bis viderim intra duodecim dierum spatium. Præbet enim populosissima Amstelædamensium urbs observationibus, alibi rarioribus inter pauciores homines, uberrimam materiem. Quantis figmentis, quibus fabulis, occasionem dedere prius occasionem hæc molis excretæ?

Pleni auctorum horum libri. Certe cuncta meræ sunt placentæ degenerantis soboles. Iterum itaque ingemino hoc meum monitum in salutem mulierum, inque correctionem erroris in arte obstetricia; scilicet placenta de corpore puerperæ, nullâ tutæ artis efficaciam securè potest educi salutare erit  
illam

illam ibi relinquere. Ipse ego meis manibus parturientes, ut obstrixiæ artis magister, liberavi, & deprehendi certò ita, firmiter sæpe hære utero placentam, ut, nisi exper tus ipse, nemo crediturus sit, quæ tamen ope naturæ, post injectum clysmata incitata, sequenti die feliciter torminosâ contractione abdominis exibat.

Alii persuadere voluerunt medicis, placentam utero retentam putrefacere, inde autem ipsum quoque uterum citò corrumpi, inflammari, gangrænescere, inde mortem necessariò sequi; sed longè aliter, quam quidem hi censent, res ipsa se habet: quia non corporis materni hæc, sed infantis, vera pars est, ut jam supra liquidò patuit. Exempla quotidiana, & utique quam creberrima me reddidere certum, edoctumque, placentam relictam si non citò solvitur à cohæsione suâ cum superficie uterinâ, nunquam autem in pus, ichoremve, abire, sicque in putridum liquamen redigi. Frustra quoque est ille metus quorundam, qui à retento placentæ corpore foetorem exhalare scribunt, qui purum humorem sanguinis ita quæat inficere ut hæcticæ feбри, inflammationi, similibusque malis, inevitabilem præbeat causam.

Quid enim fieret miserrimis mulierculis, quæ conflictantur cum calamitissimo morbo, in annorum durationem attritum corpus excruciantè? Uteri cancrum intelligo. Vivunt hæ tanto spatio temporis, interim foetorem penitus intolerabilem patiuntur, dum cadaverosa utero exhalans mephitis, fugat ab ipsis unumquemque. Sique Medicus, ut conditionem sævi morbi exploret, digito immisso perscrutatur uterum, ille tanto infectus nidore inde reducitur, ut ne acri quidem saponis lixivio eluere teterrimum halitum queat. Vana itaque illa omnia sunt terriculamenta ignari populi. Attamen hic ille sedet iudex. Quid enim agat obstetrix sapiens, quæ puerperæ præstans omne legitimum auxilium, quod ullo modo sperari potest ab arte bonâ, nec tamen possibilem invenit placentæ educationem, nisi eam vim, eam utero læsionem inferat, quæ incertam mortem illam conjiciat? Nonne præsentibus parturienti mulieres monebunt, urgebunt, jurgabunt, minabuntur? Nonne artis hanc ignaram damnabunt, magis peritæ mox opem implorantes? Certè ita fieri notam est: inde iterum incensa obstetrix fero-

citer sæpe rudem operam integrat, exitiales utero contusiones certissimè inferens. Mereor in his, ut credant mihi Medici: quum in amplissimâ hâc civitate quatuor annorum decursu artem obstetriciam ipse exercuerim semper & frequentissimè: deinde autem toto quadraginta annorum spatio præpositus fuerim ab Amplissimis Magistratibus urbanis officio Còlegii obstetricii, ut docerem examinaremque omnes, quæ huic searti exercendæ dedere volunt in hâc urbe, ut ipsis Anatomicas darem demonstrationes partium muliebrium, partui inservientium, ut responsa darem obstetricibus super difficili partu me consulentibus, denique ut scrutarer cadavera puerperarum ad rimandas mali partus, mortisque sequutæ causas.

Quemadmodum nixu forti per motum muscularem facto, adeoque per labores parturientium, utero pulsus in lucem editur infans, ita & placenta, membranæ, funis umbilicalis, simili vi corpore expelluntur. Sed quis observavit unquam inter omnes Anatomicos, quod uterus humanus habet fibras musculares, peculiare ita natus, sitasque, ut fabricâ suâ agente, solvant, liberentque placentæ convexam superficiem à concavâ superficie fundi ipsius uterini? Has nuperrimè tam manifestò detegere mihi contigit, ut nihil pulchrius. Scias igitur in illâ parte uteri, qui fundus illius vocatur, adhærere fere semper placentam. Quidquid ex speculatione rationis aliter dixerint nonnulli. Sed in eo accuratè loco sunt fibræ musculosæ, orbiculatim ita positæ, ita fortes, ut, dum se contrahunt satis fortiter, tum corpus uteri ibi contractum, rëgionemque redditum, ita dispõnant, ut placenta, extra has fibras posita, ideoque hanc contractionem non sequens, necessario à cohæsione cum utero liberetur, laxetur, excutatur: quum elapso anno perspicue hoc vidissem, neque observassem antea, illic hanc matricem ita conditi, ut maneret immutata, quo possẽm evidenter demonstrare hanc structuram unicuique. O admirabilem fabricam, quâ instruxit hanc unam uteri partem Sapientissimus Creator! Nonne observas cæteras uterinas fibras perplexè intertextas decurrere, ut motricibus suis viribus se contrahendo, fœtum exprimant? sed solum, ubi adhæret placenta, ut eam separent, in orbicularem posituram decurrunt. Si autem remanerent post partum fœtus membranæ, tum quoque multum solliciti



folliciti sunt plerique, de nescio quibus malis: quum tamen hæ nulli firmiter adhærentes parti, unâ cum fluentibus lochiis facilè separentur, quia modò madidorum instar linteorum vet. chartæ sibi invicem incumbunt, adeoque irritatus uterus nisu suo eas longè facilius separat. Est autem ad hæc observandum præterea, quod placenta utero hæreat semper eò fere firmitus, quò infectio funis umbilicalis magis perfectè centro infigitur placentæ: tum enim directio tracti funiculi æquabiliter trahit totum corpus placentæ, ideoque augmento contactarum superficialium non dimittitur placenta. Hoc casu debet digito perforari placentæ corpus, tumque prudenti ejus circumductione deglubi uterus à placentæ corpore debet. Quò autem funis propior est circumferentiæ placentæ, eò, cæteris paribus, facilius est placentæ separatio ab uteri fundo. Accidit tamen, ut invenerim funem satis propinquè circumferentiæ insertum, interim & tunc, licet rarius id eveniat, immobiliter adhæsisse matri placentam adeò, ut, si adhibitâ violentiâ eam educere tentarem, potius sequutus fuisset totus uterus inversus extrâ vaginam, quam ut deseruisset uterum placenta: observabam tamen placentam, quæ reverâ tam firmiter coaluerat cum utero, intra paucarum spatium horarum, solo naturæ urgentis nisu expelli. Contrâ verò vidi puerperas, quibus in tali casu, summâ vi eductâ placentâ, uterus ipse inversus ex corpore fuerat protractus, mortuas, simul ac in lectum suum essent repositæ. Cujus horrendi exitus nullus fuisset metus, si modò patienter fuisset commissa naturæ mollior separatio. Iterum ingemino, potest uterò retineri diu foetus mortuus absque magno matris damno. Nonne evidentissimè id apparebat in vaccino corpore, cujus observatam descripsi historiam? Tempus debiti partus a naturâ huic erat præscriptum mense Martio Anni 1717, ægrotabat, convalescebat, Novembri sequenti mactatur, atque vegeto, beneque faginato, corpore deprehenso gaudebant possessores, quum interim in hac vaccâ mactatâ vitulus hæret, satis bene valente corpore præditus, quem aperui, atque, in rei memoriam, splenem ejus & cerebrum præparavi, vasis sanguineis à me impleta, quæ necdum, quamvis tenerima computruerant. Forte rogas, qui noverim vitulum hunc semianni spatio in matre hæsisse mortuum? Certe bubulci

hoc norunt, quam accuratissimè. Sed quid opus exemplis ex corpore brutorum? An deficiunt experimenta mulierum, quæ mortuorum cadavera foetuum plurimos gestavere menses? Certè non eo hæc animo scribo, quasi obstetrices monerem, rem hanc negligenter agere. Absit! placenta semper educenda: modò salvâ vitâ puerperæ. Clamat tamen tota mulierum partui præsentium turba, occidi parientem, relictâ eâdem. Ingens hoc, & grave, præjudicium, ita infedit earum animis, ut ne quidem permittant, rem fieri, ut artis præcepta, & salus matris, exigunt. Quid agendum in hisce? Quomodò valet eradicari, ita diu radicata opinio? Certè ante multos jam elapsos annos, feriô hanc rem, aliasque similes bene multas tanti iudicabant momenti Clarissimi Inspectores Collegii Medici Amstelædamensis, Piso, de Vicq & Kommerstejn, ut obstrictos se putarent referre de hisce rebus ad Amplissimos urbis Consules, ut horum auctoritate remedium inveniretur malis præjudiciis: neque tum requieverunt Sapientissimi Consules & Laudati Medici, donec præficeretur aliquis, qui harum rerum peritus juxta veram prudentis artis rationem judicare posset de iis, quæ ita accidunt in his negotiis, ut a præjudiciis stabilitis damnum omninò paterentur, ideoque emendatione indigerent ab auctoritate publicâ. Jusserunt igitur, ut ego huic præflem muneri, putantes Anatomes Professori, cujus tum fungebatur munere, maximè id convenire: quare statuerunt, ut omni mense semel cogentur omnes urbanæ obstetrices venire, ubi audirent me differentem de omnibus, quæ possunt forte accidere, quæ debent observari, quibus singulari arte debet succurri, inter pariendum: utque etiam sæpius in cadavere foeminino ipsis coram demonstrarem omnes illas partes muliebres, quarum requiritur in obstetrice cognitio, simul explicando, quænam forte singulis harum læsiones accidere possent, sicque monere, & munire, contra præjudicia. Hæc aggressus ipse me dedi operi obstetricio exercendo, juvandisque in partu difficili hærentibus mulieribus, quod strenuo dein labore continuavi integro annorum quatuor decursu. Putabam certè, fore mihi impossibile, felici successu docere artium maximè salutiferam, si solâ speculatione sapiens, manu nunquam operi adhibitâ, susciperem agenda dictare atque præscribere. Nec injuria putem

tem hanc meam fuisse rationem: quia mortalium nemo, ut peritus sit ex Anatomicis partium muliebrium extra graviditatem, extraque partus conditiones, unquam credet, quanta sit in his omnium circumstantiarum variatio, quam diversa faciet: neque aliquis, vel rationis disputatione unquam, vel sagacissimâ conjecturâ, assequi poterit, longe minus alios docere, ea, quæ tum temporis deprehensus est in corpore muliebri. Quum verò Gravissimi Urbis Consules, & Inspectores Collegii Amstelædamensis, inciperent, quantum esset periculi in his rebus; jusserunt simul, ut omnes illæ mulieres, quæ in Urbe artem obstetriciam exercebant se sisterent coram Collegio, novum subirent examen, ut admissis iis, quæ in respondendo se probassent, admissis, à nobili hæc arte relegarentur omnes, quibus abessent dotes requisitæ. Quis crediderit, quanta inscitia, quæ nugæ, quot errores, tum apparuerint in iis, quæ artem dudum exercuerant! Quid miri, didicerant ab iis, quæ æquæ fuerant & ignorantes, & imperitæ! Vultisne, enumerem ex innumeris paucos errores quos stupida induxerat ignorantia, qui jam ita per hæc remedia correcti, ut nihil eorum nostrâ amplius in urbe supersit? Videbitis utique non ridicula modò, vel damnosa, sed & exitialia, vitia. Quis putaret, fieri potuisse, antequam institutiones has occeperam, ut unâ die vocatus fuerim ad duas mulieres, de quibus asterebant, quod monstrum illis ex corpore penderet, postquam enixa erant foetus, & fitas fecundinas? Quid reperi? O facinus infandum! ipse uterus per vaginam eductus, ex vulvâ pendebat inversus. Reduxi illicò, junctisque arctè femoribus, reposui in lectum; sanata fuit feliciter. Altera verò turpi hujus erroris culpâ periit. Nam illic uterus, eodem affectus modo, tam diu hæserat extra corpus, ut jam induruerit, neque ideò omni artis tentamine reducere valebam. Ocyssime hæc induratio accidit inversis sic uterisvi extractis. Conferantur narrata cum iis, quæ dudum super his commentatus fui in editis meis observationibus. Si contigerit mihi duplex hujusmodi, uno quidem die, casus; judicet quisque, quoties quidem, celato turpi errore, aliàs id evenerit! dum mali ignoratâ indole, miseræ interim foeminæ pereundum fuerit. Gavissus autem summoperè profiteor palam, id mali vix dein occurrisse magis, postquam sedulò docui, monuique,

obstetrices hunc errorem. Sed scias, Lector Medice; fieri quandoque id mali absque ullo peccato obstetricis.

Ni expertus, fateor, ipse non crederem. Liberabam parturientem ab infante, qui jam eductus de corpore materno meo hærebat in præcincto, sequebatur sine ullâ omninô adhibitâ vi placenta cum membranis quam facillimè, interim momento citius, uno impetu, sequebatur hanc suâ sponte inversus uterum; sensi statim quid rei esset, duxi retrò complicatisque cruribus puerperam lecto imposui. Didici hinc haud ita temerè imputari debere obstetrici, quod partium vitio, naturæque culpâ evenire potest. Id præ cæteris inculco, ut ipso elapsus tempore, sive manus, sive naturæ, vitio acciderit, restitatur in locum debitum, idque lenissimo molimine, atque dato simul quiescendi consilio. Præcipua autem hujus mali causâ hæret in validissimis conatibus, a parturiente adhibitis, ad exonerandum uterum post partum. Quod morbi & vaccis accidit frequens, cui sanando ridiculum, & ut videtur, alienum valde adhibent remedium Veterinarii, bidenti scilicet furcâ pertundentes cutim,

Qui rumor olim, quam creber, de fictitiis monstris, quos ficto etiam nomine suctores appellabant, hos vivos de corpore parturientium dimissos, per cubiculum oberrare, assidentium fœminarum naturalia petere, per hæc in corpus ingredi, ibi se recondere? Cujus putidissimæ fabulæ ne originem quidem reperias, nisi in anili delirantium cerebro! Sed & dolui sæpe, quum audirem infantes obstrices damnari turpioris, quam homicidii, criminis reas, quando forte parturienti operosè mulieri lacératu diuisa erat perinæi cutis.

Considera, quam sit hic loci cutis tenuis, quam crassi sæpe sint fœtus, quam arcta sæpe apertura meatus! Neque mirari poteris malum hoc frequentius longè accidisse, quam scitur: tegunt id vitii, quibus primo partu id evenit, matres. Obtinebat eâ tempestate ubique religiossimè ridicula consuetudo, ut, statim à partu validissimo forberet conamine puerpera, simul invocando sacro-sanctum Triados nomen.

Quis primò hæc vel somniando deliraret? Nisi forte sic volerint nixum procurare expurgando utero. Quam facilè fit, quam frequens, ut propendeant ex pudendis membranæ edito  
jam-

jamjam foetu. Tamen & ejus rei culpa infanti tribuebatur obstetrici. Quam est & ille damnosus error, ne gravius quid dicam, quando jubetur puerpera, uni lateri perpetuò incumbere, nec inde se movere vel digitum latum ante nonum diem.

Sed carnifice crudelior obstetrix prohibet sæpe omnem penitus potum parturienti, quæ interim anhelans, æstuans, dolens, pumice evadit aridior, unde infinita mala: cujus quidem crudelitatis exercendæ per imperiosam ignorantiam rationem dant ineptissimam quod aliter nimium tumens vesica foetui exituro impedimento est. Quâ quidem allegatione causæ quid insulsius fingi queat, non video! Quid non metamali, dum puerperæ statim à partu ligaturis abdomen ita constringitur, ut nec respiratio possit exerceri, nec ulla fere circulatio sanguinis? Necessarium agnosco adstrictionem, quâ vasa collapsa, & laxa nimis aliquo modo fulcias, sustineas, arctes, ut non excipiant omnem fere sanguinem corporis, atque ita subducendo eum à cerebro pessima fiant symptomata. Sed non ita hæc adhibenda, ut suffocentur vitales actiones.

Quid autem censetis de perversâ & illâ agendi ratione, dum foetui jam nato, sed languido vel deficienti per fistulam argenteam ano immissam aërem inflant? simulque funem umbilicalem præmunt, ut sanguinem eo adhuc contentum mulgendo in corpus foetus propellant? Sed placentam vivis imponere prunis, ut calefactum ita sanguinem ex placenta dein propellant in corpus, ad vitam semimortuo suscitandam, ubique tum obtinebat. Apage nugas! Bulbos recentissimos, prægrandes, cepaceos, medios findebant, naribusque admovebant tenerrimi infantis, ut instaurarent hujus spiritus: quem acerrimum nidorem ne adultis quidem toleraverit. Parvum fragmentum usurpari concedo, veto talia fieri, quibus non juvatur, sed excrucietur misellus infans. Quid autem terribilius, quid plus mali dedit, frequentissimum tum ubique agitatum inter obstetrices, quam quod digitum immitterent parturientium anum quam profundissimè, uti eliceretur in partu paulò difficiliori foetus? quas inde vidi contusiones, inflammationes, gangrænas, hæmorrhoidas, quas in ipsis partibus necroses! O obstetrices, admonet Vos! ne festinando mortuos pariant foetus, vestræ commissæ curæ mulieres patiamini, naturam securas, tutasque suas

fuas sequi leges! Sat citò, si fat bene! Simulac verò deprehenditis, consilium Vobis deesse in aliquo casu, atque adesse unquam auxilii, curetis ipsæ tum advocari arte exercitatum Magistrum, inde Vobis honor, detrimenti nihil: tantò quippe majore fiduciâ opem vestram implorabunt parturientes, quò minus se perdi vident veltrâ avaritiâ, negligentia, superbiâ.

Sed foedum erat, turpe, atque exitiale, id quoque consuetudinis genus: quo natis jam infantibus totum caput patiebantur tegi putridâ, nauseosâ, foetidâ, horridâ, crustâ, squamosa: quæ sæpe culmo stramineo crassior totum obtegebat caput. Roganti cur id ita agerent, responsum mihi calefaciendi capitis gratia id fieri.

Si regererem prohiberi inde perspirationem, corrumpi caput, & putrescere, meliusque calorem purum conciliari, conservarique, tegumentis ex lana, vix audebant id primò consilii sequi. Corrigendum clamavi apertè pessimum errorem, dum nati recens infantes, brachiis lateribus appressis, complicatis cruribus, pressi arctissimè involvuntur fasciis, ut nullum suorum artuum vel tantillum movere queant, sed jaceant in rectum exporrecti stipitis instar duri, absque ullo articulorum flexu. Nonne natura prudentior aquæ immerferat calidæ, ut nihil duri illos posset premere vixque attingere eorum corpuscula? Nonne in utero materno, ita erant omnia instructa, ut liberrimè fluctuans in liquore tepido, mobili, molli, pro suo lubitu posset movere quam liberrimè artus omnes, omnes articulos? Nonne ibi erant omnia ritè, debitæque summetriæ proportione nata, aucta, expansa? An ibi unquam gibbum dorsum, elatus thorax, retorta crura, curvata ossa? Quid ergò Tu ineptissima mulier absque ullâ arte, sine ullâ cognitione, imo sine ullo proposito, libero nato infanti, compedes, vincula, ligamina nectis: ane aliter Te deberet docere univèrsa Asiâ, Africâ, Americâ, ubi recens nati laxis involuti pannisfolius naturæ sapientiæ dantur, quæ sola omnia ritè ordinat? Certè ibi optima hominum corpora crescunt. Ego certè nolui meos sic tractari liberos, quorum tamen nullus aliquam partium solidarum male formatam habuit. Insurgere quoque oportebat in truculentum, omnique omninò rationi adversum, morem, quo tenella capita re-

cens

cens natorum infantum, ita comprimebant ligaturis arctè adfrictis, ut mobilia tum per molles hætenus futuras ossa cranii compressa cerebrum, aliaque cranii contenta turbarent, unde sopores, convulsiones, malæ capitis formationes, fatuitas, mors. Oportuerat certè permitttere naturæ, quæ sola æquabiliter omnia extendit, capitis jam in utero bene formati autem nativitatem ulteriorem deinde perfectionem. Quam insulsa autem est, quæ suos crassos errores prætexunt, ratio! quasi ita curarent ut caput bene firmatum rite durendo clauderetur! spectes natos fervido sub climate pueros, nudo profectò hos capite tenent, nec melius formata crania alibi reperias. An non & ipsi illi miseri infantes ostendunt, quid, imprimis illis per instinctum, natura jubeat? Certè, ubi ita male sunt tractati, movent tam diu, fricantque, capita tenella, donec alio ipsis modo iterum, iterumque, componantur. Notetur hæc etiam occasione inter inania studia reponendum esse supervacaneum metum, quasi summâ semper cum festinatione extrahi deberet extemplo placentâ, quia, si expectatur paucis modò momentis, uterus statim ita suum os internum contrahit, ut ne digitus quidem possit introduci: Sanè omnes, qui his negotiis ita interfuere, ut attento animo, cuncta bene observaverint, norunt hæc non esse vera. Matrix humana enixa infantem nullum os habet, sed patet tota instar campanæ, multosque semper impendit dies, priusquam incipiat iterum redire in formam, quæ parte inferiore speciem clausi oris refert. Adeoque rursus moneo, ne panicus Vos terror occupet, ne cæcâ festinatione præcipitemini in errores, qui funestissimi toties fuerunt puerperis. Ajunt plerumque, placentam semper modò unam reperi in utero, licet gemelli edantur foetus, aut plures. Nec tamen semper id ita verum esse ipse deprehendi.

Accidit enim sæpe; ut primò prodiens foetus una secum ducat suas membranas, suam placentam; quod fieri non posset si utrisque una tantum placenta fuisset. Elapso quidem anno jussi ad me deferendas plurimas gemellorum placentas, ut omninò certus essem, quid hic contingeret. Re itaque summâ cum curâ exploratâ, reperi reverâ, aliquando cuique foetui solitariam placentam esse, aliquando unam utrique foetui inserviisse: utque hoc evidentissimum dare possem unicuique, va-

rietates has servandas curavi in liquore. Præparavi etiam unam talem, ubi binæ placentæ concretæ apparent, vasa quoque sanguifera inter se invicem decurrunt intricata pro parvo quidem spatio, non majore pollicis crassitie : unde puto fieri posse in his, ut, tempore partus, prior infans secum avellat suam placentam, altera autem maneat adhuc affixa utero, donec alter foetus etiam editus sit. Quid autem censendum putas de fabricâ Arteriæ placentæ? hæc paucis innotuit rectè. Certè membranacea hujus arteriæ in placentâ structura adeò est tenuis, ut videatur esse vas lymphaticum valvulis omninò carens. Quænam sit hujus singularis hoc loco arteriæ constructio, facile non dixerim. His verò, qui acutius me vident, propono excutiendum. Membrana tenuis, quæ placentam cingit, quâ spectat uterum, ipsius est chorii continuatio, ut olim descripsi in Thesauro meo Anatomico V. hanc ipsam vidi multis locis in lapideam indolem mutatam, id ubi accidit, sponte patet his infantibus subduci ubertatem pabuli à matre suppeditandi. Captum verò superat humanum, cui apparet pendens ex placentæ corpore crus integrum, id autem in *Gazophylacio Cæsaris Russæ* ita videtur, ut ipse in Thesauris Anatomicis iconè expressi. Quis verò explicet unquam ex receptâ hæctenus sententiâ de Anthropogenia, quomodo bini infantes perfectè concreti fuerint ad partem osseam, quomodo ita concreti per angustias pelvis transire potuerint in nativitate? Attamen non tantum gemellas ita concretas, jamque octo annos natas, vidimus, dum per rempublicam hanc vagabantur : Sed & ipse octo mensium partum habeo, quem servo balsamo conditum, est autem binorum infantum, qui perfectè sunt concreti.

Servo eos ita præservatos domi meæ, eà lege, ut liceret parentibus, quoties luberet, eos visum venire unâ cum amicis suis. Pater, cui erat nomen Tanking, jam mortem obiit, mater Woeneman dicta in vivis superstes est, quæ si moritur ante me, tum mihi cedent in proprietatem. Quoties certe hæc contemplor, obstupefco, nec intelligo, qui esse possit, ut per angustum meatum tanta moles, tamque inæqualis superficiæ, queat transmitti. Perfectò videntur ossa Ischii necessariò debere à se mutuò aliquantulum recedere, ut spatium laxent. Utique illi, qui bene observaverunt mirabilem & singularem omninò,  
pro-



protuberantiam ossis pubis & Ischii, in illis parturientibus. quæ summâ cum difficultate, maximisque cum nixibus, enituntur foetus, intelligunt, longè aliam esse faciem pelvis in partu difficili, quam in statu naturali.

Quin & ipsum Os Coccygis ad eò tum vertitur extrorsum, ut sit omninò incredibile, nisi experto. Imò verò integros sæpe deinde annos conqueruntur de dolore in partibus his residuo. Denique licet ob materiæ convenientiam, hic pauca subnectere de Ano imperforato. Nasci huic malo obnoxios sæpe infantes dudum innotuit. Nec novi tamen aliquid notatum, quod hic referam. Erat Augustus mensis Anni 1718, quando ferebatur ad ædes meas infantulus masculini generis, in cujus corpore nulla apparebat ani species; sed parvus, teres, cavus, tenuis, membranofus sacculus, crassitie calami circiter scriptorii, adhærens scroto, extremitas ejus erat clausa & plenus porrò erat fœce vel nigro meconio. Quarto deinde, vel quinto die sponte rumpebatur spurium hoc intestinulum, atque exonerabat se a fœce dictâ, & pauco dein tempore elapso moriebatur. Fuisse sacculum hunc Intestinulum rectum spurium nullus dubito: plenum erat meconio vero infantili, quod semper reperitur in intestino crasso infantum. Attamen spurium voco: quia non habebat dotes veras intestini recti: erat enim tantæ tenuitatis, ut pelluceret meconium, præterea spectabatur inæquale, utpote uno loco latius, angustius alio. Ad morbum hunc referam casum, quem bis occurrentem notavi: Infantes nati cum ano imperforato carebant toto intestino recto. Chirurgus *Petrus Adriani* in uno perforabat instrumento Trocart dicto locum, ubi naturaliter requirebatur anus, sed penetraverat jam longitudinem fere minimi digiti, antequam perveniret ad locum, ubi meconium, sed frustaneus erat hic labor. Mortui sunt ambo. Quid enim dilatatio profuisset vulneris? certè intestinum inde non poterat nasci, quod omninò deficiebat.

Sed neque prodest dilatatio in hominibus, quorum intestinum rectum ita est incrassatum in suâ substantiâ, atque adeo quidem angustatum in suo meatu, ut vix tenuis specillum transmitti per ejus angustias posset. Quoties his exoneranda erat alvus, utebantur toties summo molimine, & nisu summo, ut alvinas fœces sensim & lentè, premerent per exilem hanc viam;

exibat dein fœx ductu tenui, vix æquante culmi graminei crassitiem. Hanc quoque calamitatem conspexi in cadavere viri ita omninò, ut mo lo descripsi. Si autem infans prodit in lucem cum ano imperforato, ita, ut membranulâ externâ finis intestini recti sit clausus, facillimè sanatur, si lanceolâ inciditur phlebotomò, atque dein apertura canali plumbeo immisso, vel & turundulâ, tenetur aperta.

Epilogi loco jam mihi liceat adhuc quædam addere pro Anatomicis. Quam dolendum est, homines nolle pati, ut cadavera suorum defunctorum amicorum aperiantur a peritis Anatomicis, Medicisque post mortem. Certè non aliter ab hisce abhorrent, quam si putarent, morte obitâ sensum doloris superesse cadaveribus. Alii ignominiosum putant, lacerari cultris cadavera. Quæ autem, si non hæc, stultitia est? Vix moriuntur Principes in Europâ, vel Reges, quin horum aperiantur, atque exenterentur viscera, quò commodius eorum tum corpora, tum viscera, balsamo condiri queant.

Sed quam est damnosa simul falsa hæc opinio? Quid enim certi, quid veri, habent Medicorum peritissimi de interiorum degeneratione in quolibet morborum? Quid, quæso, norunt de proximâ mortis causâ in morbis? Quidnam sciunt distinctè de partibus interioribus affectis, læsisque? Quidnam de sede cujuscumque fere interioris mali? Quomodo verè de indicatis in quolibet morbo & requisitis ad curationem judicabunt? Nisi prius accurata fuerit conscripta historia eorum, quæ sensibus apparuere in cadavere inciso hominis, cujus viventis morbum sedulò, & anxie descripserat medicus, qui laborantem cum curâ tractaverat, & notaverat omnia. Certè, si quæ, sola hæc certa, sola tuta, est via, quâ tandem pervenire datur tla veram morbi cujusque curationem, cognitionemque.

Et quidquid bene firmi in his habemus hodie, ejus profectò primaria debetur laus Anatomicis. Quibus circumdati tenebris cespitaremus ubique in arte, nisi exstitissent, ingenio, arte, industriâ, diligentia, Excellentissimi Viri, qui non veriti laborum molestissimos, se ipsos ex caligine asseruere in usum veritatis, aliosque demeruere liberalissimâ suorum inventorum participatione. Effecit interim humanorum cadaverum inopia, ut coacti fuerint diligentiores confugere ad bruta, ut ex

iis apertis discerent, quæ in hominibus scrutari non poterant. Sed fieri facilè haud potuit, quin in plurimos ita delaberentur inevitabiles errores: quum fabrica in hominibus diversa multis in locis obtineat ab eâ, quæ in brutis occurrit. Factumque & ideò, ut diu foti, radicateque, errores, quum difficillimè potest extirparentur. An non mansisset etiam hodie inepta opinio, quod matrix in sinistro semper locata hæret latere in foeminis? Ideoque necessarium omninò esse, ut puerpera novem dies à partu primos fixa decumberebat in unum latus, quo commodius naturalem denuò situm uterus post partum obtineat.

Undenam fit, ut & hodie Professores Medicinæ publici memorent, inter recensendas corporis humani partes, *Pancreas Asellii?* in ovibus id apparet ingens, nunquam in homine simile quid inveni in tot perscrutationibus humani corporis. Neque unquam vocassent in homine Intestinorum tenuium primum duodenum, si magna satis suppetisset copia incidendorum cadaverum copia. Sed vocavissent melius forte, certè magis appositè, intestinum digitale, vel intestinum rectum brevissimum. Multæ utique partes male denominatæ ex hac solâ causâ, quod ex brutis fuerit petita appellatio. Fabulæ de reti mirabili in capite humano nunquam adeo fuisset pervulgata, si non apparuisset tam intricatum, tam implicitum, tam conspicuum, & omni modo mirabile, in vitulino & ovino capite? Quoties impleta per artem meam vasa Cerebri contemplor, utique certissimè deprehendo, admiror ubique mirabilia reticula, eodem semper perficiendo distincta operi.

Cur autem in vitulo differens adeò hujus particulæ structura, dictu equidem difficile habetur. Magna interim in aperiendis brutis latet utilitas, si solâ adhibetur pro comparatione & faciliori in corpore humano similium, vel dissimilium indagine. Sed nunquam licet ex inventis in corpore bruti arguere similia in homine obtinere, nisi investiganti per vera experimenta similitudo fuerit observata. Sed maximorum animantium vasta corpora inprimis multum profunt, si sedulò lustrentur. Equina, Bubula, Balænæ corpora incisa multum juvant. Papillas foeminarum scaterere papillis nervosis sensilissimis nunquam sciivissem, nisi in papillâ mammæ Balænæ mihi insigni sua magnitudine se ostentantes occasionem præbuissent acri cum

curâ has investigandi, & inveniendi, in foemineo corpore. Sed quis crederet, perscrutationem cadaverum, quæ quadraginta, triginta, viginti &c. Annos in sepulchretis condita latuerant, prodesse Medicis? Juvenis intempeſtâ nocte Vespillones comitabar, fordida ipſe inductus veſte, ut Sandapilas mihi aperirent, ſicque oportunitatem præberent meæ circa hæc indagini.

Vidi tum nec capillos creviſſe, nec ungues, poſt mortem: quum viderem in cincinnos complicatos capillos in cadavere muliebri æquè arctè adhuc craniis adhæreſcere ut in vita. Ungues naturalibus longiores apparebant, id verò exareſcenti, idæoque contractiori, digitorum apici tribuendum, videbam facile; maximè quum decumbentes nunquam præcidant eo decubitus tempore manuum, pedumve, ungues.

Quumque bonus Malpighius ritè obſervarit, pilos & ungues eſſe extremitates nervorum: quis credat, ablata hos vitâ creſcere? Obſervavi tum pinguedinem humanam mutari, non tamen ita interire, ut reliquas corporis partes: indureſcit enim inſtar ſebi, ſicque permanet: quum in vivis ſemper olei fere mollitiem, & fluiditatem habeat, etiam circa renes, & alia loca, ubi vulgò dura putatur. Non eſt in homine diſtinctus ab Axungia adeps, ſed pinguis liquor ubique idem. In brutorum quibusdam res aliter ſe habens dedit huic errori originem inde æſtuo tempore exercitatis validè corporibus unctuoſus ſudor lineamenta flavâ pinguedine afficiens. Inde axungia humana æſtivo calore in vitris retenta olei inſtar liqueſcit. Nulla igitur in corpore humano adeps, niſi in cadavere diu poſt mortem genita. Vidi & tum, quædam cadavera habitu ſuo referentia limum nigrum: alia dura, ſicca, contracta: nonnulla in cinerei coloris pulverem mutata, ſed hæc rariora: quin & alia vidi à vermibus roſa, verum illa modò, quæ, æſtivo tempore deſuncta, à muſcis ova ſua in iis ponentibus erant infeſtata: hæc enim inveniebam plena vermium aureliis ex vermibus mortuis enatis. Vidi cadavera humi condita non conſumi à vermibus, niſi enarratis modò in caſibus. Utcumque aliter ſentire intellexerim ab infantia uſque omnes fere homines.

F I N I S.

E X.



Fig. I.



Fig. II.




Fig. III.



7 Windelaar ad vlam fecit -





*J Wandelaar ad rivum fecit*



# EXPLICATIO FIGURARUM.

## Tab. I.

- FIG. I. A. Segmentum partim carneum, partim tendinosum, ab ossis femoris parte inferiore Y resectum, sursumque reflexum, ut queat conspici fabrica vasorum.
- B. Vasa minima arteriosa, miro, atque implicato, decursu distributa per totam hanc partem, ceraceâ materiâ repleta, hinc ruberrima apparentia.
- C. Superficies Patellæ interior, quæ hic ornatur Vasis per eam distributis, accuratè designatis.
- D. Ligamenta, nectantia os Tibiæ inferiori parti ossis femoris, per quæ distribuuntur vasa innumerabilia.
- E. Tubera anteriora ossis femoris liberata à patella.
- FIG. II. Indicat ossa femoris & tibiæ, ut in casu hujus Valgi erant constructa.
- A. Pars inferior ossis femoris habens hic curvaturam longe diversam à sanitate.
- B. Patella.
- C. Exterior cavitas partis superioris ossis tibiæ, quæ hic apparet longe inferior, quam interna cavitas E.
- D. Ossis tibiæ pars superior.
- FIG. III. Exhibet quatuor digitos pedis humani, unde accuratè & prudenter ablata Epidermis, ut & corpus reticulare Malphigianum, dein servavi in liquore meo illibatos, nec mutatos: quum verò cutis liberata his sit, papillæ cutaneæ relictæ, spectatâ die sereno per microscopium innumerabiles ibi apparent, ut tota superficies his plena sit, has in majore digitorum depingendas curavi, quamvis millenæ ubique sint.

## TAB. II.

- FIG. I. Pars magna interioris membranæ Vesicæ urinariæ ex puerperâ, cui illa ex retento dui lotio, neglectâque ejus evacuatione, inflammata fuerat, indeque gangrænâ affecta, separatâ, dein hæsit in meatu urinario, unde post 13 vel 14 dies forcipe educta fuit: convalescente postea agrâ.
- FIG. II. Portio Cerebri vitulini, à semianno in utero vaccæ matris mortui.
- FIG. III. Sternum una cum cartilaginibus costarum, & intercostalibus musculis, ex foetu humano, in his ea copia vasorum, ut omnia appareant quam ruberrima: neque unquam felici adeo artis eventu usum sum. Testes cito omnes, qui ope mi-

## EXPLICATIO FIGURARUM.

croscopii has partes conspiciere dignantur.

- FIG. IV. Depingit binas ex foetu costas, una cum musculis intercostalibus, mirifico etiam successu præparatis.
- A. Costæ ambæ.
  - B. Fibræ ossæ longitudinales, in costis in eâ ætate, quæ adultiore ætate ita confluunt, ut evadant invisibiles.

### T A B. III.

- FIG. I. Exhibet portionem magnam innominati ossis, osque sacrum à latere, quæ periofficio adhuc cinguntur suo.
- A. Os sacrum periofficio, & vasis sanguiferis cinctum.
  - B. Os Ilium.
  - C. Magnus nervus, supra ossis femoris caput decurrens versus femur.
  - D. Caput ossis femoris.
- FIG. II. Frustulum mesenterii, cum innumerabilibus vasculis, instar filamentorum telæ aranæ, quæ tamen repleta sunt materiâ ceraceâ rubrâ.
- FIG. III. A. Acetabulum ossis femoris ex juvene.  
B. Arteriolæ ad infima acetabuli repertæ.  
C. Ligamentum nerveo cartilagineum, quod necit caput ossis femoris cavo acetabuli, undique Vasis cinctum.  
D. Caput ossis femoris.
- FIG. IV. Capsula facta ex intestino jejuno pueri, & in illa est, segmentum Intestini coli, & Ileirefertum ita dictis glandulis, & vasis sanguiferis.
- A. Capsula.
  - B. Segmentum Intestini coeci.
  - C. Segmentum Ilei.
  - D. Processus vermiformis, cum suis ita dictis glandulis.
- FIG. V. Embryo humanus, cum rudimento funiculi umbilicalis, pendent in liquore, & demonstrant evidenter rudimentum illud ipso embryone crassius; in hoc embryone nec nasus, nec os, nec oculi apparent sed modò rudis, indigestaque moles.
- A. Rudimentum funiculi umbilicalis.
  - B. Carina embryonis.
  - C. Capitulum embryonis.

F I N I S.

Fig. I.



Fig. II.








Fig. III.



...laar ad vivum fact



FREDERICI RUYSCHII

*Anatomes & Botanices Professoris, Academiae Cæsareæ  
Curiosorum Collegæ, nec non Regiæ Societatis  
Anglicanæ Membri,*

ADVERSARIORUM

ANATOMICO-MEDICO-  
CHIRURGICORUM

DECAS TERTIA.

In qua varia notatu digna recensentur.

*CUM FIGURIS ÆNEIS.*



AMSTELODAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.  
MDCCLXXIII.



VIRO PERILLUSTRI  
JOANNI TRIP

I C T O,

DOMINO IN

BERKENRODE

REIP. AMSTELAEDAMENSIS CUM MAXIME CON-  
SULI ET SENATORI,

SOCIETATIS INDIAE ORIENTALIS CURATORI, AD  
RES ECCLESIASTICAS DEPUTATO,


ARMAMENTARII PUBLICI, HORTIQUE MEDICI  
PRÆFECTO, &c. &c. &c.

Hanc Decadem tertiam Adversariorum

D. D. O.

Humillimus auctor


FREDERICUS RUYSCHIUS.





# LECTORI BENEVOLO

S.

 Vicumque se publico committit, necesse est, ut omnigena hominum judicia experiatur, quorum unusquisque pro captu suo rem oculis omnium expositam vel probabit, vel damnabit. Namque rebus singulis duas esse ansas jam veteri dicto comprobatum est. Quod ad me attinet, emissurus ea, quæ in usum generis humani post longos labores, & multiplicia experimenta chartis commisi, nihil est cur meliora sperem, probe memor eorum, quæ adversus me jam ante multos annos conati sunt homines vel invidia ducti, vel amore sui, vel præjudiciis obcæcati, donec vi inconcussæ veritatis superati victas manus dederunt. Certe quiaquid ratiocinia, etiam ingeniosissimorum hominum, vel speciose retulerunt, vel imperitis persuadere potuerunt, id omne confestim collapsum est, quam primum experientia docuit longissimas disputationes frustra habitas fuisse pro rebus, quas natura non agnoscebat. Eadem illa fida magistra Experientia, quæ causam meam, quæ multis laborare videbatur, tot annos strenue egit, eadem illa, inquam, jam quoque pro me militat, & audire nolentibus identidem inculcat, Venite & videte.

Ea enim vis est veritatis, ut vel invito trabat in assensum, ubi nullus dubitationi locus relinquitur, sed materia suppeditatur undique laudandi mirabilia Dei in gloriam ejus æternam.

Non multis te morabor, Lector Benevole; neque enim animus est dicta jam ante repetere, vel ea congerere quæ ab aliis super his rebus sint dicta vel facta: satis habens efficere, ut intelligas quid velim.

Inter alia, quæ tibi offerimus, oculis tuis spectandum exhibetur Pyrum Anatomice dissectum. Quod si hoc præstitissem in hepate vel splene humano, excarnationis nomen mereretur propter Analogiam. Jam vero mihi liceat hoc vocare sceleton pyri: quale sceleton formare soleo ex foliis & fruticibus: qui conspe-

*Etus multis non ingratus fuit. Videbis porro, quia in eorum descriptione observaverim. Accedunt à me exhibitæ figuræ, quibus evincitur vasa fructuum, quorum nucleus lapide tectus est, ut pruna aliaque, provenire maximam partem, ex lapidibus, æque ac ex ipsis Persicis, quamvis non omnia uno eodemque modo.*

*In Museo Wormiano incidi in imperfectam imaginem partis sceleti Opuntiae, quod Doctissimi etiam viri tunc temporis valde mirati sunt, cujusque meminerunt in scriptis suis.*

*Quare si Deo visum fuerit, animus est totum fruticem, quem in formam sceleti redegi, exhibere, ubi multa observanda occurrant, unaque cum eo conjungere sceleton foliorum quernorum, ubi, remota omni pulpa, folia reticularum speciem e filis contextorum præbebunt. Vale, & his utere mecum.*



# ADVERSARIORUM ANATOMICORUM

## DECAS TERTIA.

**Q**uum existimem, habere me nonnulla iterum, quæ observavi haud inutilia medicinæ, atque Anatomes præcæteris, studiosis; prodeò denuò, ea ut offeram. Tu, mi lector, æquo feras animo senilem loquacitatem, quando conatur prodesse: neque in malam accipias partem, quæso, si vel repetiverim hinc inde eorum quidpiam, quæ forte enarravi antea. invenies quippe in ipsâ hacce repetitione semper novi quid, aut emendati magis. Agamus igitur primo

### I.

#### *De Atheromate.*

**E**Quidem, si lubet considerare varios, quibus humanum corpus obnoxium sæpe invenitur, tumores, hos inter sane ut frequens est fati, ita & vix intelligi à medico potest mirabile hujus ingenium. Si enim rite examinas materiam, quæ propriis stabulat in locis, hosque tumores efficit, anceps eris de ipso vero nomine apte ei imponendo. Quoniam pulstem sæpe spissiozem referebat hic tumor, Græci Atheroma dixerunt; nec male. At alii, qui viderant collectam hanc materiam in grandinosa corpuscula degenerantem; vel ideo, repudiato priori nomine, dixerunt tumorem ovis piscium simili saburrâ turgidum. Quid vero appellationis excogitabis, quoties ossicula, vel & ossa ipsa continet diversæ omnino figuræ; imo vero & pilos instar capillorum hominis, dentes quoque, verosque etiam molares inter illos, quin & crus humanum infantis cum tribus digitis, quale Cæsar Ruforum suis in Thesauris vere possidet. Omnia quæ modo recensui ita reperi aliquoties, atque semel integram dentium

feriem in illo tumore me reperire pulchre memini, & quod incredibile videatur (vera tamen loquor) in ovario muliebri. Sane Petropoli videre est rem ipsam: in Thesauro autem Anatomico primo accurata habetur mirabilis rei icon.

At longe aliud, magisque inauditum, certe fidem superans, erit quod narrare occipio, prout domi id servo. In ventriculo defuncti vitæ hominis inciso invenitur Atheroma, intra quod hæret integer manipulus pilorum, instar capillorum hominis: adest frustum informe ossis, iuglandem nucem æquans: quatuor veri insunt dentes molares, quales maxilla humana alit. horum autem dentium bini connati, alii duo separati existunt; sed, quod singularem contemplanti stuporem incutit, cernitur in eodem sacculo crus anterior cervuli exigui Africani, ut vix ovo similis ovum, excepto, quod pedis in hoc crure ungula haud fissa sit, ut in Guineënsi illo animalculo obtinet, sed tegitur finis ille ungue, ut digitus minimus humanæ manus; quin imo & superficies cutis hujus cruris raris tenuibusque tegitur pilis, ut humanam manum obsidere solent.

Scio, tamquam fictum hoc quidam ridebunt Sceptici: sed desinant de non fatis exploratis naturæ effectis temere definire, ni spectaculo oblato refelli ipsi velint. Ipsa hæcres in India Orientali contigit. inde ipsum hoc ita se habens Atheroma missum fuit Clarissimo Viro, honorato meo Collegæ, Caspari Commelino, Botanices Professore Celeberrimo, & Academiæ Naturæ Curiosorum membro, qui pro consuetâ suâ humanitate mecum illud communicavit una cum autographo Chirurgi dexterrimi Cornelii Smit, a quo Commelinus dono acceperat. Hujus ergo comitati id acceptum referens rite depuratum, atque ab interitus omni periculo munitum, locavi in Thesauro meo tam Anatomicarum, quam naturalium rerum collectione, instructo: quem in hac grandi ætate nocturnis laboribus, & diurnis, iterum apparavi ab eo tempore, quo priorum meorum laborum fructus in Russiam translati fuerunt.

Verum, ne sic quidem contentus, habeo rescripta ex loco observationis confirmantia rem ita factam testimoniis omnium qui incisioni cadaveris, & operationi hujus ita nati Atheromatis, interfuerunt, quorum exemplum de verbo ad verbum hic insertum ita se habet.

Anni

Anni 1716 quinto decimo Augusti venit in nosocomium, quod est in Samarang, Jacobus Ruben. Laborabat apostemate ad binos digitos transversos supra umbilicum. Id apertum manu Archichirurgi, dein quotidie bis depuratum dabat singulis vicibus duas puris uncias, usque ad Decembris vigesimum, quo moriebatur. Propria cadaver dextera aperui, invenique putredinem in hepate. dein apertus ventriculus erat plenus materiâ albâ, in quâ inveniebatur fasciculus pilorum habens pondus post exsiccationem quatuor drachmarum. præterea reperiebatur frustum carnis cum ossè & cartilagine instar quartæ partis chalci. incidi illud, reperique in eo grumosum cruorem, cum materia aquosâ: cujus natura erat ossea, cartilaginea, vel carnea, cutanea vero externe, ibique pilosa hinc inde. Præterea inveni circa os ventriculi superius arcte adnatum frustum carnis, circumaccreta carne cinctum, cum tribus globis in apice. ad utrumque latus horum globorum accreverat dens molaris perfectus, plane similis denti humano cum tribus aliis dentibus in medio. In cavitatibus nihil erat carnis, nec ossis, sed membrana, in quâ sanguinis thrombi, cum Ichore flavo: quin & unus trium globorum repletus spectabatur materia cinereâ, referente pollinem ostracodermatum contusorum.

Dentes hi molares constabant pulchro, candido, firmo ossè, ut nihil magis possit dentem hominis referre, erantque accuratissime infixi carni ipsi, non ossi, sed quodam modo mobiles. Ventriculus obsidebatur materia quasi conchiliorum contritorum pulveri simili.

Nos hic subscripti fuimus missi, ut essemus præsentés testes rei ita gestæ & repertæ,

Thomas Blom, Interpres, & à rationibus Societatis.

N. van Gangel, Vexillifer.

Tres Chirurgi.

Henricus Oesterfen.

Jacobus Hullincq.

Licet vero historia hæc mentionem non faciat Atheromatibus in descriptione rei propositæ, evidentissime tamen datur evincere, ita illud advuisse ibi: quoniam sæpenumero pili, dentes molares, alique, reperti fuerunt in albâ A-

theromatis materia, nunquam autem in ullo alio tumorum genere illa fuerunt reperta, vel similia: certè, unquam id legere me in aliquo observationum medicarum scripto, nequam memini. haud quidem mirabor, si quis me interroget, quam ratione fieri possit ut omnia hæc nata, omnia hæc reperta fuerint in tumore undique clauso? præcipue quidem undenam quadrans quadrupedis animalis habens humanum unguem natus sit in illo. Sane vix aliud habeo, illi quod regeram, nisi modum Naturæ agentis, formantis, mutantis, nondum fatis perspectum esse homini, ita quidem, ut inde definire queat, quidnam illi possibile factu, aut impossibile sit. Fateor, rem solà raritate observatione dignam nos in admirationem rapere, imo vero ipsum nobis perturbare animum: sed talis est quotidiana conditio eorum, qui contemplationi rerum naturalium totos se dedunt.

Nonne admirabile, imo incredibile penitus fuit, tectum illud tot per secula arcanum, quod revelare me abjectissimum suum servulum DOMINO DEO placuit? quando, corticem cerebri esse quam ordinatissime contextum & fabrefactum ex subtilissimis canalibus pulposis, accuratissime intertextis, atque exeuntibus ex finibus arteriarum sanguiferarum cerebri, inveni, descripsi, & cum medicis communicavi primus? Vah quantæ tum inter eos turbæ!

Clarissimus certe Schelhammerus, Anatomicarum rerum peritissimus, atque editis super Anatomie Scriptis merito suo celeberrimus, re hac audità primo, adeo longe aberat, calculum ut apponeret suum, ut in libello quodam, postquam honorificentissime de me, meisque inventis, scripserat ibidem, ubi tamen perventum fuerat ad illud rei punctum, quo asserabatur corticem cerebri nec glandulis, nec glandulosa materia, constare, sed continuatis arteriarum sanguiferarum fistulis, haud veritus fuerit disertis verbis clamare, *Paterer potius erui ex orbitis suis meos mibi oculos, quam crederem, rem ita se habere.* Sed quid contigit? forte bini juvenes, discipuli Clarissimi Viri, atque ab illo Anatomica quoque edocti, me invisebant, atque etiam collegia mea Anatomica frequentabant, quibus memorata modo verba ex citato prælegi scripto, eà occasione, qua de  
his

his forte rebus agendum postulabat Doctrinæ ratio. Uterque liquido asserebat, ipsam rem ita, ut ipse scripseram, se habuisse, neque licere sibi deinceps de veritate rei dubitare. Quos deinde, brevi jam patriam repetituros rogavi, ut vellent coram Professore suo, ita ut viderant, veritatem rei profiteri. Egregii autem juvenes hinc incensè paululum, nec morandum rati, primum per tabellarium visa & comperta literis ad eum datis perscripserunt, me omnium horum inscio. Quare mirabar me post mensis circiter, à quo gesta hæc fuerant, spatium honorari literis cordati Viri, quibus prius scripta exculat, fidem meis dictis habet, neque ulterius iis resistere posse fatetur: postquam bini tam periti harum rerum discipuli explorata sibi ad se retulerant. Modestia non patitur hic adscribere, quibus illà in epistolà encomiis super eodem hoc invento, me ornet. Rescripsi ego Egregio Viro statim, nequaquam mirari me, nedum ægre ferre, quod inauditam adeo rem tam duris repudiasset verbis: quandoquidem hanc ipsam, si alterius fide, & oratione, accepissem prius, forte ipse non tractavissem mollius, sed cum contemptu rejecissem. Simile quid evenit mihi primâ vice demonstranti, in Amphitheatro Anatomico Amstelædamensi publico, inventam tunc primo à me tunicam novam in oculo humano. Quum enim suâ forte tum præsentia honoraret hunc meum actum Clarissimus Ravius, disciplinâ Anatomicâ adeo insignis, tam indigne excepit hoc meum assertum ut risu, imo vero elato cachinno rem exceperit coram omni spectatorum coronâ. Haud mirabar, sed placidus dixi insigni huic Anatomico, libere rideret, me interea jam curavisse imaginem cœlandam à Sculptore, ut in publicum evulgaretur novum inventum; quod & factum fuit haud ita diu post. Quam varia autem rerum harum fors sit, patet & hinc, quod indefessus & industrius Albinus, Clarissimi Ravii successor, in Cathedra Anatomica Lugdunensi, ipsam hanc membranam tam solerter ita præparavit, ut unicuique quam evidentissima quidem appareat titulo membranæ Ruifchianæ.

Sed ut redeam in viam, unde digressus fueram, non valde

miror, & homines fuisse, qui, postquam descriptum modo Atheroma præparatum apud me vidissent, dixerint, impossibile omnino se putare, rem talem in ventriculo prodiiisse hominis. Sed, Care lector, quis hac in re in animum suum induceret, velle fallere; quum nullum honoris inde præmium, nullum lucrum, sperari queat, aut prævideri ab hac fallaciâ? Quis cuncta hæc, tamque diversa, colligeret, & uniret, tantum ut assereret, humano de Stomacho protracta esse simul? quare ille, qui misit hanc historiam, voluisset tam turpiter imponere Celeberrimo Commelino, cui tale debebat nihil? Sed fac ita voluisse, undenam data copia fuisset tam mira, nec usquam alias occurrentia deprehendere, qualia descripsi supra? Tandem quam arte hæc, si ficta forent, ita unire quis potuisset? Sed, rem ut conficiam, nonne æque stupendum apparuit, quum coronæ spectatorum in Anatomico Theatro ostendebam, Ovarium muliebre continens integram dentium feriem, quam simillimorum dentibus humanis, ut in Thesauris Anatomicis depingendum curavi, cujus quidem rei Autotypon Inviçtus Russorum Monarcha possidet, qui pro singulari rerum Anatomicarum cognitione, quâ non Principes modo, sed & ipsos Medicorum plurimos antecellit, hæc ipsa sæpe contemplari haud dedignatur.

Quis non furor oriebatur & tum, quando gratis missum mihi accepi animalculum quadrupes, capite, linguâ, caudâ, & appendice de ventre pendula, instar funis umbilicalis, ita, ut cuncta hæc uni sacculo inclusa hæerent, ut in Thesauris Anatomicis depinxi, additâ omnium hic observandarum circumstantiarum descriptione, cujus authenticon etiam in Thesauris Cæsaris Moscoviæ Petropoli spectatur; quod animalculum à vetulâ octuagenariâ cum vomitu fuit rejectum.

Ante multos annos quis credidisset, ex crudis vegetantibus, simplicissimâ distillatione Chemica elici, absque ullâ præparatione, salem volatilem, alcalinum, siccum, candidum, instar densæ, figuratæ, glaciei, excipulo undique adnatum, & formâ quidem solidâ diu constantem, qui acri, alcalinâ penetrabili, mobilitate provocat omnes ex animalibus paratos sales, neque ullo modo cedit vel illis, qui de putrefactis  
 prius



prius herbis excitantur? Hujusmodi autem in Amplissimo vitreo vase spectabilem admodum admirabundo mihi contemplandum atque explorandum obtulit integerrimus meus certusque Amicus, Hermannus Boerhavius, Medicinæ, Chæmiæ, & Botanices in Academia Lugduno-Batavâ Professor; qui tales produci tam facili apparatu ex feminibus inprimis maturis, siccis, recentibus, non præparatis stirpium acrium, mihi retulit, quam de Sinapi, Erucâ, Raphanis, Cochleariâ, Thlaspi, Cepis, Alliis, Porris, aliisque confici solent, exprimentes omni dote Sales, Spiritusque Cornu Cervi. Ego certe, à primâ olim ætate Chemicis fatis deditus, mecum, his spectatis, dixi, fieri jam omnia, quæ posse fieri negabam. quare cavebo deinceps temere definire quid fieri possit, nisi re prius ab omni parte exploratâ.

Sed & æque infuetum, mirumque ideo illud habendum, quod à me detectum voluit Creator, datumque Orbi, discrimen ingens, quod deprehenditur inter vasa sanguifera, pro diversitate munerum, quæ illis obeunda imponuntur. Si enim bene hoc fuisset observatum, cavissent utique Medici asserere, humores percolari ex confusâ materia separandos ope pororum, aut glandularum. Quid enim sani inest tali sententiæ? Recordor, Egregium Imperatoris Rusliæ Archiatrum, Dominum Arskine, super hac re interrogavisse mirabundum, an igitur negarem semen in vasis federe sanguiferis aliis intime mixum humoribus, soloque testium apparatu inde secerni? Responsum dabam, nescire me, quænam laterent in sanguine recondita, scire tamen satis evidenter, sanguinem semen haud efficere: id vero, si hæreret in vasis sanguiferis, alia requisitum esse organa, quæ prius sperma elaborassent, distincto in loco, meque hanc ob causam agnoscere, diversa esse corporis nostri vasa, meque illud in stirpibus observasse etiam; de quâ re dicam postea.

Sane quod jure me dicere posse puto, antiqui, si vasculorum ultimorum extrema illa subtilia accurate habuissent cognita, non incidissent in tot errores circa cognitionem fabricæ corporis humani. Sed ego de hac re ulterius agam, ubi vium DEO fuerit, cujus immensæ sapientiæ sint gratiæ actæ, quæ homuncionibus suam infinitatem detectam voluit ex tam miris effectis.

## II.

*De Anatome Mali Persici, Pyri, & Foliorum.*

**S**crutator fedulus corporis humani detegit quidem quotidie nova quædam, eaque inter mirabilia sæpe multa: sed & indagationem structuræ in plantis, herbis & fructibus, eo facere, sequentia docebunt, quæ & Anatomicum non dedecent, & ad Gloriam DEI multum conferunt, ut mellitus Thomas à Kempis suavissime asserit,

*Quilibet surculus enarrat, explicat omnis herbula, DEI potentiam, seque nos ut doceat, blande offert. Disce, inquit, ex me, quam sit sapiens, quam bonus, quam admirabilis, quam suavis & beneficus DOMINUS NOSTER: quod enim in me, & hoc à DEO est. Ideoque & jure canitur:*

*Præsentemque refert quælibet herba DEUM.*

Age igitur, contemplare fabricam Mali Persici, & sat scio, obtupesces mecum, maxime ubi simul perspexeris atque comparaveris priori structuram Pyri fusci majoris, quod *groot Riet-peer* Belgice vocant.

Pedunculi pyrorum constant multis canalibus, qui in corpore fructus sensim magis magisque explicati, simul plus mollescunt per gradus, tandemque in pulpam humidam exeunt, mutanturque, in quâ dulcis gratulque ille succus reperitur. Non inepte itaque puls hæc pyrorum habetur similis viscerum parenchymati, lienis certe inprimis, & hepatis. ita quoque olim vocabatur hæc materia, quam postea glandulis meris conflari voluerunt Malpighiani. Ego vero potius canales dictos velim, & vascula sanguifera, quorum amborum extremum non parenchyma, sed pulpam, appello: quia corpusculum nullum singulare glandulam nominabo, nisi propria & singulari suâ membranâ contineatur. Atque ita & hic eadem in fructibus his invenio. Si quis autem velit, totum pyrum, utpote unâ coërcitum membranâ, appellare glandulam, aut glandulosum corpus, id quidem haud ab-

sur-

furdum crederem : verum qui afferunt , fabricam pyri glandulis quoque constare , iterum mihi videntur errare.

Ita quoque universum Hepar , Splen &c. suo semper circumcincta involucro , atque ex vasculis sanguiferis conflata , pro glandulis numerari possunt : sed dicere , horum particulas etiam iterum constare ex glandulis , semper minoribus , fallax mihi apparet : & in hac quidem sententia manere cogar ex amore veritatis tamdiu , quamdiu assertores illius alterius dogmatis non ostendent particulares illas minutas partes , quas illi habent pro glandulis . mihi sane apparet parvas illas particulas tandem fieri pulposas extremitates . in aliis autem aliter se res habet , ut , volente DEO , exponam postea.

Atque ita quidem in plerisque pomis & pyris fabrica videtur . Sed in malo Perfico longe profecto aliter mirabilis cernitur constructio . Est sane huic fructui brevis valde pedunculus , soloque levi contactu à suâ decutitur arbore hoc pomum . Quum vero curtus ille pes ingenti constet canalium colligatorum serie , videntur illi se tantum extendere usque ad putamen lapideum fructus , huicque deinde tradere totum munus perficiend cætera , quæ ad consummationem fructus hujus requiruntur : namque ex omni externâ superficie lapidosi hujus corticis undique exoriuntur rursus canales , quorum distributis deinde extremis ipsa porro pulpa accrescit firmiter . Quam singularis apparatus ! Canales pulpiferi non proveniunt ex pedunculo , sed ex illo duro lapide , cui dederant illos pedunculi vascula .

Impossibile id primo quis dicat , sed experiatur , rem videbit . Neque latere velim artem , quâ arcanum hoc detegitur . Impono illos explorandos fructus aquæ , donec incipiunt putrescere , deinde vero eos vasi figulino immitto , cujus fundus planus est , sicque positos deglubo lente : excorticatos dein diu agito hinc inde per aquam , ut hoc concussu solvantur à mutuis complexibus vasa , simul autem blande lenteque comprimo inter digitos , donec incipiat dissolutio fieri . Tum vero manifesto apparet analogia maxima , quæ est pulpæ huic vegetabili cum corpore pulposo Jecoris , Splenisque , tam in homine , quam in vitulis . Sed , quoniam

B

splen

splen hominis non est semper aptus ita tractari, ideo potius eliguntur lienes molliores. Ita enim olim, quum longe maxima esset difficultas cadavera humana nancisci, confugiebant Anatomici ad corpora mortuorum quadrupedum, avium, piscium, quod & hodie adhuc obtinet: neque profecto utile hoc adminiculum rejiciendum umquam videtur: at prudenter comparatio est instituenda, & indaganda via qua postea tutius explores, num & in humano ita corpore omnia se habeant. Sed, fateor, ne somniaveram quidem, umquam vegetabilia etiam servire detegendis in corpore humano partibus, ut jam feliciter experior. neque sane hæc tantum disco in fructibus, sed in ipsis quoque foliis.

Diu occupatus fui in rimandis valis, quæ per hæc decurrentia olim nervos foliorum appellavere Botanici: sed longe rectius jam mihi licet eadem vocare vasa succosa; post hæc omnia cœpi videre, & hæc dissolvi, atque in scæta redigi posse herbacea.

Dum hoc ago folia Aloës Americanæ muricatæ explorans, & dissolvens, deprehendo, omnia ejus vasa secundum longitudinem folii excurrere, atque vix ullos laterales ramos ex se dimittere. Sed & video simul inter hos canales pulpam valde analogam illi, quam in pyris, & Persicis, inveneram, ut & satis similem illi, quæ in liene est humano. præterea non poni hanc pulpam ad extremitates decurrentium vasorum oblongorum, sed locari inter canalium appositorum latera. Atqui quam auspicato evenit, ut, dissolvendo hanc pulpam, clare viderem eam ipsam consistere vasculis minimis, atque in ea manifesto resolvi etiam posse: ita quidem, ut referret satis commode corticis cerebri fabricam. Hæc sic parata jam domi servo, ut spectatori possim offerre. Frustra autem hic apparatus tentatur in Aloë Socotorinâ, vel Africana: namque in his invenio quidem decurrentes rectâ juxta longitudinem folii canaliculos, absque ramis lateralibus; sed tamen omnes pergentes juxta longitudinem membranæ folium investientis, cui se firmissime innectunt. Porro pulpa illa in foliis parum solidæ habet substantiæ; sed maxima inest copia liquoris pellucidi, viscosi, albumen ovi referentis. Servavi hunc liquorem, atque die

die sequente observavi pulchre purpureum evasisse ita, ut pigmentum illud chartâ exceptum, vel linteo, constantem pulchrumque colorem referret. Sed quanta diversitas obtinet in folio Opuntiae Spinosae Americanae? Ejus profecto canales succosi per folia decurrentes, ubique emissis ramis lateralibus se mutuo inter se contexunt, atque praeterea coadunantur mirifice simul concurrentes in eo loco, ubi formant novum folium, si fas est folium dicere, & non potius totam novam plantam. certe ibi omnes distincti illi canales artissime uniti coeunt, iterumque ex eodem hocce loco egressi disperguntur abeuntes à se invicem per novum illud folium: fitque idem illud per totam quidem plantam ubique. Sed & aliud observavi in hac Opuntia, quod non vidi aliis in foliis. Folia etenim haec valde adulta, inque sceleton formata, siccataque, in tres, quatuorve lamellas, aut etiam in quinque, quae sibi mutuo secundum longitudinem incumbunt, separari a se invicem possunt. Quod & domi meae spectandum servatur. Quis itaque fatis digne laudes dixerit Omnipotentis, sapientissimique Numinis, qui tam mira, varia, utilia, ejus opera conspiciat, unde tot tamque diversa vegetantia, humanis servientia usibus? unde aedificia, naves, horum supellex, cibi, potus, vestes, ignis pabula, medicamenta denique, parentur nobis. Imo vero est, ut credam, ad doctrinam quoque morum proficere saepe stirpium proprietates: idque ut firmem rem narrabo saepe mihi visam. Anni ultra quadraginta elapsi sunt, ex quo in Amstelædamenti Horto alebatur planta ex Aegypto delata, quam Colocasiam veram affirmabant; sed quum florem fructumve numquam ibi perfecerit, dubitare licet, an non vera fuerit Ari species. Ornata erat utique foliis latis, per quorum medium decurrebat crassa compages canalium succulentorum, quae Nervus tum dicebatur. Extremitas hujus ita dicti nervi, ubi pervenerat ad apicem sui folii, inde emergens progrediebatur sola, in spiras se hinc inde torquens, eo fere modo, quo videmus rem se habere in Priapo vegetabili, Rumphio descripto, titulo Herbæ Canthariferæ.

Quando itaque terra in fistili, cui insita erat hæc planta, arida facta irrigabatur aquâ, observabatur, simul ac nimium

affunderetur aquæ, ultra quam egebat illa, distillare illico abundantem affusi humoris copiam guttatim ex apice intorti extremi, & quidem velociter, donec superesset tantum aquæ quantum requirebatur ad sanitatem, non ultra. Sed mirabilitas spectaculi nocuit plantæ: nam affusa uberiore aquâ tamdiu irrorata fuit, donec moreretur à colluvie nimia; ut & biboribus fatalis sic corripitur gradus ad mortem.

Dixi itaque ex demonstratis haud modo, analogiam maximam inter pulposum multorum vegetantium; sed & comparisonem posse institui inter nostra vasa sanguifera, & succifera plantarum. etenim qualibet corporis nostri particula, quæ destinata est parando alicui singulari humori, semper habet diversos longe canales ab omnibus aliis, & sic in stirpibus obtinet. Magnum hoc arcanum suorum operum voluit DOMINUS DEUS revelare hominibus per me, in honorem, gloriamque suam. Utique quando hoc primum inveneram abripiebar in admirationem fere ecstaticam. Certe extrema posse vasorum sanguiferorum oculis spectari, res non est parva. fatetur certe Malpighius sibi id impossibile fuisse. utinam magnus ille Scriptor, qui suo tempore sibi parem non inveniebat, hoc spectaculo potuisset oblectari! Longe aliter de quibusdam scripsisset rebus. Ut enim tam ingens est inter ipsa vasa sanguifera diversitas in corpore humano, ita & in ipsis etiam vegetabilibus videtur, quorum etiam fistulæ ultimæ accommodantur efficiendo illi operi, quod ab iis requiritur ex lege Creationis. Hanc enim potestatem infudit cuique Creator ipso in semine. Inde igitur tanta diversitas in succis vegetantibus, horumque potestatibus, ut purget hic, alter obstitet, &c. quin & hoc ipsum levi constat & quotidiano experimento. Si eidem terræ in eodem vase inferis Aloën, & Sacchariferam arundinem, eidemque committis aëri, eidem pluviam, rori, soli, feret illa amarum purgantem, hæc suavem gratumque succum.

Sed si spectes utriusque harum fabricata vasa, quanta erit differentia? Si autem ultra jam quæsieris, scire, nefas, qui vasa descripta operentur, dum tam diversos ex eadem materia succos conficiunt, dicam frustra id quæri; & agere per abdita hæc DEUM, cujus adoranda sapientia, cujus acquiescendum provi-

providentiæ. Et sufficit, bonitatem NUMINIS nos docuisse hoc fieri, licet modum quo fiat huc usque absconderit.

## III.

*De Eruptione Sanguinis per cutem capitis &c.*

**T**Errorem immanem, mulieri ubi incutitur, longe periculosiorem esse, atque multa pejora effecta habere, quam si vir eundem pateretur, quotidiana docet experientia.

Viginti abhinc annis accidit, ut puella quædam valde perterrefacta, illicò undique infestaretur per totum suum corpus exanthematis magnis, quæ degenerabant in ingentes vesicas haud absimiles illis, quas cantharidum applicatio excitat. Disparebant hæc deinde pro aliquo tempore, iterumque postea apparebant per vices. Medici contulti super raro hoc symptomate asserebant, prævidere se orituram hoc ex malo facile Apoplexiam, aut Paralyfin, vel forte & Epilepsiam; nec ita diu post sequuta fuit primo particularis paralyfis brachii sinistri. Exercitatissimus tum Chirurgus Petrus Plaatman vocatus, ut huic mederetur malo, præscripsit usum balnei cum aromaticis herbis, cui dum inidebat, pars affecta perfricabatur fortiter, fuitque is rei successus, ut eousque restitueretur in parte læsa mobilitas, ut jam aciculam tenuem humo tollere posset, suasque rursus sibi vestes induere. Dum gaudet hoc levamine, incidit denuo in novum paralyseos violentæ malum, quæ totum ferme afficiebat corpus; porro autem & accidebat illi effusio cruoris ex cute capitis supremi, tam improvise quidem, eaque cum impetus velocitate, ut citissime omnia lintea capitis integumenta ab effuso hoc cruore permaderent. Nullum observabat eruptio hæc exacerbationis ordinem, cujus incertitudo atque rei familiaris egestas coëgit matrem, ut locum afflictæ filiæ curandæ, atque alendæ, peteret in notocomio publico; ubi per quatuordecim dum fuit hebdomadas, vix tantum liquidi cibi consumebat, quantum cochleari prehendi potest. Domum redux, ad matrem diris corripitur convulsionibus,

inde in furorem incidit, ita ut septem totas hebdomadas ligari funibus, & coerceri debuerit. Toto autem hoc spatio ne semel quidem alvum evacuavit. Neque haud ita diu post plurimum vomuit cruoris. Igitur interdictus fuit balnei, quod rursus ipsi fuerat commendatum, usus. Post vomitum sanguinis evenit illi urinæ retentio: quare Chirurgus dictus per integros novem menses quotidie lotium per immissum catheterem educere debuit. Postea vero vivum emisit sanguinem per aures, os, oculos, umbilicum, mammaeque: & quidem ex his tantum exilliebat sanguinis, ut necesse foret vitris supra papillas impositis profluentem cruorem excipere. Jam vero usque adeo emaciata, atque viribus orbata est miserrima hæc virgo, ut languidissimam trahat vitam. Accessit autem & tumor ad oculum sinistrum valde prominens; imo & lingua ipsi in ore circumtorta jam jacet; inde neque loqui commode, nec edere expedite valet. Atque ita nuperrime eam reliqui. Quamvis autem de calamitatibus descriptis plurimæ illam nunc reliquerint, attamen adhuc profluvia cruoris per capitis cutem frequenter patitur. Quando nuper casum hunc enarrabam Medico Boretio, curioso certe rerum Anatomicarum & Botanicarum indagatori, usque adeo ille ardebat desiderio propriis usurpandi oculis ægrotam, ut rogare non desisterit me, ut adducerem ad illam. Morem ei gessi. Quum unâ igitur invisebamus ægram, incepit illico quam oportune tantum effluere sanguinis; ut intra paucum tempus per omnia capitis integumenta profluens spectaretur. Vexat eam nunc temporis perpetua dextri pedis exagitatio, linguaque ad unam oris partem firmiter est affixa, atque intorta utcumque. En malorum terribilium syndromen, cui similem videre non memini.

Haud ignoro tamen, menstrua mulieribus retenta varias sæpe per vias exitum sibi quæsisse, & per os etiam, aut capitis integumenta, exivisse: id enim descriptum observatoribus dudum fuit. Sed tam multa, singularia, & dura symptomata accidere uni sceminæ, haud vidi. Anatomici tamen hinc discere poterunt, sanguinem exivisse osculis extremis arteriarum, horumque eminentibus poris. via ergo recta à corde



corde in epidermidem usque est arteriosa: nam intentis vidimus oculis vivum, coccineum, verum, sanguinem arteriosam cum impetu veloci expelli ita, ut vividiorum numquam sanguinem conspexerim. Quando itaque assero sanguinem descriptum de corpore egressum fuisse per poros, debent igitur pori hi esse meatus continuati ipsi cum arteriis, adeoque pori illi ipsi considerandi sunt tanquam oscula hiantia extremarum hic arteriarum. Inde quoque credo, in statu naturali, & bene disposito corpore, sudorem nostrum excerni, ut & naturales perspirationes. Neque video opus esse ad negotium hoc, vel glandulas ita dictas subcutaneas, aut alios ullos sudoris fontes: certe enarrati meatus adiunt, alii nondum demonstrati habentur; atque evici, papillas esse nervosas sæpe, quæ pro sudoriferis cutaneis glandulis haberi solent falso.

## I V.

*De Vestigio in Ovario post imprægnationem relicto ab excusso inde ovo.*

**C**Larissimus Regnerus de Graaf, æqualis quidem, & popularis meus, qui tantà cum laude se gessit in descriptione partium generationi dicatarum in viris foeminisque, ovarium nobis reliquit depictum bovis imprægnatæ, atque evidenter indicavit locum, unde ovum foecundatum exiverat in Tubæ Fallopianæ fauces. Locum hunc cicatricem ille vocat. Attamen, quia locus ille manifesto apparet intar parvæ, excavatæ, globosæ, cavitatis, quæ sensim, & lente, successive iterum coit, ut os matricis à partu, absque ulla interveniente materià: ideo puto magis proprie mereri nomen vestigii, quam cicatricis: cicatriculæ quippe semper relationem ponunt ad prægressam quandam solidarum alicubi partium solutionem, quæ in cute obtinet. Hic autem nulla contingit continui solutio, neque vulnus, neque crepatura, aut ruptio membranæ ovarium circumcingentis; sed simplex modo est apertura dilatata oris antea quidem angustioris, sed tamen vere præexistentis: quemadmodum os uteri tempore par-

partus ita dilatatur: atque inde quidem postea vestigium ovario impressum spectatur primo, sensim rursus evanescens. Neque credendum, quod multi tradunt, in hoc exitu ovi ex ovario, separari omne id, quod appellatur nomine ovi, ab ovario ipso; neque enim nimis magna hæc moles apertura Tubæ reciperetur: sed calix ovi manet in ovario, solum autem ovum inde solutum, cum rudimento Amnii, & Chorii

Inde igitur tollitur objectio, quam plurimi formant contra hanc Doctrinam, rogantes, quonam pacto tam magnum ovum, adeoque tenaciter ovario adhærescens, fœcundatum in angustias tubæ uterinæ possit intromitti. Sed nequaquam fit, quod illi putant. manet calix in ovario, ut & in gallinis, ubi idem sane spectatur. vitellus scilicet exit ovario, relicto calice, atque ibi quidem per osculum rimæ oblongæ instar ibi hærens, aliter quam in homine, & quadrupedis, ubi illud rotundum & cavum reperio. Roget hic quis, an modo asserta quidem viderim, num vero ex ficta hypothese ita rem esse putem. Sane, si semel tantum descripta ita vidissem, cautius de hac re & parcius loquerer. Sed aliquoties ita inveni in puerperis post mortem: nec frequens mihi defuit occasio, quam semper captavi, & usurpavi, sedulo. Considera, jam integros me tres & sexaginta annos incubuisse huic negotio. Considera, quanta mihi opportunitas fit nata in tam populosa urbe. Quod si quæras porro, an cuique ovulorum una talis destinate propria apertura sit in ipsa ovarii superficie: anque per aperturam hanc genitale fœcundi viri semen penetret in ovi medietate, ut illud ibi fœcundet, atque deinceps ad egressum disponat; utique, ita sentire me profiteor. Neque enim puto, solos masculini feminis exhalantes, volatilesque, spiritus eo facere. Novi, in coitu imprægnante semen magnam partem effluens iterum demitti: nam in ipsa tamen matrice remanere semen crassum, fœcundatum sufficiens, certo scio. Quin & mirabitur nemo, rursus ejici semen, qui cogitat, quam sit magna feminis a viro sano copia, rursusque quam exigua sit uteri capacitas, quæ sæpe minutior Amygdalam vix comprehendat. Sed neque video adstrui illam de solis spiritibus fœcundantibus sententiam inde;

de; quia semen dicitur haud inveniri post copulam in utero vel tubis. Contra enim & cavum uteri, & utramque Fallopianam tubam, recepto plurimo femine turgentia inveni, jamque illud ipsum curiosis ostendere iterum domi meae possum; quod & in Thesauro Cæsaris Ruffiæ binis in præparatis clare spectari potest: ut & editis libris dudum descripsi. Si ergo ipso femine opus non fuisset ad prolificationem, sane Tubæ Fallopianæ haud forent repletæ crasso femine, quod cuique tamen apud me cernere licet. Sed aliud est valde memorabile in conceptis, ut fere videatur in ovario tum partus fieri cum voluptate, qualis postea cum dolore fit parturiente matre. Nam fundus calicis in ovario relictæ, si spectatur statim ab imprægnatione, totus profunde rubet, atque in superficie suâ interna villosus, scaberque, apparet, prorsus ut in utero videtur, quoties superficies ejus interior inspicitur statim à partu.

Si instat quis, an unquam aperturas tales, quales hic admitto, oculis meis in ovario conspexerim, fateor, me illas haud ita patulas vidisse; verum veluti pori cutanei non semper, sed certis tantum temporibus possunt videri, ita quoque hic contigit. si vero excutias argumenta, quæ faciunt ita ut sentiam, & quæ jam supra attuli, pro certo habebis, credo, mecum ab ipso effectu & eventu securus, totam rem ita se habere.

## V.

*De susceptione Intestini in fœtu humano.*

**M**alum hoc frequens accidere adultis satis superque olim demonstravi: quum & id semel in ipso viderim colo, & in quatuor dissectionibus per continuas vices institutis in nosocomio invenerim. Jam vero in infante ante quatuor tantum dies nato, primâ vice in meâ vitâ, per tot dissectiones exercitatâ, etiam inveni, neque sine magnâ admiratione. Quis enim tam lethales morbos in tenellis expectasset infantibus? Credidi frequentius forte accidere, præcipue ab epilepticis infantum insultibus; unde postea, per diros assiduosque eju-  
C
latus

latus se manifestat morbus. Demulcentia quidem, emollientia, & anodyna, in eo casu exhibita, parum juvant, neque vel idonea multum profunt clysmata; namque paucas intra horas in æternam recedunt hac ex vitâ quietem.

Fortia sane purgantia contra hoc malum adultis data sæpe multum quidem juvant, & multo plus boni efficiunt, quam demulcentia, vel anodyna: attamen, quoties vera est susceptio, nihil invenio magis prodesse, quam humores statim per epicrasin expurgare, donec levatur & sanatur malum. Ideoque & in tenellis hisce corpusculis idem tentandum puto, & repetendum tamdiu, donec alvi sequitur exoneratio, atque inde etiam sequens morbi levamen: sed talia hic eligenda suadeo remedia, quæ satis sint valida pro ratione virium in tenerâ ætate: ut & certo cognovimus adultis quoque in hoc casu valde fortia semper subministrari debere purgantia:

## V I.

### *De Exuviis Chrysalidum in imis ossibus repertis.*

**N**escio, an Medici, atque naturalis historiæ studiosi, invenerint umquam aliquid, quod magis apparet admirandum, quam id, quod jam describam; utique inter ea, quæ reperiuntur in hac tertiâ Decade, primarium habetur. Ego certe, ubi rarum hoc neque creditum mihi umquam spectavi phænomenon, obstupui attonitus, vix mihimet propriisque oculis credens, dum insolitam & inauditam rem contemplor.

Suaferat mihi sæpe, imo & urserat, Clarissimus Boerhavius, ut acriter inquirerem in fabricam interioris partis ossium, quæ membranas, vascula, medullam horum continet, semperque dixerat, esse ibi multa, quæ diligentissimi Malpighii industriam, atque Haversii sagacitatem, subterfugerant ad hoc usque tempus. Ego, qui maxime occupabar in molliorum partium fabricâ rimandâ, tandem toties instigatus ab Amico meo parvi, atque perscrutandis imis ossium meditullis totum me dedi per longum satis tempus.

pus, noctes diesque impendens his ad intima usque perspiciendis. Variis divisa modis ossa, fracta, filia, subtilissima ferrà artificiosissime dissecta, examinavi, commemoraturus postea, quæ immenso hoc labore reperi. jam modo unum hoc, quod se obtulit, libet enarrare. Meministi forte, mi lector, me quondam in lucem edidisse libellum, Titulo Thesauri Animalium primi. Incusavere hunc meum laborem aliqui ut inutilem, neque meo congruentem muneris. Errant, qui ita censent; nisi enim in tali me quoque studii genere exercuissem, forsitan & hoc, quod jam describam, latuisset semper: nam perscrutando insectorum naturam, œconomiam, & metamorphoses, evasi aptus, ut rem hanc observare, recteque intelligere possem, quàm in ossibus deprehendisse dico. Vidi enim residua, vel depositas exuvias veras, Chrysalidum dictarum, vel Nympharum apud Zoographos. Testulas, ut ita loquar, ajo me reperisse, quæ integumenta fuerant viventium olim animalium. Erant primò tam exiguæ hæ pelles, quas mihi ibi latentes ostendebat artifex egregius, cujus utebar dexteritate ad ossa hæc ferrà juxta longitudinem secanda, ut facile effugissent meos oculos, nisi fuisset utcunque peritus historiæ insectorum. Incitatus primo hoc casu surrexi animosior ad introspectiendâ ossa, statimque inveni in cavitate ossis femoris, & in osse humeri, eadem animalcula, ut in asservatis his domi meæ cuilibet curioso ostendere promptus sum. Ultra pergens, spectavi hæc non modo in ossibus adultorum sed & in osse tenelli infantis. Ita quidem, ut in octo distinctis ossibus jam ea ostendere queam. Id vero memorari quoque meretur, Chrysalidas has non unius modo, sed triplicis & diversæ fuisse speciei, ut in figurâ depingendas curavi.

Non quidem recentia erant hæc ossa, attamen omnino undequaque integra ita, ut nihil penitus inesset quod corruptionem ullam, aut putredinem referret, ut domi meæ in Thesauro novo videri potest. Si quis rogitet, quoniam in cavitates has talia ingredi possint, ego vicissim rogabo, per quam viam in Arteriam magnam sub corde integer fasciculus oblongorum implexorumque inter se ver-

mium factus sit ingressus. Hunc tamen vidi, atque descripsi. Unde in ovario muliebri series dentium? Unde lumbrici lati & triginta ulnas longi in corpore humano? Unde crus infantis in Atheromate placentaë uteri? Unde sex pingues, crassaë, eruca in cerebro ovillo? Unde animalculum quadrupes, crumenulà coërcitum, rejectum vomitu? Hæc tamen omnia vidi sic ibi nata, partimque in nova collectione asservo ipse, partim in Thesaurò Imperatoris Russiæ fervantur. Hæc vix videntur fide digna. Sed legiti aliud olim quod scripsi. Vir egregius implorans meum consilium accedenti ostendit multas Chrysalidas parvas, quas cum urinà suà rejecerat quotidie, quarum mihi nonnullas dabat in pyxide lignea, ut in rem inquirerem. Dum die sequenti pyxidem aperio, multa per eam volitabant exigua animalcula, depicta in Thesaur. Anat. I. Omnia hæc qui ponderat, mecum, opinor, fatebitur, scientiam omnem, quam huc usque de rebus naturalibus habemus, nullo modo attingere posse modum, quo tam mira efficiuntur, quæ fieri tamen videmus. Super hæc re legi tractatulum Gallicum de Vermibus, in quo scribit auctor, cujus hodie sententiã plerique sequuntur; (neque aliter quidam inter veteres sensere) nullum animal nasci, nisi ex ovis præexistentibus animalium similium, & in masculino humano femine ovula minima plurimorum animalium aliorum latitare, quæ in eo fota, idoneo tandem tempore adolescant, & post multos sæpe annos viva hæc animalcula producant. Quidquid hujus rei fuerit, nec assero, nec nego, sed neque conor decidere: quia meum non est, de probabilibus conjecturis, sed de rebus ipsis agere. Sæpenumero conquerentes audivi optimà fide homines de intolerabilibus in ossibus femoris, tibiæ, humerì, brachii doloribus, neque tamen eorum atrocitatem augeri, licet affectas partes premant, tundant, tractent; interim sunt violentissimi interni dolores. Dixi sæpe his, imis hæerere malum medullis. Quin & ipsi hi ægri verbis exprimere conantur verum rei sensum, dum ajunt, in ipsa ossis mole sedere, quod sentiunt. Quia tales vero reliquiæ hujusmodi animalculorum in mediis ossium cavitatibus deprehendimus; forte liceret credere produci illa tormenta ab insectis exiguis ibi stabulantibus, quæ mordendo,

dendo, rodendo, terebrando, exedant tenuissimam membranam, quæ medullam ibi contentam ambit. Certè defunctis hisce, nulla est occasio intima horum ossium perscrutandi. Attamen certo constat, dolores hujusmodi, usu Mercurii, ut veri contra omne vermium genus antidoti, perfectè sanari. Affirmo bonâ fide, sanavisse me multos homines, qui multos per annos dolores enormes ossium passi, nullam tamen vel minimæ labis à lue Venereâ ortæ suspicionem dabant, vel signum, idque ope argenti vivi. Forfan tum hæc animalcula occisa. Sed nec illud ultra modum problematicum dictum esto. Manet tamen interea certissimum, chrysalidas hæc ibi in cavernulis ossium latitare. Sed & verissimum quoque est, ossa illa undique integra, non rafa, terebrata, cariota, rupta, fuisse. Quin & nulla vel minima in iis spectatur apertura, aut rima vel minima præternaturalis. Denique & in osse humeri infantis unum modo annum nati reperio easdem.

Si autem dubitet quis de rei veritate, cæterisque memoratis circumstantiis, hunc ego domum meam invito, huic ajo, Veni, & vide. Spectabit evidenter nihil dolosi, nihil subesse falsi: tot enim diversæ, tamque diversis locis sitæ, conspiciuntur, ut penitus sit impossibile per artificium humanum ita ibi locari potuisse intra filamentoso-cellulosam fabricam horum ossium, tam arctam, tam intricatam. Ipse etiam peritus Artifex, dum ferrâ divisum est os, illico mecum vidit. Et quâ improba ratione adductus ego, qui DEI opera, non falsa figmenta, per tot indagavi annos & publicavi, vellem hæc fingere jam octoginta quinque annorum senex, & sic alios fallere, & decipere? Fateor, me, dum jam ultra sexaginta annos occupatus fui, multa nova, in animalium corporibus detecta, describendo, multos habuisse quam frequenter oblocutores: verum quoties me ipsum convenire, atque mea domi meæ contemplari non dedignabantur, semper fere confitentes audivi, aliquando etiam invitos, *Id numquam credidissem, nisi viderem jam.* aliquando dicebant, *obstupesco.* quin & rerum medicarum studiosos frequenter audivi præ indignatione exclamantes, *Itane ergo nobis imposuere Professores nostri!* Accidit quandoque, ut, postquam descriperam aliquid,

atque per editas quoque icones depinxeram, homines putarent hoc pro falso tantum & effictio habendum esse. Hinc mihi nata fuit necessitas cogitandi de arte, qua omnia, quæ præparaveram Anatomica, dein non mutata, sed talia accurate, ut in effigie edita depinxeram, conservare possem. Idque postquam conanti successit, jam ea omnia, vel in liquore balsamico suspensa incorrupta, vel singulari encheireffi indurata instar lapidis, & tamen pristinae figuræ perfecte tenacia, conservo. hinc dubitantes, negantes, obloquentes, convinco, semper ingeminans, *Venite, videte, finis erit dubiorum, erit litium finis.*

## VII.

*De Mesenterio.*

**I**N alterâ Adversariorum Anatomicorum decade multa, & quidem singularia, attuli de Mesenterio, quibus addere fas est ea, quæ deinde circa illud inveni. Cadaver inspiciebam incisum edentulæ dudum atque decrepitæ penitus vetulæ. Id mihi primo extrinsecus contemplanti admodum macilentum apparebat. ubi vero aperueram, valde pingue ubique cum admiratione conspexi, abundantique per omnia pinguedine fatis conspersum; musculos autem emaciatissimos, & mire imminutos inveniebam, quales & olim sic reperire sæpe memini. In aliis quandoque cadaveribus detexi quidem omne consumtum penitus pingue, quum interim in iis muscoli torosi & magni bene se haberent. Intestina jam scrutabar primo sedulus, mesenterium deinde, mesocolon, & harum maxime partium glandulas. Mirabar statim, tam paucas me illas, easque adeo simul exiles, invenire: nam in spatio meseræi, palmam manus æquantibus duas tantum reperiebam, aut tres semine cannabino vix majores. Atque hoc ipsum phænomenon occurrit mihi sæpius in mesenteriiis valde annosarum anicularum: quod observationi meæ materiam dedit aliquam, de quâ tamen nihil proferam, nisi post plurima comperta experimenta, quæ opinionem meam super hac re omnino confirmant.

An



An forte glandulae hae mesenterii in certo aetatis termino incipiunt evanescere in corpore foeminarum, ut mammae in his adeo delentur, ut solae tantum papillae supersint, nihilque praeterea quidquam de toto, & adeo olim magno, mammarum corpore? Sed quid tum chylo continget, qui solebat prius per venas lacteas deferri ad has in mesenterio glandulas, certos & necessarios in usus? Ibitne forsitan ille jam per venulas mesentericas exiguas ex intestinorum cavis absorptus in ipsum Hepar? Profectò saepe super his meditans dubito, an non in vegeta quoque aetate pars chyli venulis meseraicis ducatur semper in Hepar. His ita conscriptis accidit, ut iterum nanciscerer cadaver talis decrepitae: in quo tantummodo hinc inde parvam glandulam talem reperi vix grano sinapi majorem. Contra vero aperiendi cadavera eorum, qui in flore aetatis occubuerant, apparuit mesenterium refertum tantâ glandularum copiâ, ut in portione ejus palmae manus aequali sexaginta vel septuaginta glandulas invenerim quas domi meae possim demonstrare. Inter illas sunt, quae semen cannabinum, aliae quae brassicae granum, aequant: imo aliae, quae nuci moschatae, aut & olivæ minoris fructui sunt pares; sed minimæ illæ semper visum fugiunt, nisi prius vasa mesenterii optimâ arte bene fuerint repleta, ut vascula sanguifera appareant.

Porro detexi hoc valde notabile, quod vasa sanguifera repleta in maximis harum glandularum habeant ultimas suas extremitates terminatas in substantiam pulposam, ut in hepate. Est autem harum arteriolarum reptatus adeo singularis, ut ei similis in toto corpore humano non reperiatur. Quid autem hac propria fabricâ illis in locis suis hæc vascula præparent, quid efficiant, nondum adeo clare liquet, ut cum certitudine aliquid hac de re afferi possit: id solum expertus fui aliquoties in his, chylum ab Intestinis usque ad glandulas has appulsum colore esse & spissitate puri lactis, atque, dein ex iis iterum egredientem dilutiorem, subtiliorem, & pellucidiorum, apparere. Numquam antea credideram, hanc repletionem usque adeo profunde penetrare posse. Jam vero res successit: unde lætus exclamare cogor: Vah quantum est, quod nescivimus ante Repletionis artem!

quan-

quantum didicimus per illam! O mirus naturæ in ultima vascula olim invisibilia appulsus, quo tam abscondita manifestantur! O grata Repletio, numquam contemnenda deinceps, numquam landanda fatis!

## VIII.

*De Epidermide.*

Quam multa singularia hæreant etiam in extimis corporis humani integumentis, soli norunt illi, quos indefessos in his perscrutandis occupavit labor. Sæpenumero certe miratus fui Anatomicos priscos dissectionibus publicis multa sæpe verba fecisse de tertio corporis integumento communi, Cute scilicet: siluisse autem de binis prioribus hæc cute, Cuticula scilicet, & Reticulari membranâ. Quod si festivi ille ingenii Eruditissimus Swalvius viveret, qui tam eleganter scripsit Querelam Ventriculi, quid obstaret, quo minus stylum acueret in laudem illorum Integumentorum, in quibus præter merita neglectis tam multa tamque pulchra hodie demonstrari illi possent? Certe qui olim de fabricâ scripsere corporis humani, in eâ hærebant opinione, cuticulam esse coagulationem superfluum humorum de corpore humano emanantium, qui ab appellente frigidiore aère ibi in superficie corporis inspissarentur: ideoque ne quidem partem corporis habendam esse censebant. Jam vero acrius rem perscrutati non solum videmus has esse veras corporis partes, verum etiam necessarias, adeoque vitæ humanæ tam utiles, ut absque iis miserrima foret.

Probum bene novi Virum, qui cuticulâ, & membranâ reticulari Malpighiana non quidem plane orbatus est, sed cui hæc tegumenta adeo sunt subtiliter tenuia, ut neque moderato calori, nec frigori tolerando par sit, sed ab utroque plurima incommoda, imo & dolores, suffèrat quotidie. Si tertium nostrum Integumentum generale, Cutis, à binis prioribus deglubitur, sanguis de corpore dimanat. Quin imo, quando in aère, & aquâ, hæc duo integumenta dura, crassa, sicca, rigida, fissa, sunt, quam molesti oriuntur morbi,

bi, quamque difficulter curabiles! Sed etiam Chirurghi norunt quam difficile semper sit, per medicamenta epulotica, quae frigefacientia debent esse, & exsiccantia, epidermidem rursus superducere cuti; quin & ubi per haec non procedit cicatricis suae productio, cogimur aliquando confugere ad ea emollientia, quae simul humectantia sunt, ut ad Digestivum aureum, & similia. Parco hac occasione & illos memorare, quibus ab actione incensi pulveris pyrii cutis decoriata fuit. Certe deinde hac ex causa tanta quotidie puris copia gignitur, ut exhausti viribus, idoneoque nutrimento privati mortui sint. Qui casus aliquoties nobis obvenerunt. Videtur itaque non decorum, de hisce integumentis vel contemptim loqui, vel negligenter de iis tractare: neque sane oblitus rei illius sum, quae multos ante annos nihil tale merenti mihi accidit. In publica quidem tunc demonstratione Anatomicâ, coram frequentissimâ honoratorum spectatorum coronâ, meo more exhibebam tria communia corporis extimi integumenta haec, atque in his solis tantum demonstrandum habebam, ut iis sesqui horam integram impenderem. Intererat huic demonstrationi Medicus Amstelædamensis, practicus famigeratissimus, una cum Burchero de Volder, Philosophiae & Mathematicos in illustri Academiâ Lugduno-Batavâ Professore Eximio. Hic ille medicus omnibus aequè in demonstrationem intentis per contemptum, finita demonstratione, in haec verba erupit: *An igitur vilia haec merentur, ut iis cognoscendis sesquibram perdamus? An quidem decet Anatomicum nostrum talibus tractandis nos tanto tempore detinere?* Miratus hominis dictum Egregius Voldeus regessit, *Itane tu de hoc negotio sentis? Ego numquam tam subtilia, atque vera tamen, in corporis humani partibus scivi, aut vidi.* Atque sic ostendebat, se verum talium spectatorem fuisse. Sed quam ratione, & arte, illa integumenta debeant separari, ut rite exhiberi queant oculis, neque ego descripsi hætenus, neque alios sincere describentes inveni: quare meretur hoc artificium simpliciter exponi. Olim candente ferro cadaveri applicato, aut aliis vesicatoriis mediis, id efficere conabantur Anatomici: tum vero tam inquinata apparebant haec, ut vix ad spectum ferrent, certe distincti omnino nihil exhiberent. Pertaesus itaque inepti

hujus operis circumspexi nitidiorem agendi modum, certioreque in suo eventu, quam cum Lectore meo libens hic communico. Portionem capio cutis humanae a cadavere separatae, unde follicite pinguedinem aufero, dein fortiter super tabellam ligneam extendo, ut quaquaversum rigide tensa sit, ea tamen lege, ut epidermidis externa superficies exteriora versus spectet. eo facto, totum demitto apparatus in purissimam fervidam aquam, quo pacto, cuticula, & reticulare corpus se laxare incipiunt à subjecta cute, patiunturque se obtuso cultello accurate inde separari: tum ita separo eousque, ut volo; atque separata à se invicem, sed in parte adhuc nexu suo cohaerentia tamen, sic haec tria in liquore meo suspendo, aut in aëre aperto exsiccata refervo. tum vero in iis, quae sic praeparata sunt, apparent manifeste tria integumenta haec: ut sic praeparata in Æthiope, in Semi-æthiope, & in Europaeo, domi meae curiosis rerum Anatomicarum quotidie ostendo. In Æthiope semper invenio corpus reticulare totum nigrum, in Semi-æthiope dilutius nigrum, in Europaeo ad solem in agris exusto flavescens, sed in candidi, nec solis æstui multum expositi hominis cadavere Europaei ita candens, ut vix queat distingui. Epidermis autem semper à cute in omnibus facillime distinguitur, atque separatur. Cutis humana lenta est, & valde extensilis, neque tam facile dilaceratur, quam cuticula, quae valde est fragilis, & quam levissima vi dilacerabilis. Quando autem epidermis exsiccata est, non facile poterit extensa in planum retineri, sed suâ sponte statim in corollas, & phyliras, quasi circumducta, convolvitur, simulac committitur sibi ipsi. Nulla Epidermis habet vascula sanguifera; quum cutis interim iisdem quam repletissima sit usque adeo, ut si in vasa ejus rubra cera feliciter immissa sit, tota sane explicata cutis nudo oculo conspecta appareat quasi unâ homogeneâ rubedine tinctâ; atque ubi tum radiis solaribus à tergo insipientis oblique irradiantibus cutis haec sic praeparata, atque oleo terebinthinae affuso madens, per microscopium rite inspicitur, videtur certe tota quanta est solis constare vasibus. Interim tamen epidermis, quae illi cuti adhaerebat eo tempore, quo haec cutis ita repleta fuit, ne minimum quidem,

dem umquam in tot millibus praeparatorum, vestigium ullius vasculi, vel microscopiis conspiciendum exhibuit. Hæc ita se habent, mi Lector, sic inveni semper, nec umquam vel in uno casu aliter. Quare & bonâ sic fide tibi enarro, qui nudam veritatem solam quaerere, invenire, exponere, conor.

Quàmnam ergo me admiratione affectum putas, quando audiivi inter plurimas rerum Anatomicarum gnaros esse Londini Celeberrimum Anatomes Cultorem, Sancti Andreae nomine, qui asserat non modo verbis, sed & clara ostentatione, demonstrare se jactet; totam epidermidem ita se praeparare, ut infinitis vasis rubrâ materiâ injectâ distentis turgeat ita, ut vascula ejusque canales ubique nudo appareant oculo. Est certe vel in errore ipse hic Egregius Artifex, aut alios fallaciâ quâdam decipere gestit. Tenuissimam enim cutis partem, aut alias quasdam tenues membranas, vasculis visibilibus praeditas, pro epidermide falso ostentat. Si autem peritissimus ille Anatomicus, haec ita monitus à me per publicum hoc scriptum, tamen hac suâ in jactantiâ perseverat, age, paratus sum posito pignore decertare, illum in epidermide vascula illa non posse ostendere; eritque hoc meum cum Illo certamen adeo quidem justum & æquum, ut cuncti Anatomes cultores modum ejus comprobaturi sint. Igitur duos aureos Anglicanos (*guinies*) perdam in usum pauperum Londinensium, si Dominus S. Andreae idoneis judicibus vera se dicere comprobat. si vero rem illis demonstrare nequit, unum tantum ille denarium Anglicum pendet. Si autem illi placet, mihi portiunculam denario æqualem de istâ jactatâ atque ostentatâ epidermide mittere, ego vicissim statim curabo ut accipiat à me frustum humanae cutis praeparatae, cui epidermis partim adhaeret adhuc, partim separata est. ibi cernet vasa cutanea coccineo quasi pigmento intus plenissima. videbit appendentem epidermidem, atque in illâ tota ne minimam notam vasculi ullius in appendenti propriâ cuticulâ. Age, ne subducat se certamini, agitur de cute humanâ, agitur de veritate, hic Rhodus, hic saltus! Vel convincat me, aut patiatur suo se liberari errore, & absistat bonos decipere. Ne vero dubitet de pignore deposito, sciat, Dominum Bradley,

ley, membrum Societatis Regiæ Londinensis, ibique in Architectonicis & Botanicis celebrem, mihi debere duos tales aureos, quos ipsi hic commoranti mutuo dedi pro ejus votis, postquam ante aliquot annos, multa ipsi officia, hic hospiti, præstiteram, & quos ille oblitus fuit postea mihi, ut oportuerat, reddere. Hos igitur nummos publice in hoc certamen jam depono. Est enim hæc res mihi cordi, & vidi etiam dolori fuisse omnibus nostræ artis cultoribus, tam crassos errores in arte utili, & necessaria, committi, quum tam ingens discrimen inter cutem & cuticulam intercedat. Sed prodeat, ut severe examinetur, hæc falso vasculosa dicta epidermis: satis cito apparebit nulla talia vasa in eâ conspicua esse: ut neque in tunica Arachnoideâ cerebri, neque in Amnio foetus, umquam talia invenire datur. Certè, quum manum, pedem, aliamve corporis humani partem, arte replendi noverim ita vasis distentis rubram efficere, ut instar rubri sanguinis in minimis quibusque vasis adacta materia splendeat, uti in novis meis præparatis unicuique curioso pronus sum semper ostendere, & tamen in omnibus illis casibus epidermis semper penitus excolor maneat in omni experimento; quomodo igitur credam, vera esse ejus asserta? maxime, quum dixerit peritissimis in hæc arte Viris, repletionem vasorum epidermidis adeo facilem sibi, certamque esse, ut eam ne quidem dignam habeat, quæ comparetur aliis majoribus, quæ præstare queat in arte. Quamvis autem hæc dicta sufficiant orbi literato, ne fallaci jactantiæ credat; aliud mihi præterea argumentum est quo fit ut minus credam rei assertæ. Qui nempe à cute humana cuticulam arte recte separavit, exsiccavit, atque intra pagellas chartaceas libello cuidam imposuit, ut compressa sic explicata teneatur, & explanata, uti facere semper soleo; videbit, simulac libellum aperiens hanc cuticulam à compressu liberat, illam ipso illo momento se contorquere, inque sinuosa volumina arte convolvere, ut in voluminibus conscriptis veterum fiebat. Id autem nunquam fiet in cute. Audivi ab autoptis, neque ita se convolvisse epidermidem illam, quam ita appellatam Batavis nostris eum invisentibus ille ostendebat, sed illam in planum exprorectam mansisse. Desinat igitur Batavis hospitibus talia proponere; certe est & illis perspicax ad hæc animus, sunt fide-

les oculi, est & in cerebro falis quid. Ut autem dicam, quid ego putem decepisse hoc in argumento Virum Anatomicum, quem data opera velle fallere haud facile credo: ajo, cutem in recens natis infantibus, certis in locis, si cum cura separata est ob omni pinguedine, adeo esse subtilem, tenuemque, ut exilitate hac suæ crassitie epidermidem adulatorum æmuletur; & tamen sic plenissima est vasis facile replendis. Hoc ut demonstrarem domi meæ, habeo vexilla, & aplustria, quæ inde confeci. Imo & libellos curavi compingendos, quibus loco alterius corii obducitur sic præparata cutis infantum, dum inter paginas libelli portiones varias dispono diversarum membranarum corporis humani, ut in illis arte meâ repletis mirabilis diversitas appareat, quæ in reptatu vasculorum occurrit: qui vix duobus distinctis in locis idem videtur, sed in quolibet ferme alius & diversus, prout aliud, aliudque, hoc vel illo loco conficiendum Omnipotens Creator jusserit secundum legem latam in primâ creatione.

## IX.

*De Ossibus.*

JUvenis quondam tam sedulo inquirebam in ossa humana; tantoque ea cum ardore lustrabam, ut persuaderem mihi met, me eorum absolutam mihi comparasse cognitionem; sed quam procul à vero ita censui! Postquam ossa, summâ cum arte divisa per ferram, examinavi, dum vasa eorum injectu cera implevi, dum Infantum ossa inspexi, imo dum sceleta ex his formavi digito minimo haud quaquam majora, longe aliter, quam putaveram prius, rem se in his habere deprehendi. Atque observatorum in his partem magnam jam exposui, atque inserui tam Observationibus meis quam Thesauris, & Adversariis Anatomicis; sed quæ recens detexi, en jam aperio. Invenio in infantibus epiphyses tam superiores, quam inferiores, corpori ossis præcipui se applicantes, maximum & firmissimum suum nexum cum eo nancisci inprimis à periosseo: ideoque nudatas ejus involucro facile inde decidere.

Afferitur quidem vulgo , uniri epiphyfes corpori ossis ope & interventu cartilaginei medii , sed hoc ita intelligendum est ; quod non per cartilaginem , ut mediam inter hæc ossa , tanquam per tertium corpus uniantur ; sed ipsa ossa principalia æque ac epiphyfes illæ in infantibus sint adhuc ipsa cartilaginea ; sicque cartilago unius alterius applicetur cartilagini , tumque sic ope periostei uniantur inter se. Hinc quoque fit ut in partu difficili infantes recens nati gerant os humeri , brachii , aut alterius cujusdam partis fractum. Quæritur & hinc , an queat tempus definiri ætatis humanæ , quo cartilago amissa suâ naturâ in osseam transeat. Nego , id fieri posse : in uno citius , tardius fit in altero : hominum enim vidi corpora post viginti à nativitate annos adhuc cartilaginei quid gerentia. Dixi igitur epiphyfes osseas corpori ossium alligari per periosteum ; sed antequam cartilago penitus ossescit , apparent in loco mutuæ appositionis , ubi suo contactu inter se coëunt , multi eminentes tumores , rursusque excavati alveoli , quibus illi excipiantur , immisso suo ita firmante unionem : quoniam inter concrescendum omnis aër arcetur ; ut & liquet , sic duo invicem opposita tam accurate , nullus ut aër intercedere queat , difficillime a se mutuo avelli posse , sed tenacissime cohærere. Idem illud hic quoque ita fit. Quam mirandum autem est , ubi quis modum contemplatur , quo osteogenesis in ipsis ossibus perficitur , incipere scilicet illam mediâ parte corporis ossis , sed in osse frontis , primo circa orbitam oculi ! In figura hic appositâ depinxi os femoris infantis sex , aut septem , annorum : ubi clare cernitur osteogeniam inchoari in eâ parte ejus ossis , ubi os omnium densissimum crassissimumque habetur ; atque deinde ab hac parte sursum , & deorsum , sensim de loco in locum adscendendo , & descendendo gracilescunt illi emissi radii ossei , donec tandem compacta hæc densitas amittitur. interim autem quo magis gracilescit densitas ossis , eo & latius excrescit magis , magisque ; unde & ossa ejusmodi longe rarius & difficiliter franguntur in medio , quam non nihil altius aut declivius. Quin & omnino singulare aliquid observo in osse Styloide dicto : scilicet numquam fere id inveniri posse in craniis ex publicis cœmeteriis collectis. omnia enim



enim talia crania offe hoc Styloide fere ubique orbata spectantur. Atque hoc quidem ideo ita fit, quia ossiculum illud in juvenili corpore necitur ossi temporum per articulationem, non vero per symphysin aut synchondrosin: quamquam in valde senilibus corporibus contra naturalem consuetudinem ita aliquando fit. Verum in decrepitis penitus hominibus plerumque quasi per anchylosin, aut symphysin concrefcit ad os petrosum. Hinc os hoc in craniis talibus quidem superstes est, licet ex sepulchretis colligantur, si modo ex maxime senibus crania contigerit reperire, sed quia raro ad summum perveniunt senium homines, hinc & raro hoc os integrum. An igitur hoc ossiculum, ut fere semper solet fieri, habendum erit pro apophysi ossis Petrofi? nequaquam. Nam in initio est cartilagineus processus, postea vero quando ossescit, articuli ope committitur, quæ arthrodiarthrosios vocatur. Id autem quam evidentissime apparuit in cranio, quod donavi Clarissimo Boerhavio. Contingit quandoque, ut ossiculum hoc ossi Yoidi naturaliter junctum per ligamenta, cum eo concrefcit ita, ut unum cum eo os fiat. Porro per superiora & posteriora ossis femoris Trochanteres accrescunt major, & minor. Patior hos apophyses appellari eâ conditione, ut addatur, spurias esse. Neque enim & hi ex ipsâ ossium substantiâ porrectâ fiunt, qui crescendi modus ad naturam veræ apophyses exigitur. imo cohærent contactu cartilaginearum superficierum, non tertiâ cartilagine mediâ: quod liquet evidenter; quia diuturnâ cõtionem in junioribus inde decidunt. In senilibus, cartilagine hac unita ossescit penitus, per ipsam osseam substantiam inter se quidem concrefcunt sic, ut unum appareat continuatum os; eoque tum sensu apophyses appellari queunt, partim quod eas referunt tum temporis, partim quia eundem usum habent: at tamen spurie modo habendæ erunt. Hæ autem spurie apophyses olim cartilagineæ penitus, osseam suam indolem plerumque primo accipiunt in medio suo, ubi primo punctum aliquod osseum se manifestat, quod assidue auctum magis, magisque, tandem totam facit osseam substantiam hujus spurie apophyses. Sed & vidi

ma-

magnam obtinere semper diversitatem in cavis ossium humanorum: nam in quibusdam invenio quidem, utrimque, circa extrema ossium per ferram divisorum internam substantiam osseo-spongiosam, in aliis majorem, minorem in aliis; sed interim illud osseo-spongiosum multum in variis dilert, ratione densitatis, tenuitatis, crassitiei, & fabricæ ipsius. Quin etiam reperio, præter osseo-spongiosam in multis osseo-filamentosam compagem, quæ refert texturam ex filamentis ossæis mire intertextam, in qua residua chrysalidum quædam inveni. At neque os femoris, aut tibiæ, in omnibus hominibus est æqualiter cavum interius: imo vero inveni talia ossa, quæ perfecte clausa, ne minimam quidem cavitatem in se haberent, ita ut manubria cultrorum inde conficienda curaverim; ut videre est in Theauris Anatomicis meis.

Est autem bene observandum, quando inveniuntur omni cavo destituta, illa ossa adipisci hanc consolidationem post morbum quemdam prægressum. Neque à structura ossium in brutis spectatorum argumentandum est ad fabricam ossium humanorum. Est enim in brutis fere semper longe abundantior copia medullæ, & quidem etiam omnino crassioris, quam umquam in hominibus datur reperire. Dubito etiam, an non Anatomici liberaliter nimis loquantur de membrana, quam putant ipsam medullam ambire. nam hisce diebus strenue occupatus in replendis arteriis, quæ ars optime nos docet naturam membranarum, detexi post aperturam talium ossium, non ubique eodem modo ibi se habere. Multae enim horum cavitates sunt intus ut plurimum totæ osseo-spongiosæ, quaedam osseo-filamentosæ, quaedam vix cavæ, contra quam in brutis videtur. Quo circa in illis, ubi tota cavitas plena est substantiâ osseo-spongiosâ, aut osseo-filamentosâ, materiâ, ibi non invenitur membrana una communis medullæ, sed illa materia tantum habet ibi id, quod in ea reperitur, atque ibi haeret aequè tuto defensa, atque succulentum, & medullosum illud, quod sedet in epiphysium osseo-spongiosâ compage. Ut autem clare patere possit, quam magna sit analogia inter medullosum oleum quod in fungosâ epiphysium substantiâ absconditur, & inter medullam

lam ossium ipsam, atque inter pinguedinem aliam nostram, observavi, has tres distinctas habitas pinguedinum species, in cadaveribus, quæ per viginti aut triginta annos hæserunt in sepulchris, abire in eandem naturam crassi & perfecti sebi, aut albi cujusdam durique adipis. Quod expertus confirmo, & jam ante scripto tradidi. Cartilaginee ossium penitus esse exsanguis partes, ubique asseritur; id tamen aliter se habere dudum probavi. Jam verò & oculis demonstrare valeo, vascula sanguifera vera dari in ipsis cartilaginibus, quæ arte meâ jam detecta sunt circa splendentem potissimæ crustæ cartilagineam superficiem in capite ossis femoris, etiam ad margines cartilaginum mobilium, quæ inter ossium articulatim commissurorum extrema interponuntur. Has autem quandoque penitus deficere, quod nulli, quod scio, observatum, assero per experimenta edoctus. Id autem elegantissimum in hoc apparatu est, quod arteriolæ illæ, quæ ad crustas illas cartilagineas tendunt, haud quaquam valeant emergere, aut penetrare usque in ipsam superficiem supremam cartilaginis, sed tantum in altitudinem quasi duarum linearum, ubi tum sistuntur, ne procedant ultra, quum in aliis locis usque in ultima semper ascendunt; quod amœnissimum præbet oculis spectaculum: quum videatur ibi ipsis tantam opponi resistentiam, ut omni suo molimine haud queant ulterius sibi aperire vias.

## X.

*De Nervosis Papillis Ventriculi.*

**S**iquis multiplices perpendit dolores, quibus multi hominum diu obnoxii languent, sive eorum causa in stomacho hæreat, aut in Intestinis, conficiet facile exinde, plurimos ibi nervos horumque acute sentientes hæere papillas. Id autem jam ita se habere ex autopsia ipsa assero. Quando enim Ventriculi arterias cera replevi rubrâ, posteaque in liquore idoneo ita prius præparatas partes hæc macero, experior tum superficiem interiorem Ventriculi & Intestini jejuni tunicâ quasi quadam papillosa vestitam esse. Fateri tamen debeo, haud  
E ita

ita evidenter quidem in stomacho humano has papillas apparere, ut quidem in ovillo: quemadmodum hæc in figurâ expressi. Inde itaque & tanto facilius inducimur credere, & in homine ita obtinere, quum obscurius quidem similitudo accedens & in homine observetur. Ut autem papillosa hæc in ovium ventriculis structura rite cernatur, oportet eam sumere ex eo portionem, quæ lieni accumbenti nectitur. Maneat tum portio hæc in tepidâ tamdiu, donec tunica, quam papillo-villosam appello, à papillosâ secedit, quando papillæ hæ, magnitudine capitulorum acicularum, protuberant in superficie tunicæ secundæ, sub primâ laxatâ hærentes; aut & idem effici poterit partem ovilli ventriculi in pluvia macerando tamdiu, donec membrana ventriculi prima, epithelia dicta, se à subjectâ papillosâ separat. Offendet forte aliquem, quod papillas vocem hæc in ventriculo ovium tubercula: quoniam auctores Anatomici sæpe pingunt has pyramidalis figuræ papillas nervosas. Sed possum jam quam evidentissimè ostendere, multas harum papillarum rotundulas esse, quatenus scilicet eminent extra superficiem illius membranæ, cui inhærent. Id autem manifestissime apparet in papillis cutaneis, præcipue in papillis mammarum foeminarum, quæ etiam plurimis papillis cutaneis ornantur. Contrarium expertus sum in papillis cutaneis balenarum, & maximè papillis cutaneis, quæ sunt in papillis mammarum in hoc animali, quæ in acutos exeunt conos, ut in Thesauris Anatomicis jam olim demonstravi. Quin & ipsæ papillæ, quæ in nostris prolabiis conspiciuntur, atque aliæ multæ, sunt oblongæ, ita quidem, ut & hæ ipsæ, pro vario usu, differant. Rem autem hanc dum accuratissimè jam indago, aliud multo rarius in papillis his nervosis adhuc detego, dum eas in stomacho ovillo contemplor. Quando nimirum abscindo portionem de Ventriculo remotius à liene, eamque tracto ita, ut statim descripsi, tum invenio ibi loci papillas omnino alias, quoad figuram. Neque enim tum amplius has rotundulas conspicio, sed exiguas oblongas, intricatim inter se confusas instar minutissimarum ascaridum, atque eodem penè modo eas conspexi in jejuno intestino humano intricatissimè etiam implexas. Igitur,

tur, quum re ipsa certi sumus, papillas nerveas in uno eodemque subjecto variè figuratas esse, veluti in stomacho ovis docuissent habere, cui non & liceret dubitare, an non forte unus idemque nervus in varios se dividens, habeat deinde hos ramos valde diversos, dum papillas formant, ut hæ quoque hæc ipsa diversitate variatæ distinctis effectibus producendis aptæ evadant; quemadmodum in vasis sanguiferis jam inveni prius? Id dogma Anatomicum probabile fit speculanti auditorium nervum qui in ramum mollem durumque divisus, abit dein, distinctissimos ad usus, in sua distincta loca; unus in canales semilunares, cochleam, vestibulum, alter per musculos faciei. Nequid adferam nunc de papillis nervosis linguæ, harum magno inter se discrimine, & multis adhuc indagandis magis, quam hucusque exactè perspectis.

Corollarii loco sequentia adjicere visum est.

Vesicam urinariam constitutam esse ex innumeris fibris motricibus ad eliminandam foras urinam in confessio habetur.

Uterum mulieris gravidæ, tempore gestationis, duobus gaudere objectis diversæ naturæ palam esse nemo inficias ibit, sc. foetu humano, & placenta uterinâ, quæ, in status laudabilis nixu, velociter alternatim in lucem prodeunt. Uteri fabrica non minus quam vesica sibi vindicat substantiam fibrosam, crassam, motricem, suntque hujus fibræ diversæ constitutionis & reptatus, nec non usus. Circa uterum gravidæ mulieris, illud consideratione dignum esse censeo, placenta in sui expulsionem non solum in usum revocare dictas uteri fibras motrices, diversimode reptantes, quæ foetum expellunt, verum etiam peculiaribus gaudere fibris motricibus in orbem positis, & quidem eo loco, ubi placenta in statu naturali sese utero applicat, nempe in uteri fundo, id quod in nova collectione mea visui exhibeo & demonstro.

O quam mirifice benignissimus Creator prospexit hisce omnibus, nequid deficeret sexui imbecilliori, in partu versanti! Cum autem isthæc observatio auspicato luculenter in conspectum veniret, non inconsultum fore duxi si eam per iconem illustrarem, ut firmiter memoriæ inhæreret illorum, qui artes obstetricias exercent. Ex hisce non difficile est conci-

E 2



a b c Fig. 1



Fig. 4




Fig. 5




Fig. 6






Fig. 7






Vandelaar ad objectum fecit









- à latere situm refero quoque in alio ossè, id quod considerandum.
- B. Exuviæ ejusdem vermiculi integræ, in alia corporis parte inventæ, & insertæ, ut luculentius oculos incurrerent.
- C. Frustum dictarum exuviarum, in alio ossè inventum.

FIG. 3. Pars brachii, in cujus cavo hæsit vermiculi residuum, sicuti hic repræsentatur, sed verò post factam à sculptore iconem decidit in terram, ita ut objectum ipsum nunc haud possim demonstrare.

A. Objectum.

FIG. 4. Segmentum Intestini jejuni facie interiore, cujus repletio facta per arteriam.

NB. Juga hic ablata sunt, ut arteriarum reptatus luculentius in conspectum venirent.

FIG. 5. Idem objectum facie exteriori.

FIG. 6. Segmentum intestini Ilei, facie exteriori; hujus repletio facta per venam.

FIG. 7. Idem objectum, facie interiore visum.

### T A B. I I.

FIG. 1. Demonstrat femi-os femoris pueri octo circiter annorum ferrâ divisum, ut interiora pateant.

A. Caput ossis femoris.

B. B. Cartilago undulata synchondroseos, cujus ope cervix conjungitur capiti eâ ætate.

C. Cervix.

D. Trochanter major, partim cartilagineus.

E. Ossificatio in sui medio.

F. Animalculum scarabæum æmulans, inter ossium filamentosum tam profunde hærens, ut intuentibus facile sit conjicere, tale quid per fucum nequivisse perfici. Præterea sculptor dictum objectum in totum haud potuit exprimere, sine ablatione alicujus particulæ osseo-filamentosæ. Si quis hancce animalculi teneritatem considerat, facile calculum appositurus erit, ortum ibi loci duxisse, & non alibi. ne quis autem hæreat aut fidem dictis deneget, veniat & videat.

G. Animalculum scarabæum æmulans.

\* Idem per microscopium visum.

Quod osseo-filamentosa substantia, in qua animalculum hospitatur, hic à sculptore non est expressa, ejus in objecto ipso nulla alia ratio est, quam quod illud propter teneritatem exprimere haud potuerit.

Quare & hic quoque dico, veni & vide.

H. Extremitas inferior ossis femoris, ubi epiphysis inferior ablata.

I. Exterior, durior & compactior substantia ossis femoris, Belgice vulgo **Ivoor** dicta, quæ nusquam crassior, quam in sui medio, ubi

ubi ossificationem ab exortu fieri videmus, unde tenuius atque tenuius fit donec tandem dispareat.

FIG. 2. Fructus mali Persici, cum suis vasis succiferis, ex calculo, in medio fructus posito, prodeuntibus, cum pulpositate ab extremis vasis dependente.

FIG. 3. Pyrum Arundinaceum, *Gietpeer* / vulgo dictum, in sceleton, (si ita loqui sit licitum) arte redactum; id est, omnia vasa succifera sunt ramificata, instar vasorum arterioforum in placenta humana. ab iis quoque vasis succosis dependet substantia pulpovascularosa, id quod hic luculenter apparet.

- A. Pediculus.
- B. Vasa succifera.
- C. Pulpa.

FIG. 4. Denotat contentum Atheromatis admirandæ formæ.

- A. Capillorum manipulus, ossæ substantiæ adhærens.
- B. B. Geminus dens molaris.

FIG. 5. Exhibet idem objectum, ab altera facie visum.

- A. Ossæ substantia difformis.
- BB. Geminus molaris.
- C. Capilli.

FIG. VI. Segmentum carneum pediculo & unguicula præditum.

- A. Substantia carnea, pilis rarioribus obsita.
- B. Unguicula. C. Pediculus.

FIG. VII. Segmentum Ventriculi cum annexo integumento papillarum, corpore reticulari dicto, ex ove.

- A. Papillæ ex superficie prominentes.
- B. Corpus reticulare.

FIG. VIII. Segmentum ossis humani pueri, periostio obductum.

NB. Periostium scatet tot vasis sanguifluis, ut ab unaquaque parte rubicundissimum appareat; perpauca tamen vascula sanguinea in cavitate ossium sunt reperta.

FIG. IX. Fructus mali Armeniaci, Belgice *Abricoos* / dissolutus, cum suis vasis succiferis & pulposis.

- A. Nucleus osseus.
- BB. Vasa succosa & pulposa, alterius constitutionis, quam quæ reperiuntur in fructu mali Persici, ut & Pyri.


### T A B. I I I.

FIG. I. A. Fundus uteri inversi puerperæ.

B. B. Fibræ carnosæ in orbem positæ, ad placentæ expulsionem destinatæ.

FIG. II. A. Maxima pars vesiculæ felleæ ex ovis hepate desumpta.

NB. Rami venosi maxima ex parte à latere provenientes, partim sursum repunt; hi autem sese exhibebant visui post repletionem venarum portarum, id quod notandum.



*Fig. 1*

A

*Fig. 2*




B

B

A

B





FREDERICI RUYSCHII,

*Anatomia & Botanices Professoris; nec non Academia  
Cæsareæ Naturæ curiosorum Collegæ,*

# THESAURUS

## ANIMALIUM

P R I M U S.

*Cum Figuris Æneis.*



AMSTELODAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.

MDCCLXXV.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

1911

1911



1911



*Sereniss. & Potentiss. Principi*

A C D O M I N O

D<sup>o</sup>. JOHANNI GUILIELMO,

COMITI PALATINO RHENI,

S. R. I.

ARCHIDAPIFERO ET PRINCIPI ELECTORI,  
UTRIUSQUE BAVARIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ  
ET MONTIUM DUCI, COMITI IN VEL-  
DENZ, SPONHEIM, MARCHIÆ,  
RAVENSPERG ET MOERS,  
D<sup>o</sup>. IN RAVENSTEIN.

&c. &c. &c

*Sereniss. & Potentiss. Vir,*

**B**revibus ut se expediat, qui Regi-  
bus & Magnatibus non vult esse  
molestus, prudenter semper fuit  
monitum. Idem mihi in hoc,  
ad SERENISSIMAM CELSITUDINEM TUAM,  
cui inter molestos, auresque non parum per-  
turbantes Belli hujus strepitus aliud certè est  
quod agat, alloquio propositum est, me-  
mori illius Ausonii:

\* 2

Ne-

# DEDICATIO.

*Nemo silens placuit, multi brevitate loquendi.*

Videor mihi jam videre *Summos, Medios, Infimos*, ad occurrendum **CELSITUDINI VESTRÆ**, deque recurrente Anniversario Nativitatis Vestræ die gratulandum, & oculosculandas Manus sedulo se atque studiose præparantes, apparantes, conformantesque.

Ego verò, cui propius accedere, & sacras Manus osculari, deque tam diuturna, felici & pacifica Gubernatione oretenus congratulari, communique lætitia congaudere, cum aliis datum, concessumve non est, è longinquo quasi hoc Libello votivo & gratulatorio porrecto, mentetenus omnia fausta, prospera, feliciaque **CELSITUDINI VESTRÆ** ex intimi cordis mei penetrali à *Deo, Regum Rege, & Domino Dominantium* comprecor, voveo, opto: Ut **CELSITUDO VESTRA GENEROSISSIMA Nestoreos** in annos Felix, Fortis, Florens, vivat, valeat, vigeat.

Conclavia mea quina, quæ innumera fere continent repositoria, repleta corpusculis tum Embryonum, tum Animalculorum, Piscium, Insectorum, Herbarum, & Stirpium

# DEDICATIO.

pium exoticarum , nec non Mineralium ,  
aliarumque rerum , tam limpidissimo liquo-  
ri innatantium , quam balsamatione exsic-  
catarum , aut nemini , aut S. CELSITUDINI  
VESTRÆ inscribi debebant.

Hoc singularium namque Corporum ,  
Corpusculorumque examen & oculare  
scrutinium S. TUAM CELSITUDINEM an-  
te aliquot annos , insigni , quod memini , vo-  
luptate domi meæ perfudit , & longè supra  
opiparas epulas , aliaque irritamenta oble-  
ctavit.

Hac ratione permotus hanc qualemcum-  
que à me concinnatam rerum istarum sua-  
vissimarum meditationem CELSITUDINIS  
VESTRÆ iudicio humiliter offerre volui ,  
utque eam suo benigno vultu , suaque Se-  
rena & Clemente Fronte suscipere haud de-  
dignetur , subjectissimo affectu rogo.

Cujus voti si me compotem S. V. CELSI-  
TUDO reddiderit , calcar mihi in posterum  
adjiciet accelerandi ceteros ingenii mei fru-  
ctus & Thesauros , modo vitæ usuram mihi  
indulserit Omnipotens.

Quem toto pectore oro , ut S. V. CELSI-  
TUDI-

\*

3

TUDI-

# DEDICATIO.

TUDINEM cum tota sua SERENISSIMA DOMO diutissimè incolumem seruet, suaque benedictione coronet, ac Heroicarum tuarum Virtutum Laudem, sempiternâ Gloriâ florentem, cumulare adaugeat, ut sub Tuo Præsidio felicissimo iustitia Christiana, Literarumque studia perpetuò florent, Territoria tua ferta tecta maneant, & Pietate, omniumque Virtutum splendore ceteris præluceant. Subscribor interim

*Serenissimæ Vestræ Celsitudinis*

*Obsequentissimus.*

FREDERICUS RUYSCHIUS.

LEC-

# LECTORI

## BENEVOLO SALUTEM.

**B**N Thesaurum Animalium primum, quem peculiari methodo ita concinnavi, ut, quantum in me est, non solum animum illorum oblectarem, quos juvat perlustrare Dei ter Optimi Maximi Opera Exotica, circa Pisces, Quadrupedes, Aviculas, Insectaque; verum ut etiam animum eorum explerem, qui Conchyliis & studio Botanico sunt dediti. Eum in finem phialæ, objecta varia continentes, non solum subere, vesica & serico villoso rubro sunt obturatæ, verum eadem etiam inserviunt pro pedamentis, supra quæ positi sunt aut fasciculi florum rariorum, colorem naturalem satis bene conservantium, aut rupes exiles, confectæ ex Conchyliis Indicis rarioribus purificatis, ramulis marinis, ex iisdem oris, interpositis, quos inter quoque positi sunt Pisciculi rarissimi Indici, balsamo indurati, ex utraque India advecti.

Noli interim L. B. mirari, aut vitio vertere, quod Pisciculi reperiantur inter ramulos marinos; viventes enim per ejusmodi ramulos, in fundo maris crescentes, natare in confesso est, quum præsertim angustia loci me sæpe cogat, plurima objecta simul, & quidem in spatio exiguo, oculis subjicere.

Sic quoque obturamenta, fasciculos florum rariorum continentia, non solum Herbis, Floribus & Seminibus rarioribus sunt ornata, verum etiam inter illa reperiuntur Insecta varia sicca, quia viventia quoque alimentum ex istis quæritant.

Præterea non omnibus arridet aspectus Animalium, qui tamen delectantur Floribus: Alii sunt Conchyliorum amantes, qui interim averfantur Insecta, ita ut hoc pacto horum, aut illorum saltem oculi oblectentur.

Noli quoque existimare L. B. mihi animum esse, successive omnes & singulos Thesauros Animalium (quorum ille, quem  
nunc

nunc in publicum profero , unus ex minimis est) & simul sex majores , & plurimos minores , corpuscula humana , eorumque partes continententes , describere , nam illud maximam mihi crearet molestiam , neque humeri mei pares essent ferendo ; nam in quindecim Thesauris , quos habeo animalculis repletos , continentur nunc ultra 1582. phialæ ; hisce adde scatulas , Papilionibus , Locustis , Scarabæis , Quadrupedibus minoribus , Insectis marinis ( præsertim ex utraque India allatis ) repletas , quæ sunt N°. 1020. Præter illa , reperiuntur etiam phialæ siccæ , & in iis Aviculæ rariores siccæ , præsertim ex Indiis transmissæ 180, hæc inter pedum digitos continent ramusculos Plantarum rariorum , quarum plantarum quintum conclave Herbarios Vivos xxxix continet , maxima parte Herbis exoticis , & minima indigenis , refertos : exceptis illis , quæ in chartis à me conservantur.

In re Anatomica conservantur in liquore ultra 1300 objecta.

Ne dicam de Thesauro quodam majore , in quo abscondita sunt Animalia quadrupeda majora balsamata. Nec de Rupibus plurimis , quibus aut impositi , aut adnati sunt Rami marini , Corallia numerosissima. &c. &c.

Hisce adde Thesaurum minorem , in quo continentur affectus varii , ex hominibus collecti , & tam bene balsamati & conservati colore naturali , ut videantur modò è corpore desumpti. Inter quos est Intestinatorum susceptio , Plexus Choroideus in Hydatides mutatus , & repertus à me in homine , qui mente captus è vita excessit. Lien grandinibus , ut vulgò loquimur , refertus. Calculus è vesicula fellea per anum ejectus. Portio Pulmonis phtisici exulcerata : Portio Hepatis in Hydatides conversa. Fractura Ossis femoris in collo Ossis , ubi notandum , collum plane deficere , aut in nihilum fuisse redactum , ubi natura ligamenta fortissima substituit. Placenta uterina in Hydatides mutata. Hæc & cetera in liquore videri possunt , ne quis de veritate dubitet.

De Conchyliis & Petrefactis non multum dicam , cum duos tantum habeam Thesauros , ejusmodi rebus refertos , & in ordinem dispositos. Reliqua , quantumvis numerosissima , nondum in Thesauris sunt reposita.

Itaque fatius fore existimavi , post hujus Thesauri editionem , me denuo conferre ad ulteriorem humanorum reliquorum descriptionem , quod opus libenter ante obitum absolverem , si Deus Ter Optimus Maximus mihi ulteriorem vitam concedere dignetur.

Hisce

Hiscæ omnibus ita perpensis, mirandum non est, neminem hæstenus omnia perlustrasse, quæ in quinque nostris continentur conclavibus, tam majoribus, quam minoribus, nam pauci tertium intrarunt, multo minus quartum, aut quintum viderunt, propter temporis penuriam, vel quod saturati fuerint, antequam ad cetera conclavia sese contulerunt; Proposui itaque nonnullis, si velint omnia videre, & singulis hebdomadibus bis me convenire, me illud non excusaturum; considerando illud (ratione dispendii temporis) tanquam communem visitationem aut consultationem medicam. Olim, cum nondum gauderem tanta copia rerum Anatomicarum, illud auspiciatus sum cum curiosissimis quibusdam Medicinæ Studiosis Germanicis solummodo circa res Anatomicas, credentibus, hoc posse perfici intra tres menses, sed quantumvis singulis diebus per horam, & quod sæpius excurrebat, me convenerint, ne quidem absolvebamus duo conclavia: nam illud non perfunctorie peragebatur, ast singula objecta, uti decet, perspeculabamur.

Tota quidem Civitas Amstelodamensis momento fere ex altiore loco videri potest, non autem singula domicilia, multo minus, quod in iis continetur; sic quoque, qui rite omnia, quæ intra quadraginta sex annos collegi, conspicerè vellet, illud brevi temporis spatio absolvere non posset.

Interim ut L. Benevolus hanc primi Thesauri Animalium descriptionem æqui bonique consulere velit, ex animo opto, malevolis autem meliorem mentem apprecor.

LAMB. BIDLOO

IN CELEBERRIMI VIRI

FREDERICI RUYSCHII,

Anatomix & Botanices Professoris, nec non  
Academix Curiosorum Collegæ, &c. &c.

GAZOPHYLACIUM

UNIVERSALE.



*Vi Microcosmi referans penetralia dudum  
Ruyschius, & felix externa & summa pererrans,  
Intima detexit, Medicosque reduxit in usus,  
Democriti quod non Atomi, aut Commenta Renati  
Vorticibus præstant, nunc Thesaurarius audit  
Gazarum innumerum, quæis larga opulentia Cræsi  
Cedit, Atapalipæ, divi Salomonis & aurum;  
Et Lapis Aurifaber projectâ est vilior ulvâ:  
Illi quippe domi quantus cumulatur acervus  
Rarorum omnigenum nostro cæloque soloque!  
Congestum hic videas, dispositumque ordine justo,  
Charus Phæbo Eos & roscidus Hesperus, Anster  
Torridus, & Boreas gelidis quæ suppetit oris:  
Nullum etenim Terræ spatium, sub sidere quonam,  
Aut Zonâ, haud utilis moles, nunquamque beata  
Fructibus, aut homini nullum adportata tributum.  
Caucasus & Rhodope, præruptusque Hamus & Alpes,*

*Hor-*



Horrendo æternis nivibus sub vertice tecti,  
Æthna & Vesuvius, fluida inter sulphura, flammæ,  
Et cineres, topbosque scabros, vegetantia servant  
Germina, viviparumque excludunt largiter ova.

Hic, velut è Phariis gens omnis subdita Cancro  
Detegitur speculis, latè terraque marique,  
Cui volupe & licitum est, toto circumspicit Orbe,  
Quæ fovet in gremio dives Berecynthia, seu quæ  
Suscitat immensus profundo è gurgite abyssi  
Oceanus, placidis rapidisque in fluctibus amnes  
Quæ gignunt, liquida & volitat super aëra, quidquid  
Pulchrum in exiguo spatio natura recondit:  
Ut Microcosmon statuas hic jure secundum.

Quis Balanarum tam immania corpora tantis  
Condiat expensis? nam vix tot Balsama Memphis  
Sudaret, lachrymæ Nabatheo in cortice dudum  
Deficerent. quem monstra juvat spectare, recedat.  
Numinis atque artis miracula maxima fulgent  
In minimis, si quos rugientem horrere Leonem,  
Tigridis aut Ursi truculentorum ora cruenta  
Delectent, caveant ne sit damnosa cupido:  
Nam tuto & penitus rarè cicurare licebit:  
Quin dens carnivorus, lacerandoque unguis aduncus  
Profiliant, quum dura fames, furivæve salaces  
Reddunt indomitos verbis, flagrisque Magistri.

Securis animis hic Pusio pascit ocellos,  
Decrepitusque Senex, mollisque pavore Puella,  
Dipsas; nec Coluber, nec Bufo, Vipera & Aspis,  
Formoso licet adspectu, maculisque striisque,  
Auro atque argento, fulvisque coloribus extent,  
Decipient nullum incautum, aut formidine Lethi  
Terrebunt, quanquam sublati undique cristis,  
Et linguis bifidis, terribilique oris biatu,  
Profiliant, oculique micent; alisque Dracones  
Expansis, curvæ & virulentus acumine caudæ,  
Scorpius immineant, Salamandra est orba veneno,  
Indica, quam grandis, non fundit Aranea telum  
Mortiferum, aut diram Peruana Lacerta salivam.

En! tibi marmoreo tam pulchram vellere Ranam,

Atque Arabum inscriptam formis, sub sidere natam  
Australi, Anquillam ! meliusque hæc signa relatum,  
Quam flos, exurgens Hyacinthi è sanguine, nomen  
Exprimat Ajacis, volitantes cernere pisces  
Vulgatum; at Feles, quibus est ab Vespere tristis  
Minæides titulus, nigris venarier alis,  
Quis credat ! nisi nos Venatrix ipsa doceret;  
Quisnam Animal dorso fœtus excludere ! quisnam  
Jam natos catulos Glires in viscera matris  
Ire, redire ! oculis fidus nisi testis adesset.  
Humanam prolem Veneri libasse secundo  
Sexibus ambobus plura experimenta negabunt;  
Hocce frequens brutis clarè genitalia produunt.  
Angues bicipites Calabrorum habitare vireta  
Mentitum Cajum nostri dixere per æva,  
Quos tamen hic spectes geminis cervicibus aptè  
Distinctos, capitum justâ constante figurâ.

Exquιστα illinc trahat sua quemque voluptas.  
Eu ! Couchæ, Cocbleæ, Conchylia, Buccina, ab oris  
Indorum utrorumque, aut quæ Chinesium arenis,  
Seu in Erythreï splendescunt littore Ponti,  
Et vada Barbarico tradunt Getulica Mauro;  
Vel quæ Tyrrhenum, Siculum, Ægeumque procellis  
Eructat pelagus, scopulisque hæserè Britannis,  
Ecce ! immaturus fulgens in viscere matris  
Unio ! quam nitidis distincta Corallia ramis !  
Æquore & in salso cum fructu & semine stirpes !

Cui nihil in censu Thetyos pretiosa supellex,  
Horreat, exhalent tetram exta humana Mephitin,  
Ecce ! Semirameos noster quos Dædalus hortos  
Condidit exiguis in rupibus ! ecce ! Corollas  
Sertaque, tam vario concinnoque ordine plexus  
Sicuti Hamadryades formoso tempora Adeni  
Dicitur innexas; remanente vigore Colorum  
Floribus annosis, late & viridantibus herbis;  
Miserit huc liceat Ganges & Nilus, Hydaspes,  
Aut Araris. Batavis omnis fert omnia Tellus.

His superirreptant quæcunque animalcula scissis  
Volvuntur membris; summos habitantia montes

Præruptos scopulos, rigidoque cacumine Rupes,  
Valles umbrosas, fumâ & stagnante paludes;  
Quæ, Metamorphosi miranda, è vermibus orta,  
In volucrum formas abeunt, & repere nuper  
Terricolæ assueti pinnis nunc aëra vibrant;  
At redit in patrum mutata propago figuras;  
Calcat humum, donec, positis exinde vicissim  
Exuviis, suppressum animal è carcere amictu  
Splendidiore volat, quam Majestate superba  
Assyriæ Reges solium ascendisse refertur.

ô Non scrutandum! ô nullâ effabile linguâ!  
Prodigium! haud ullis imitanda potentia dextris.  
Ille Opifex unus: seu quis præstantior alter  
Archetypis! qui tot, tam spreta animalcula solus  
Pollice divino fugens, super omne ferarum  
Et pecudum quam grande decus, rutilante colorum  
Fulgore, ad variè radiantia lumina, pinxit:  
Imo adeo: ut gemmis queiscunque, nec ulla metallis  
Gloria splendoris, quâ non insecta nitescunt.

Adspice Mordellas alis crepitante susurro  
Auras sulcantes! strepitu Muscasque canoras,  
Cantharides toto rutilantes corpore Iberas,  
Et Batavum pueris oblectamenta volatu,  
Innocuos Scarabæos & pastas rore Cicadas,  
Bruchum inter segetes, agiles per prata Locustas:  
Nonne virent similes Beryllo, Anchite, Smaragdo!  
Vidimus, ut vero pedibus fulgere Amethysto  
Canthariden, dorso Sapphirum induta micantem.  
Fulgore Anthracino & flammâ imitante Pyropo,  
Vel carnem Sardo, seu suave rubente Hyacintho  
Hæc, oculos Onychen simulantes illa volutat,  
Casside Rhinoceros caput obvelatus abená.  
Aurea squamatim lorica in pectore nigri  
Bucerati. Alpino clauduntur crura vaginis  
Auratis. Cocco saturos quot America mittit!  
At Scarabæorum genus innumerabile quisnam  
Expliceat calamo, quas non pinxisset Apelles,  
Nestoreis artem compleisset bis licet annis.

Denique sunt quædam tanto haud splendore corusca,

Externâ & facie nobis sordere videntur;  
Ut Tinea & Blattæ, Pulices, Culicesque molesti,  
Putidus & Cimex & Centipedes Scolopendræ,  
Quæ stolidè malefuada cohors, ausuque nefando  
Imperfecta vocat; sed & his tu propius adsta,  
Gens inimica Deo; cerne abjectissima rerum,  
Cerne Metallorum fæces, calces & adustas,  
Tubera & Boletos, Bryon, & quæcunque putatis,  
Naturam damno Arboribus, satisque creasse,  
Quisquillas quin imo fracidas, atque inde renatos  
Cum fungis Vermes, & in his fateare necessum est,  
Humanorum operum vel præstantissima tantum  
Inferiora, Adamas quantum sterilissimâ arenâ  
Nobilior, quantum cæno pretiosius Aurum.

Dicite Philosophi quisnam ordo Particularum,  
Lumine quo in tenebris Solis radiante navarchis  
Cornea per pelagus caput est laterna Locustæ?  
Pensilis & Lychnis per noctem Lampyris altam.  
Judæos satiâsse famem vix creditur ulli  
Acridibus; magnique illas Pythonis ad instar,  
Fugera tot segetum, pomæria, pascua, sivas  
Depopulasse olim, Nasonica fabula multis:  
Ei! tamen hic hostes ingenti ex agmine captos.  
Tradimus Hesperiiis & Eois gentibus Aurum,  
Argentum & Gemmas & Aromata, dummodo diram  
Non feret hanc pestem benedicta Batavica tellus.

Papæ! quanta acies, quot millia Papilionum!  
Qui, genere & formâ varii, discrimine quanto,  
Quisque suæ stirpis speciem, faciemque reservat;  
Qualiter humano vixdum de stemmate fratres.  
Caudæ, Ale, Furcæ, Scutumque, Antenna, Proboscis,  
Cornua, sunt eadem, quin eodem tincta colore.  
Dilutum intensus non obruit, ille vicissim  
Cedit: purpurei de sanguine Adonidis orti  
Vel spirante animâ Narcissi, seu Hyacinthi,  
Vulnere aut Plutonis flores, fulgens Amaranthus,  
Nullum inter sese disturbant ordine lumen;  
Et Rosa cum Violis tam dulce rubentibus, alba  
Lilia virgineum, nigra per Vaccinia, amittunt

Nil

*Nil decoris. Calthæ, Crocus & Chrysanthemis, Iris  
 Et Cyanus, quidquid campus producit apricus  
 Floridum, in excultis ubicunque aut nascitur hortis,  
 Succis quam nitidis exornant Papilionum  
 Tegmina! quam variè depicti versicolores!  
 Belliden ut videas perpulchram, seu Anemonem.  
 Illius en! chlamydem limbis, vittisque nitentem  
 Auratis. Tunicam succingit fimbriâ & alter  
 Argento. Hoc alis guttatim hæere Phalænæ  
 Dixeris, & princeps nullâ sub veste superbit,  
 Quin tegetem affirmes veteri centone resartam.  
 Omnigenis formæ vestis lustrate tabernam;  
 Sive Theatralem Trabeam, Pallamve dolentis  
 Expetis, aut Cycladen, Stulam, Sagulamve, Togamve.  
 Gallia vestitus cui Dictatura videtur  
 Perpetua, ambiguum mutando Protœa vincens,  
 Forsitan hinc artis fabricam, normasque resumpsit.  
 Artibus his magicis Europa ut Simia gestit.  
 Da veniam pueris. servi pro stigmatibus limbis  
 Fiant Erucae. Diffusis illa puellis  
 Desidiâ & luxu. fiant insecta, Chimæra.  
 Rugosam at Clytiâ, confectam ætate Sibyllam  
 ( Sollicitura procos juvenes ut anicula Thais )  
 Reticulo ornato vittis, viridique corallâ,  
 Et Chlamyde & Strophio succinctam videris albo,  
 Ride. Versalico turrato si Caliendro  
 Calviciem aut Cirris textit, miserere Catullæ:  
 Lustra misella decem numerans vult Puppa videri;  
 Nubere ne impediât Lex Pappia dura juvenco.  
 Ride. Forma viros neglecta decebit; at ecce! ut  
 Ille Chremes vincit Mimos edentulus omneis!  
 Quam bene conveniens tibi pænula Cercopithecii  
 Stulte Midas! ô quam bellulus is Menedemus!  
 Ille, comâ canum fulvâ abscondente capillum,  
 Synthesium indutus, digito crepitante Choraules.  
 Annos decrepitos præsumpsit fallere amicæ.  
 Desine tam mulier Gallo indulgere Batave.  
 Exomiden primam sartore Lutetia Regis  
 ( Scilicet ) instructam dedit huic soli Ardelioni.*

Et Thraso plumatus magis hac, quam fortibus armis,  
 Conspicius, reliquos naso subsannat adunco.  
 Dave, ecquid pudeat Latum succingere Clavum!  
 Nec nisi Sequanico pictus textore placebat;  
 Ut quasi Patricium te Sponsum Galla salutet.  
 Cistiger hinc annos vix tres profectus ad Indos  
 Irus, tam tenui mercede & tam cito Cræsus!  
 Quid Domini . . . . . Lapidi forte hæc narrabimus. esto.  
 Desipiant. Hæreat nunquam sanabile amictum  
 Mutandi assiduò Cacoëthes: dummodo nobis  
 Insanos inter non insanire licebit,  
 Ellebori quos vix curabuunt jugera mille.  
 Hæc Lymphata Lues non cedit Gallica, quamvis  
 Tentet Atlantiades validis argenteus alis.  
 Hæc Polypis & Afris nostratum. Papiliones  
 Cælitus instructo & stabili gaudete decore.  
 Sed quenquam obstupeat, nos nudos nascier, illos,  
 Viscere in materno latitantes, veste superba  
 Induperatorem summum cinxisse; quod ipsam  
 Chrysalidem aurato in cunis velamine volvit,  
 Ut primogenitam natorum ad scepra paterna.  
 Desine mirari; aut verbo temerare profano  
 Numinis arbitrium in promptu est causa. Monarcha  
 Omnipotens Bruta hæc penitus peritura sigillis  
 Augustorum operum, majestatisque verendæ  
 Exornans, vitam vix uni destinat anno.  
 Menstrua non desunt, nec & Hebdomadalia, Musca  
 Auroræ exortu nata, & sub Sole supremo  
 Fæmina juncta Mari, fœcundaque vespere mater,  
 Lucifer extinctam rediens cum patre tuetur;  
 At te immortalī divinorumque capace  
 Mente beat, tutò ut dominari in cetera posses,  
 Fatisque exactis mundo meliore fruaris.  
 Hactenus ad nostrum producta animalcula votum  
 Ite; sepulchrales caveas repetite, domosque.  
 Ite una Vespæ, non irritare Crabrones,  
 Bombylides, Grilli, Ricini, sævique Tabani  
 Quia mihi vobiscum est! Cerebrum, mentemque Camenis  
 Obscurat nostris volitans tam densa caterva;

Haud

*Haud aliter quam si fumosus inesset Jæcchus.*

*Diffugere nubes gravidæ temulentia mentis,  
Nectare tam vario, placidâ discussa quiete.  
Occiduo Titane animas haurire recentes  
Quid vetat herbarum ! quin nos venerabilis Horti,  
Custos eximii portis invitat apertis.*

*Pergamus tutò : nam Te, Castissima Virgo,  
Hic nulla obscæni terre bunt spectra Priapi.  
At, procul hinc ! quænam portenta hæc ! sub Jove clauso  
Hesperidum Auratis Malis Nemus & Cinyræi,  
Floriferum pueri saltum tam suave virentem ;  
Quæ nunquam pluviis, ferace aut rore madescunt ;  
Nullus humi fluvius fibras sublactat arentes,  
Nilus & exspatians pingui non nutrit aristas,  
Glebâ ; nec lætis radiis arridet Apollo,  
Cynthiave, ereptum sibi deflens Endymiona,  
Nocturnis Lachrymis plantis non stillat anbelis ;  
Nec mulcent tepido Zephyri spiramine flores.  
Sidera secreti non mittunt munera amoris.*

*An nova progenies Cælo, vel Colchide missa,  
Carminè Medææ ! quid enim non carmina possunt !  
Nil minus, ô absit ! peramæna hæc silvula nulli  
Sagæ, sed Ruyschi referenda est gloria dextræ.  
Cui, quanquam Ææo Cælo deducere Lunam  
Cantu ridiculum, privare aut vitibus uvas ;  
Grande nefas Magicâ tam tristi accingier arte ;  
Ille tamen valuit, quod nunquam Colchica, Vates  
Pelignus liceat primam reparasse juventam  
Finxerit Æsoni : nullo tamen illa veneno,  
Diris Thessaliæ, Ponti seu Phasidis herbis,  
Quantum intonuerit, quotiesque recoxerit, ævis  
Eripere atque atavum sero proferre nepoti.  
Ruyschius hoc. spectant annosa cadavera patrum  
Nati natorum ; sed non horrenda rigore,  
Membrorum, aut faciem velata bitumine nigro,  
Pyramidi ut quondam credebat corpora Memphis.  
Flexibiles videas artus, tenerosque lacertos,  
Dormire exanimè hic dixeris ore decoro.*

*Viscera quin etiam Ventris, Cor, Pulmo, Cerebrum*

\*\*\*

*Mollia,*

*Mollia, ut & densâ durâque sub osse medullæ:  
 Ac, nisi congenitum scires cessisse calorem,  
 Vivere revera jures post funera corpus.  
 Talia qui potis est, condire animantia norit  
 Lubrica, nesciret vacua & vegetantia succis!  
 Ad nova Thesauri viridis præconia Musæ,  
 Quam comis hic Custos! nec quisquam in limine latras  
 Cerberus. Huc hortos versus; per pascua & arva  
 Illuc; in silvam, vepretes, dumetaque ducit  
 Hæc via. Terrarum quidquid complectitur Orbis  
 Visitur: ut Regum prisca sapientior ævi,  
 Hyssopo ab tenero pervasti ad culmina Cedri  
 Edoctus Libani, tamen hic addiscere mille  
 Haud dubiè posset: nequidem tulit illius atas,  
 Aut humus, in Batavum terris, Septemque Trionum,  
 Quæ, mediis nivibus læto ridentia flore,  
 Ut propria exsurgunt sibi credita munera Cali;  
 Nec magis Orbe novo quæ, tot post secula, vidit  
 Subjecta Australi magnus Vesputius Astro.  
 Vab! iterum atque iterum, quænam hæc opulentia! quotquot  
 Et genere aut patriâ geminis distantia Mundi  
 Cardinibus, longo quantum huc transvecta labore!  
 Eu! nemus Amonium, læta & Theumessia Tempe,  
 Floribus Hybla, Thymo fragrans Actæus Hymettus,  
 Judicio & Paridis fatali insignior Ida!  
 Hic Ver perpetuum, nec & Æstas torrida adurit,  
 Autumnus variâ statione haud noxius uvis;  
 Bruma nec in flores, segetes, aut gramina sævit.  
 Spectatum extremos quid opus curratur ad Indos;  
 Dum sese hic offert dives Malabaricus Hortus.  
 In classes distincta suos quæcunque leguntur,  
 Arborum & Herbarum doctis discrimina signis.  
 Eho! jam satis est: nova ne vertigo recrescat,  
 Quondam Insectorum veluti stipante catervâ:  
 Qualiter hesternis venas instante Falerno  
 Silenus titubabat, rediens ad pocula mane.  
 Vos igitur silvæ, viridaria grata valete.  
 Nos, mea Calliope, Platani Cretensis in umbra,  
 Quam nunquam infestat ferali carmine Bubo,*



*Sistamus . . . . . Testa hæc quidnam cariota meretur  
 Tollas ? ô, inquit, non noti nulla cupido.  
 Inveterata siet Japeto magis & Chaos ipso :  
 Displicet antiquæ tibi dum veritatis imago !  
 Ales equus , Perseus , cirri Phorcyniæ , Atlas  
 In montem versus , puerilis fabula dudum ;  
 Si Metamorphosis vestigia vera placebunt ,  
 Huc ades ; in lapides , priscâ remanente figurâ ,  
 Invenies Cochleas quascunque , Corallia , Echinus ,  
 Cancros & Pagros , Strombites , Ostrea , quidquid  
 Testaceum in ponto nutritur . Piscibus , ecce !  
 Nec squamæ , pinnae , nec & integra viscera desunt .  
 Arboreos truncos , frutices , cum frondibus ipsis  
 Et flore indubia specie cognoveris . unde ,  
 Queritur ? his saxis , quibus evelluntur , an illis  
 Sit natale solum ? vel ut in Matrice recepta  
 Sic crescant mutata simul , vegetantia vivo ut  
 Semine ? seu potius , quod jam fruticantia glebâ  
 Circumfusa manent , genuinis ut modo fundis  
 Ejecit Pelagus ? quum , densis imbribus auctum ,  
 Exspatiatus fines & montes desuper omneis ,  
 Fluctibus undarum validis , velut ariete crebro ,  
 Præcipiti implerit per strata cacumina lapsu  
 Valles , oppressis queiscunque latentibus illic ,  
 Sulphureo quæ halitu , fluido nitrique vapore  
 Electo , in lapides veros abiisse videntur .  
 Petræfacta Polis geminis , quam dissita zonis ,  
 Climate , Zodiaci quantum statione remota ,  
 Hic spectare licet , simili circumdata glebâ  
 Concretâ , scopulis hisce incumbentibus altis .  
 Ostrea , millenis stadiis ab littore mille ,  
 In mediis silvis , profundisque eruta cryptis ,  
 Indicis æterni decreto totius Orbis*

*Diluvio extincti quisnam hæc monumenta negabit !*

*Ergone inexhaustum nunquam satiabitur æstrum  
 Thesauros aliis cumulandi ! Matris avulsa  
 Magnæ visceribus , genitivisque abdita venis ,  
 Æs , Aurum , Argentum , Stannum & quæcunque Metalla ,  
 Cernite & affines Mineræ , Crystalla , Salina ,*

*Sulphurea & Calces & quæ fuliginis instar,  
 Concreta è furnis sursum centralibus halant,  
 Torrenti haud solum Zonâ, sed quatuor oris  
 Nata, sub ustrinâ & tali conflata, recocta.  
 Mulciberi in Liparâ, seu Lemno, ride Barathrum:  
 Fumos eructans, flammâ Phlegethonta & Avernum.  
 Nos intestinum, cum fomite & ignibus aptâ  
 Materie, asserimus spatium quod dissecat Orbem  
 Solstitiis geminis; cursu quo tendit Apollo  
 Zodiacum annali, nocturna diurnaue adequans:  
 Signa horis, monstrat Solis Lunæque labores;  
 Ambobusque Polis nixus Magneticus Axis  
 Transversim penetrat, præstatque immobile punctum  
 Telluris Mariumque Globo. Sol infimus hic est;  
 Qui, velut Æthereus, validè candentibus illinc  
 Trajiciens radiis exclusas aëre massas  
 Cælesti, internis venas aperire coëgit  
 Spiritibus, qui, dum luctante bitumine flammâ  
 Concipiunt, silices, ima & suprema Metalla  
 Fundunt, horifono reboante fragore per antra,  
 Cum Terræ & Pelagi tremebundis motibus, usque  
 Perrupti montes, silvas, undasque in apricum  
 Prosiliant, sparsis longè latèque favillis:  
 Frigore sulphureus vapor ut sub nube coactus  
 Tandem, contortis in acumen ignibus ardens,  
 Cuspide fulmineâ per aërea vincula vibrat,  
 Conflatum æs, cusum & Chalibem, cautesque resolvens:  
 Solis enim radios non huc penetrare docebunt  
 Flammigero in nivibus densis Arctoâ camino  
 Hecla & in Ægeis sublatis fluctibus ignes.  
 Diviso Imperio Vulcanus Centricus urit  
 Cum Phæbo; huic subsunt Vegeta & Viventia, at illi  
 Regna fodinarum, lapidosaque viscera Terræ.  
 Quæras, unde illis, quæ tot per secula flagrant;  
 Esca voraginitibus? primò monstraveris, unde  
 Soli ab Principio Rerum noctesque diesque  
 Conspiciè ardenti, quem, tot torrentia tela  
 Fundentem, vacuâ spectavit nemo Pharetrâ,  
 Tollitur in cælum reparandus fomes amissum?*

Dixit

Dixerat. interea medius sese abdidit undis  
 Titan. nos celeri transgressi limina passu,  
 En ! nova vicinâ redeunt spectacula nocte,  
 Quæ revocare gradus, aciemque intendere cogunt.  
 Quam formosarum Volucrum cingente Coronâ  
 Porticus hæc splendet ! postremum forte Valetè  
 Dicturæ hesperiâ aviculæ vigilatis in umbrâ.  
 Quid petimus ! silet omnis Avis, Pecudesque quiescunt ;  
 Et pavida & pugnax dudum fugitiva ferarum  
 Turba per anfractus latebrosa cubilia quærit.  
 Occidit omne jubar Terrarum in margine Solis.  
 Ortygia, in nubibus venatu lassâ recumbens,  
 Pindum Calliopen, me suadet adire Penates.

Amphitheatralis totâ me nocte volucrum  
 Circulus infomnem somni per gaudia duxit  
 Auroræ redituræ. eja ! properemus, ut udis  
 Gutturulis hilares primi modulaminis Hymnos,  
 DIs sacros, nostræ excipiant quoque sanctius aures.

Nulla loquax, patuli largo quanquam oris hiatu !  
 Omnes vos igitur tacitis venistis Amyclis !  
 Forma negat. Libycis, geminorum Psittaci ab oris  
 Indorum grandes & vos Pygmæia proles,  
 Χαίρε dulce tuum strictis num faucibus hæsit !  
 ô Picæ, Ganges, seu vos Brasilia misit,  
 Garrula lingua tacet, quâ quondam vincere cantu,  
 Ausis magnanimis, Musas potuisse fefellit !  
 Vos nostras Cerasos populatæ & Pisa, Ribesque,  
 Solvite tandem aliquid. subito si humana cerebro  
 Vox molli exciderint, vagitum edocta tenelli  
 Projecti Alcidis pueri, matrisque ululatum,  
 Salvatrix amborum ; hædis agnisque balatu  
 Æmula ; captivis mox omnis dempta loquela !  
 Nullane buccineo clangore Argiva salutet !  
 Forsitan hic glandes desunt, absurdaque pastu,  
 Diliciæ vobis, atque hinc Malacia resurgit,  
 Quâ si corripitur prægnans muliercula vestrum.  
 Nomen & omen habet. ô Tu gratissima semper  
 DIs, hominique Merops, volucris Trinacria seu Cress,  
 ô Salve in Batavis sanctæ pietatis imago,

Quá , vix dum pennis ausi se credere ventis,  
In nidis pulli dant pabula læta parenti.  
Quid ni Zinzifulas ! tuus ut Terraque Marique  
( In Cælo septem mæstissima Pleiadas inter  
Dum patre extincto lachrymarum destuis imbre )  
Hic amor emineat , qualem Ciconia nunquam  
Glottorat annosæ referens solamina matri.  
Qui latus huic claudit rostro pedibusque palumbus  
Turtur , si gemeret , cineres & pluma referret ,  
Nunc ut acu pictus. Tædas viduusne secundas  
Obtulit ? ó nunquam ; sed dives America pennis  
Cinxit tam variis. Hic castus amore prioris  
Luget in æternum. Viridi non fronde quiescit ,  
Fonte nec è nitido potat , consortis amica  
Ne faciem vidisse putet. mœrore tacebit.

Clamose , ut tacitus non pasci possis , adesto.  
Tunc files nostræ magis omnibus æmule linguæ !  
Cujus Ave Cæsar victor tot millia nummùm  
Constitit , an penitus facundia , Corve , faceffit !  
Quis victum exhibeat , nisi tu mereare loquendo !  
Auguriis hic nullus honos. Nec castra Leones  
Tu Batavos inter , velut olim signa sequeris  
Ausonidum , comes ipse Aquilis. Relegaberis , unde  
Venisti infamis scelerata ad Busta , Crucesque.  
Omne nimis vitium. te delatore Coronis  
Pregnans transfixa est & tu nigredine pœnas  
Proditionis habes. Melius nunc moriger esto.  
Fare aliquid saltem. Quare hic crocitare vereris !  
Forte & Hyperboreus pennas tibi reddat Apollo  
Albas , quum niveos montes Aquilonis oberras.  
Qualiter hic Progne , Philomela atque ipsa Coronis ,  
Et Lepus , & Lupus , Vulpes , Ursusque videntur.

Asteria , an quatiens tibi lingula , Casta Coturnix ,  
Stringitur ! incesti Jovis hic te fulmina terrent !  
Hic ( si DI's placeat ) magnus , divinus adulter  
Sat faciles ubicunque videt ; potiturque cupitis.  
Quid mirum ! in terris queis sanguis Regius omni  
Fædá labe caret ; Thalamum violasse jugalem ,  
Grande nefas populo , severa & morte piandum ,

Principibus licitum; quid ni quoque furta Deorum!  
Quid, lascive ales, Veneris Passercule plaustro  
Auriga, haud pipas! clamoriam sin tibi forte  
Abstulerit vocem nimium repetita libido.

Tu quoque suavitonum cantum Philomela relinquis!  
Nullus te sequitur Tereus minitante bipenne.  
Ithys, Ithys stridens, Upupæ sub tegmine plumæ,  
Daulidis omne nemus, latebras & lustra vagando,  
Pervolat & trepidus propriâ quem dente voravit,  
Quærit Ithyn miserum, inventumque ad Phasidis undas,  
Non novit, nimium pretiosa veste latentem.  
Qualiter imbriferam Saturnia amicit Irin;  
Deciduos oculos Argi texente Minervâ.  
Tuque adeo horrendum crudelis mater, Hirundo  
Celtica, quis vetuit tristes stridere querelas!  
Trux nimis, ô vindex stupri truculenta sororis,  
Progne, Bistonides hæc tecta subire Tyrannus!  
Ille fugax Montes & silvas nocte pererrat,  
Quo sua fata jubent; nec te cognoverit usquam,  
Pectoris in plumis liceat Laniena parentis  
Nota, minutalis pueri de carne cruenti:  
Mansit enim Geticis Luctus tua pallula in auris,  
Albente & Strophio Scyticus te vestiit Arctos  
Vere novo toties nostrum modulata per hortum  
Quin pergas Ciris? patris vindicta Haliæti,  
Puniceum quod amor te tollere, Scylla, capillum  
Cogerit, hinc longum; nec & hospita tecta subibit.  
Proh! quantum obstringunt vepetres nos Daulidis inter  
Has Naticidas! miserandæ sortis Aëdon  
Hic Itylum, insano per Te livore peremptum,  
Quæris? seu dulces escas per acuta & amara  
Carduus apponens gemitus in pectore claudit?  
At simul insontes fraterna in cæde sorores  
Zethiadas miror, tanto clamore molestas  
Olim, ut & Samios sua pingua prata, Laresque;  
Linquere compulerint, mutas. sint Fasyges ipsæ,  
Illarum ad Rhombum faciunt quid jurgia civis!  
Quid bella..... tandem Tragici tradenda Theatri  
Scæna hæc Melpomeni mæstæ, nos fronte serenâ

*Calliope & cantu volucres adeamus & ecce!*  
*Psittaculus nostras; sed & hic taciturnus ut omnes,*  
*Seu conjuratus. quid Phœnicure moraris,*  
*Humanum perdoctæ melos, cantare Deorum*  
*Hymnos! Aurati titulum mereare perennem,*  
*Soli quo nostri te dignavere Penates.*  
*Quid capite averso stas Phœnicoptere nobis!*  
*Nemo tibi linguam secturus Apicius hic est.*  
*Quare humi inventrix Serre, Tornique, Rotæque?*  
*Dædaleo livore semel de Palladis arce.*  
*Projectam nos te, Perdrix, non poscimus ultra*  
*Nec coquus hic Angelus qui te consumere gaudet:*  
*Spectatum venimus plumis quia pulchrior Indis.*  
*Ast hic Onocratelos, inquit mea Musa, tacendo*  
*Non nocet. Arcadicæ volucrem quis voce rudentem*  
*Audiat, huc quamvis Lunari ex Orbe venissit.*  
*Ille bipes Asinus tamen hic consistere dignus:*  
*Humanâ ut bipedes porcos sub pelle latentes*  
*Stringat inexpleti per justa opprobria ventris.*  
*Strenue bellator, Cancri furiosior æstu,*  
*Certò victor ades, fulget tua crista rubore*  
*Coccineo & crispæ volitant in pectore jubæ.*  
*Arrigitur pennis pictis tua cauda superba:*  
*Ut Romanus eques, cingens sua tempora lauro,*  
*Vexilla atque Aquilas in Cælum efferre solebat,*  
*Inter Iô Pæan, Iô Pæan vicimus; at te*  
*Num raucedo vetat letum cantare Triumphum!*  
*Quorsum ingens strepitus, quo, te vigilante, ferorum*  
*Gallorum insidiæ Tarpeia ab arce repulsæ,*  
*Anser! seu nimia fæctus pinguedine torpes!*  
*Publico ut è censu prompsissit pabula Aruspex,*  
*Aut lacte & mulso nutrisset Cotta gulosus.*  
*Credimus excubias nullis, quâ gente, Molossis.*  
*Pervigiles servant Capitolia nostra Leones,*  
*Et Brenni & Senonum furie, fraudesque hodiernæ*  
*Destructæ, domitæque jacent virtute Batavâ.*  
*Auro nos, Anser; tibi nulla Idola paramus;*  
*Annua Romulidâm fasta aut Holocausta libantur;*  
*Læticâ extensum non defert pompa feretro;*

*Nec canis innocuus funesta ex arbore pendet.  
Hæc nos ridemus puerilia, sacra, profana:  
At te, pro meritis, justo celebramus honore;  
Postquam Pergamei carissima velleræ capri  
Et Nili abstulerunt linaria scruta Papyrus;  
Fraxinus & Tilia & Fagus nec Populus alba,  
Cera tesserulis oblitis illius usus;  
Ære, Auro, Argento, nec plumbo lamina seruit;  
Pro Graphio & acubus nobis tua penna stiloque;  
Hæc studiis facilis, fulcit tua pluma grabatum  
Mollibus in stratis lassata ut membra quiescant.  
Te veniente die, Te decedente canemus.*

*Indice Pontificis socio simulante galero  
Phæniceo, Coccothraustes, trabeaque superbis!  
Ut modulus Gangis Philomelæ efferre recuses!  
Quis novus ille hospes tumidus rutilante coronâ,  
Qui caput Augustum medius vix exerit? unde?  
Dic puer, ille refert, volucrum Dominator Olympi  
Australis, rectè: quæcunque potentia Reges  
Extulit indomitos, suppressis legibus, ornant  
Accipitrem; sublime genus; præstantia formæ;  
Gloria pugnaram; sævi truculentia rostri;  
Alæ terribiles cædendo, unguesque rapaces  
Attamen ut pulcher, quam Majestate decorus!  
Credibile est, inquit mea Musa, hunc Juppiter olim  
Talem vidisset, puerum rapturus inermem  
Idalium, miser hic Aquilæ formidine nigræ  
Nunquam plorasset miscendus pocula divi.*

*Denique vos omnes longinquis advenæ ab Oris,  
Quarum vox Batavas nunquam pervenit ad aures,  
Anguicomæ Clypeo, diræ aut per pocula Circes,  
Omnimodo expansis sed non crepitantibus alis,  
Immotæ hic, statis veluti simulachra Theatri!  
Ætheris Eoï splendens Rex maxime & omnes  
Subditi, ob eximiam formamque decusque colorum,  
Quem Paradisiacum Nostrî dixere; profanæ  
Ternatæ Idolum; Falco qui, in culmine pullos  
Cinnameo excludis rapidos; tu mitior ales,  
Mersa mari Alcýone, super ipsum & tendere nidos*

\*\*\*

*Assue.*

*Affueta & quotquot cristallina claustra recondunt,  
Dicite . . . . . sed jamjam repetit sua lumina visus:  
Ut modo velatus per nigra crepuscula noctis  
Aurorâ redeunte. idem, qui lubrica edacis  
Temporis eripuit, cariei & faucibus, idem  
Ruyfchius hic Volucrum demortua corpora sistit  
Ut viva; haud aliter, quam si Catalepticus actus  
Artubus in rigidis dextrè proferre videtur.*

*At Tu vix equans digitum, Tu pumula, pulchra  
Australis Regina chori volitantis, & omni  
Lumine versicolor vario, Auro atque Ære corusca,  
Antipodum quæ pasta favo post funera vivis,  
Forsitan excideres oblita, ingloria nostris  
Carminibus !. Textor, si quisquam stamine Arachnæ  
Amulus, hanc pingas, & eris mihi Pallade major.  
Maeste animo, virtute, novis tua byssina fila  
Inficias succis, Cocco nec Murice parcas  
Sidoneo; Albionum Crocus & sit vilior algâ;  
Sit Mubamediacæ Prasinum venerabile stirpi.  
Attica Cæruleum mittat pretiosius auro,  
Illud & Argentum, radiis solaribus auctum,  
Mulgiber extendat; Lachesis subtilia volvat  
In fila; hinc panoplos texendo strenuus adsis;  
Perfectamque operam, pro gummi, lumine claro  
Phosphorus oblineat; tum, te ipso iudice certans,  
In cunctis victum pleno testaberis ore;  
Et si aciem sataget dextris armare specillis,  
Tela tibi nuper tenuissima, tamque venusta,  
Scabritie & stipulis Canabinum dixeris aptè  
Peniculum; textum turbatis ordine tricis,  
At cave ne fraudes Prygionum adjunxeris arti;  
Ipsam dum Volucrem stamina inter Byssina texunt:  
Cedo fac potius, proprio & jugulaberis ense.  
Sic etenim in throno Regina Ourillia fulgens  
Emicat, Arctophylax velut inter Sidera Cæli:  
Imo adeo ut rutilans Anthrax; Aurumque politum,  
Hanc juxta, ad Solis radiantia lumina, splendens.  
Hoc jubar in nebulae suffusum adspexeris umbrâ.  
Formosa ô soboles ( multò majora canemus )*



*Immotis membris licet, æternumque tacendo,  
 Vos tamen immensæ muto celebrabitis ore  
 Majestatis Opus, non ullâ imitabile dextrâ;  
 Nec casu ambiguo, sed certis legibus orta  
 Divini Artificis jussu primordia rerum,  
 Ordine perpetuo & sancti moderamine sceptri  
 Pergere, & insculptus vestris Adamante Character  
 Pectoribus claris, nullo & delebilis ævo,  
 Est Deus in nobis. Graculos Tu Philosophastros,  
 Cecropii & nostri duros seculi Theodoros  
 Plus validis vibras, Ourissia mortua, telis,  
 Quam quæ magnificâ finxit sub imagine veri  
 Ingenium fallax hominum vel mille probabunt  
 Argumenta, vagis dubiisque immersa tenebris,  
 Quidve Cathedrales præsumunt Gymnosophistæ,  
 Per Labyrinthos stolidè comprehendere Gyros,  
 Quem Terrarum Orbis, Cæli convexa, nec omne  
 Hærens temporibus spatium, numerisque locisque,  
 Non capiunt : solus perfectè qui sibi notus.*

*Hæc Divis : Priamo nostro quin demus honores !  
 Qui tot Myriades animantium & fertilis alvi  
 Terrarum fructus, congestos undique, in æva  
 Condiit, & nostris oculorum haud deneget omnes  
 Lectis deliciis; sed quis, quis talia fando  
 Ut vera accipiet ! grandævo hæc cuncta ferente.  
 Nulla illi unquam nil agendo elabitur hora;  
 Seu Asclepiadis Leges, Artemque periclis,  
 Vulnera & externos vitiatum corporis artus,  
 Tyrones curare docet cauteque citoque;  
 Herbarum aut varias formas, viresque resolvit  
 Ut Macer in Batavis; Lucinæ absente favore  
 Matri reddit opem, proli lucemque negatam;  
 Seu perscrutatur non siccâ morte peremptos;  
 Corporis humani Iudex cui fabrica tecta  
 Ne insontem damnet, vel solvat crimine cædis  
 Forte reum; Medici quis sedula munia nescit?  
 Ipsaque quin etiam quæ supputat Otia, multis  
 Magnæ molis opus, cui vix è millibus unus  
 Sufficit, ut præstet rebus mentemque manusque:*

*Ergo tot studiis lassum tot adire labores  
Unum posse virum peregrinus si neget hospes,  
Eja ! adsit, visusque fidem, super omne quod aures  
Excipiunt, constare dabit. quisnam aestimet aequo  
( Si rarum carum est ) hanc Gazam dixeris, euge !  
Tu solvendo impar, propria ut possessio cedat,  
Sorte tuâ gaude, quâ perlustrare licebit  
Plurimâ, quam septem Veteris Miracula mundi,  
Æstu visendi, attonitos traxere per undas,  
Montes & silvas & mille pericula vitæ.*





# THESAURUS

## PRIMUS

*Animalium quadrupedum, volatiliū, reptiliū, ac piscium, nec non Insectorum, atque Conchyliorum, &c. partim liquori limpidissimo innatantium, partim balsamo induratorum, quæ servantur in Thesaurō, ex ligno Olivario confecto.*

### ASSERI

- N<sup>o</sup>. I. upes exigua, ex variis Conchyliis Indicis exiguis purificatis, ac ramulis marinis confecta, quæ innititur pedamento ex ligno oleagino, è quo Thesaurus est fabricatus.
- N<sup>o</sup>. II. hiala sicca, & in ea, Avicula Ceylanica quadricolor, nitidissima; scilicet capite colloque colore miniato, alis & dorso nigro, pectore & abdomine plumis albicantibus & cinereis prædita.

Not. 1. Avicula isthæc balsamo ita à me præparata, ut integra remanserit, ne visceribus quidem exemptis, ut adhuc viva esse videatur; præterea insidet ramusculo Cardui minimi *Prosp. Alpini*; cum autem dictus Carduus hic rarissimus sit, & capita habeat reticulæ modo à natura elaborata, gratiam conciliat visui.

2<sup>o</sup>. Operculum, quo coöperta est phiala, sericum est rubrum villosum, quo omnes ferè phialæ sequentes etiam sunt tectæ.

3<sup>o</sup>. Dicto operculo, ceu pedamento, impositus est fasciculus herbarum, florum & fructuum rariorum exoticorum; cum autem illa colorem naturalem tam bene conservarint, visum

illorum, qui re herbaria delectantur, alliciunt: his quoque insident insecta varia rariora, scilicet Papilio Turcicus, rarissimus, colore ex albo, nigro & dilute cæruleo-viridi, coloratus, cujus alæ inferiores seu posteriores longissimæ, tenue stramen latitudine æquant; hoc modo aviculæ caudam repræsentant, & hinc à me denominatur Papilio Turcicus, versicolor, alis posterioribus longissimis, stramineæ latitudinis.

2°. Capricornulus Afric. viridis nitens.

3°. Curculio ex Capite bonæ Spei.

4°. Cantharides, &c.

4°. Inter dictas herbas & flores etiam reperiuntur

Amaranthus cristatus rubicundissimo flore. *Cat. Hort. Reg.*

*Par.*

Gnaphalium latifolium Americanum. *B. Pin.*

Gramen tremulum majus & minus. *B. Pin.*

Stæchas citrina. *Matth.*

Adiantum Americanum. *Cornut.*

Conyza Africana.

Milium Ind. Orient. semine nigro majori, & nitente.

Thlaspi fruticosum Leucoid folio. *B. Pin.*

Quamoclit. *J. B. &c.* Vid. Tab. I. Anim. Fig. I.

N°. III. Phiala in liquore continens Piscem, ex insula Amboinensi, qui à D°. Joh. Nieuhovio appellatur Piscis Amboinensis, & in suo itinerario Indiæ Orientalis & Occidentalis descriptus ac depictus est; ut & à Nobilissimo Viro Domino Francisco Willugbeio in sua Ichthyographia, S. Historia piscium nomine *Perca Amboinensis*; enimvero, cum hic piscis meus cum illorum *Perca marina* (quam etiam in alium Thesaurum refervo) non plane conveniat, consultum duxi, hujus figuram addere. Vide Thef. Animal. I. Tab. II. Fig. 3.

Cum autem discrepantia reperiatur inter dictos Pisces, hic à me denominatur *Perca Amboinensis volans*, pinnis longissimis.

Dictus Piscis, ab Incolis Malaicè vocatur *Ikan Swangi*, & ab Europæis ibi degentibus, nominatur *Tovenaars Visch*, estque coloris castanei saturatoris, lineis transversis, stramen latis, idque à capite ad caudam usque, pinna dorsalis, ut & post branchiales sunt longissimæ, quemadmodum in piscibus volantibus, unde suspicor, hunc piscem è genere piscium Volatilium quo-

quoque esse, qui ad breve tempus aquas relinquentes, & super eas volantes, pisces volantes nuncupantur.

Hinc forsan incolæ, qui illic loci admodum supersticiosi sunt, hunc piscem *Ikan Swangi*, id est, Belgico idiomate *Tovenaars Visch* vocarunt, vel quia convulsiones & dira alia symptomata admiranda acquirunt illi, qui ab aculeis illorum ( quibus præditi sunt ) punguntur, ut ex variis relationibus percepit.

Pinnæ laterales, infimæ, ut & illæ, quæ caudam constituunt, habent quadrangulares maculas albas; Quamvis autem dictæ pinnæ in hoc pisce, radios habeant discretos, tamen non est dubium, quin in statu naturali, sibi invicem sint connatæ ope membranulæ tenuissimæ, qua in meo quoque objecto non plane sunt destitutæ, enimvero quoniam adeo tenuis est dicta membranula, facillime, antequam ad nos pervenerunt, ab illa destituuntur, & sic radiorum pinnæ à se invicem recedunt, id quod Clarissimus Willugbey quoque suspicatur circa vulgarem Percam Amboinensem.

Notandum præterea, super dictum operculum orificii hujus Phialæ reperiri fasciculum ramusculorum marinorum, scilicet Lithophyti, Abrotani marini; & inter ramulos illos reperiri Pisciculum Americanum, planum, rotundum, balsamo induratum, magnitudine fere thaleri imperialis, habentem circa caudam maculam rotundam, magnitudine ciceris, nigri coloris, quam ambit circulus albicans: & quoniam dictus pisciculus maximam habet analogiam cum pisce, quem D. Joh. Nieuhovius in suo Itinerario denominavit *Clipvis*, seu *Soldaten Visch*, idem nomen quoque retinebimus.

Nº. IV. Phiala in liquore continens Locustam Africanam, maculosam, cucullatam, cujus pedes posteriores spinas habent acutas, dorsum verò & cauda obtusas; eaque insidet Opuntiaë Americanæ, spinosæ minori.

Nº. V. Vespertilio Indicus, maso, clitoridi simili, instructus.

Nº. VI. Phiala sicca, in qua continetur nidulus exiguus, Americanus, ovulis, ciceris magnitudine, instructus, quibus, veluti incubat avicula Indiæ Occidentalis mellivora, ita dicta, propterea quod etiam volans alimentum melleum ex floribus haurire valeat, & ab Indigenis quoque Ourussia nuncupatur.

Nidulus situs est inter ramum Ericæ arborescentis Africanæ,  
flori-

F. R. R U Y S C H I I

floribus albis locupletissimis; huic ramo insidet quoque alia  
Ourussia.

Super operculum Phialæ, serico villoso rubro tectum, pos-  
tus est fasciculus herbarum, ut & florum, & inter alia, etiam  
varia insecta, nec non Squammæ fructus Scolymocephali Afri-  
cani, quarum extremitates, sericum villosum æmulantes, co-  
lore nigro sunt præditæ, ut &

Ramuli Tamarisci Gallici.

Erica Myricæ folio.

Erica Africana.

Tanacetum Africanum, Floribus decuplo minoribus. D. Pr.

C. *Commelini.*

Adiantum Americanum. *Corn.*

Gramen tremulum minus. C. B. P.

Millefolium Africanum flore, luteo. ut &

Ramuli Fruticis cinerei Africani. *Brey.*

Centinodii, floribus argenteis.

Pimpinellæ spinosæ, fructibus onustæ.

Plantæ Africanæ, innominatæ & nondum descriptæ, glandi-  
formi fructu.

Chrysanthemi, flore luteo, cujus petala in exsiccatione asso-  
lent se contrahere, in hisce ita sunt disposita, ut flores adhuc-  
cum vivere videantur, ne colore quidem excepto.

Inter insecta reperiuntur exiguæ Cantharides & Papiliuncu-  
lus cæruleus, ocellis plurimis subtus eleganter aspersus, D. Pet-  
tiveri, rerum curiosarum perscrutatoris indefessi, à me vero  
denominatur Argus cæruleus minimus.

Nº. VII. Aranea ex Capite bonæ spei tricolor, ventre am-  
plissimo crenato.

Notandum, Thorax & caput castanei coloris, pedes eodem  
colore persusi sunt, nec non maculis subnigris quadrangulari-  
bus, dorsum autem nivei coloris lineis transversis nigricantibus  
gaudet, venter margine crenatus ac eleganter est variegatus  
instar marmoris, id quod visum allicit, imo & illorum, qui  
alias abhorrent ab Araneorum adspectu.

Nº. VIII. Jaculatrix Indiæ Occidentalis, exilis, à capillo de-  
pendens, hæc ore aperto inhiare videtur foetui Gliris sive-  
stris Americani, bulgam gerentis in imo ventre, pro foetuum in-  
troitu,

troitu , ut & exitu : in illa bulga reperiuntur Mammæ & Pa-  
pillæ , quas fugendo arripiunt foetus.

Not. Dictam Jaculatricem optimæ esse notæ , ejusque gesti-  
culationem ita per artem esse formatam , ut eam tanquam vi-  
vam , & naturaliter prædæ inhiantem , repræsentet.

Nº. IX. Serpens Americanus bicolor , ramulo Jasmini Afric. Ili-  
cis folio , floribus albis *C. Commel.* interpositus est , & foetui in-  
cogniti quadrupedis , Animalculi sylvestris Americani , exiguo &  
albissimo , inhians.

Nº. X. Scorpius Africanus niger , magnitudine Cancrum Ger-  
manicum fluviatilem majorem æquans , in liquore limpidissimo  
conservatus , super phialæ operculum reperitur fasciculus plan-  
tarum , florum & fructuum ; inter quæ reperiuntur , præter  
prædicta , Absynthium Seriphium marinum.

Frutex cinereus Africanus. *Breyn.*

Alfine , rara non descripta.

Laurus Africana , Querci folio. *C. Comm.*

Filago Indiæ Orientalis. *Nobis.*

Baccæ Cinamomi tam perfectæ , quam imperfectæ.

Achmellæ capitulum , seminibus onustum.

Abrus. &c.

Hisce insident sequentia insecta. Cochinella rubra nostras,  
multis maculis nigris notata.

Curculio. *Pettiv.*

Eruçæ albæ , maculis nigris quadrangularibus præditæ , mi-  
hi , Ribesii helluones ; quoniam Ribesii nigri folia devorare  
assolent ; dictæ Eruçæ tam nitide præparatæ , ut adhuc vivere  
videantur , ne gesticulatione reptatrice quidem neglecta.

Nº. XI. Serpens exiguus Africanus nitens , lineis albis & ni-  
gris secundum longitudinem ductis , cum autem per herbas  
Africanas serpere soleant , addidi ramum Ficoidis Africanæ ,  
folio triquetro minori.

Supra infimam herbæ partem reperitur quoque Bufo parvus  
cinereus , maculosus , cujus dorsum lineâ albâ notatur : hic ore  
aperto & distento Serpentem arripere videtur.

In operculi fastigio reperitur compages , seu fasciculus flo-  
rum & seminum , inter quæ sese videnda quoque exhibent ,  
femina anisi stellati , ut & insecta , inter quæ Scarabæus minor  
nitens.

Nº. XII. *Serpens exiguus Indicus*, ore detinens *Pisciculum parvum* coloris argentei, ex iisdem oris.

Nº. XIII. *Eruca Africana* crassa & rara, & capite & anterioribus pedicellis coloris fusci, corpore nigro, dorso tuberculis brevissimis & crassiusculis, ceu spinulis, prædito; quorum tuberculorum duo in utroque latere aureo colore splendent, quasi specula exigua, pone caput vero duo processus spinosi bifidi quoque visui sese offerunt: huic insecto adstat ramulus *Africanus*, floribus onustus.

Supra operculum visuntur inter alios flores, *Millefolium Africanum*, flore luteo, *Thlaspi Halimi* folio, flore albo, &c.

Nº. XIV. *Phiala sicca*, in qua conservatur *Turdus Indicus* versicolor.

Operculum phialæ ornatum est fasciculo flosculorum, & fructuum, inter quæ fructus *Arizari*, angusto folio.

*Mundubi Pisonis*.

*Squamma sericea*, villosa nigra *Scolymocephali Africani*.

*Glandes Turcicæ*, cupulis spinosis, seu asperis.

*Flores Reginæ præti*.

*Fructus Euonymi Virginiani latifolii*.

*Rhus Afric.*

*Corruda Africana*.

*Oryza Indica*.

*Muscus clavatus*. *Dod.*

*Ferri Equini siliqua*.

*Trichomanes*.

*Centinodia*, floribus argenteis.

*Tanacetum Africanum odoratum*.

*Juniperus Africana* &c.

Nº. XV. *Cerastes Ceylanicus*, cinereus, & maculosus, supra ocellos, veluti duo cornicula gestans: in eadem phiala innatare videtur *Pisciculus Africanus* cinereus, barbatus, quatuor lineis albis longitudinalibus præditus, estque de genere *Bagre Marcgr.*

Pone dictas phialas reperiuntur varia balsamo indurata, & ita præparata, ut statum naturalem & vitam haud amisisse videantur.

Nº. XVI. *Lacerta Americana*, hæc ore suo detinet prædam suam, nempe *Crabronem Africanum rubrum*, maculis nigris notatum.



Nº. XVII. Spinosa Lacerta Africana, corpore squammoso, aspero, & cauda spinosa.

Nº. XVIII. Echinomelocactus Americana, spinis brevioribus; cum autem è rupibus emergere soleant, rupi imposui, super quam quoque reperiuntur rami Litophyti Africani.

Nº. XIX. Echinus marinus Turcicus, cum suis longissimis nigris pinnis.

Nº. XX. Thlaspi, Rosa de Hiericho dictum, *Morif.* feu Rosa Hierichontina vulgò. C. B.

A S S E R II.

Nº. XXI. **S**erpens exiguus Americanus albus, eleganter maculis nigris notatus; hic, capite sursum erecto, Pisciculum Africanum argenteum, planum & rotundum, lineis quatuor latis, nigris, notatum, videtur captare.

Phialæ operculum ditatum fasciculo plantarum, quas inter, præter præcedentes, quoque reperiuntur Ramusculi, sc. Musci arborei exotici, qui excreverat ex arbore, ad sex circiter ulnarum longitudinem.

Equiseti Africani, flosculis luteis.

Campanulæ Valerianoidis, &c.

Nº. XXII. Serpens Americanus exiguus, albus, lineis undulatis transversalibus, castanei coloris, præditus, estque è genere eorum, qui male dicuntur, & perperam habentur pro bicipitibus, nam uno tantum præditi sunt capite.

Nº. XXIII. Phiala duos continens Pisciculos Africanos, rarissimos, quorum inferior Piscis Africanus lobatus à me dicitur, quia lobum planum, pro pisciculi magnitudine, fatis magnum, inter caput & abdomen dependentem, habet; hic pisciculus ex castaneo & albo colore variegatus, nullisque squammis præditus, attactu subasper.

Superior verò Pisciculus ob gutturis extensionem Gutturosus à me dictus, exiguis squammis superbiens, coloris argentei; cum autem à capillo dependeat, pinnasque habeat expansas, liquori innatare videtur, modò nonnihil moveatur phiala, in qua continetur.

Africa quoque produxit hunc piscem.

Nº. XXIV. Rana Americana, colore marmoreo eleganter colorata, & in liquore conservata.

Nº. XXV. Eruca Americana maxima, pilosissima, suntque pili longissimi, colore ex nigro & albo variegati, ac dense stipati, ceu in cane aquatico, itaque, ne nomine, quo adhuc destituta est, diutius careat, à me vocabitur Canis aquaticus.

Notandum præterea, quod ramo arboris Nucis Moschatæ infidet, & tali quidem gestulatione, quasi folia devoraret.

Nº. XXVI. Piscis Africanus planus, albus, octo, novemve lineis transversis nigris gaudens, etque è genere eorum, qui in præcedenti *Clip-Visch* denominatus est.

In fundo phialæ reperitur quoque Serpens exiguus Americanus albus, eleganter maculis nigris notatus.

Nº. XXVII. Eruca Americana, pilis longissimis obsita, in quorum fastigio tuberculum apparet, instar ovorum pediculorum; hi autem vix apparent, nisi oculis armatis.

Operculum, ut antecedentia, gaudet inter cetera quoque flore arboris Coral. ramusculo Arbusculæ portoricensis lactescens, foliis Quercinis, spinis geminis ad singulorum foliorum exortum, exasperatæ, *Kiggelarii*, Botanici expertissimi; præterea gaudet foliis & semine Abrus *Alpin.* seu Piso fructu coccyneo minore *C. B.* ut & flore Croci verni latifolii flavi *B. Pin.* ante quinquaginta annos à me carpto, & etiamnum colore vivido prædito.

Nº. XXVIII. Lacerta Africana, gutturosa, vel bulgam gerens à me dicta, eleganter lineis & maculis nigris notata. Hæc, gutture in magnam molem extenso, ita præparata, ut vitam amisisse non videatur.

Nº. XXIX. Phiala sicca, & in illa, Avicula Amboinensis rarissima, tricolor, in totum, sc. cum Carne & Ossibus, ita conservata, ut in vita adhuc superstes esse videatur.

In fundo Phialæ reperiuntur flores Tanaceti Africani, floribus decuplo minoribus. *C. Commel.* collegæ conjunctissimi.

Nº. XXX. Loligo cum suo Ovario & foetibus imperfectis.

Not in fundo phialæ in conspectum venit portio Ovarii cum suis innumeris ovulis; præterea à capillo dependet pars Ovarii, in qua conspiciuntur innumeri embryones Loliginis, quæ eousque

que pervenerunt, ut illarum ocelli luculenter videri possint.

Operculum oblitum est ramulis aliquot plantarum marinarum, scilicet Millefolii marini fruticosi, Spongiæ marinæ ramosæ, Lithophyti, Fuci porosi, Tabulariæ. Vid. Tab. II. Fig. 1.

Nº. XXXI. Serpens Africanus cæruleus, in dorso linea alba notatus, hic inter ramum Erucae Monspeliensis filiquâ quadrangulâ echinatâ *Moris.* positus, ore detinet Testiculum Gliris dissolutum.

Inter plantulas & fructus, super operculum phialæ positos, reperiuntur quoque Caryophylli Regii. *Wormii.* Miliium Indicum subflavum.

Nº. XXXII. Eruca Americana maxima, spinosa, cui opposita Opuntia minor spinosa Americana. Huic insidet Aranea Arnericana cericeo-villosa, rubicundissima; & quod notandum ejusmodi Araneæ hisce in oris non raro quoque à nobis sunt reperiæ, multis partibus tamen minores.

Nº. XXXIII. Rana Indica major, colore marmoreo, quæ inhiare videtur Erucae maximæ Americanæ albæ, lineis transversis nigris præditæ, & gaudenti in dorso tuberculis exiguis, è quibus minutissimi pili nigri, stellæ in modum dispositi, prodeunt.

Nº. XXXIV. Serpens Africanus (linea nigra latissima, serpentino ductu per dorsum longitudinem procurrente.

Hic aggredi videtur Scarabæum Americanum, à capillo dependentem.

Nº. XXXV. Bufoni simile Americanum Animal, pedibus posterioribus anferinis Pipa & Pipal, incolis Zurinamensibus, dictum, in cujus dorso plurima visuntur ovula, separatim in suis cellulis, ceu utriculis recondita, è quibus tandem foetus emergere in confesso est.

Not. In hoc objecto dorsum à me esse apertum, ut expiscarer, an ova ex abdomine emergant, & in dorso tantum appareant & propullulent; contrarium autem in hoc animali liquet: in illis enim nullam communicationem reperire potui cum partibus internis abdominis; cutis dorsum vero, plurimis cellulis ceu utriculis donata, ova continet, idque sub operculo seu scutella duriuscula, quâ ablatâ, ova nuda apparent. Vide Tab. II. Fig. II. & III.

Sunt mihi varia ejusmodi objecta, ex utraque India allata, alia enim in dorso sunt cinerei, alia pulli ac nigri coloris, nonnulla ovulis referta, varia in dorso foetibus onusta, quorum omnium figuræ in publicum prodibunt, si Deus Ter Optimus Maximus mihi vitam & vires porro dederit.

Dictum animal plures ante annos ex America transmissum, primò intravit Musæum Instructissimum Amplissimi Consulibus NICOLAI WITSEN, rerum curiosarum investigatoris indefessi.

Nº. XXXVI. Orbis Curacaoviensis, nigris punctis præditus. Hic, liquori innatans, tam bene conservatus est, ut adhuc vivere, ac in liquore natare videatur.

Nº. XXXVII. Cochlea magna alba, seu Buccinum ex Oceano magno, in cujus dorso adnatum insectum marinum, Mamma marina, ob similitudinem, à me dicta, & in fundo phialæ continentur quoque duo objecta marina, pellucida quinque zonis opacis, ut & capite rotundo prædita, nec non Holothurius triangularis transparentis.

Operculum præterea ornatum Lithophyto quodam, cortice purpureo; huic infidet pisciculus Africanus planus, corniculo longo in dorso præditus, estque è genere Caprisci. *Rondeletii*.

Nº. XXXVIII. Pisciculus Guinensis, argenteus, planus, ex genere *Mucu* Brasiliensibus dictus. *Marcgr.*

Præterea parte superiore à seta dependet quoque pisciculus è genere *Bagre*, ut Nº. XV.

Nº. XXXIX. Serpens Indiæ Orientalis, tricolor, eleganter ex rubro, nigro, & albo coloratus.

Nº. XL. Serpens Indiæ Occidentalis bicolor, exiguus.

Nº. XLI. Elegans avicula Capitis bonæ spei, rostro longo, adunco, recurvo, nigro, pectore sanguineo, nigro, cæruleo ac viridi fulgente colore; estque è genere *Tomieio* *Marcgr.*

Hæ aviculæ alimentum supra flores volando quæritant, uti *Ourussia*, idque lingua longissima bifida.

Inter digitorum ungues continentur foliola *Æschynomenes* spinosæ, seu herbæ vivæ, quæ planta peculiare quid habet, scilicet, si quis digitis aut bacillo folia tetigerit, complicantur

non

non solum illa illico, verum etiam ramulus nutat versus terram, & sic vivere videtur vita animali, hinc dicitur quoque herba viva vulgo.

Avicula quoque ita balsamo est præparata, ut adhuc vivere videatur, ossiculis, carne, & cerebro non exemptis.

Nº. XLII. Eruca magna Americana bicolor, à feta dependens, & ita præparata, ut actionem reptatricem retinuerit.

Nº. XLIII. Caput avis Africanæ, quæ Flamengo nominatur.

Nº. XLIV. Rupes parva, ex Conchyliis Indicis & ramusculis marinis confecta.

Nº. XLV. Pisciculus Ceylanicus reticulatus, quadratus, minimus, nigrisque maculis notatus; hic magnitudine tesseram mediocrem haud excedit, punctis nigricantibus, feminis sinapi nigri magnitudine, per totum corpusculum ordine dispersus. Vid. Tab. III. Fig. I.

Nº. XLVI. Conger Americanus rufus, venenatus, minor, lineis albis & maculis quasi characteribus Arabicis perpulchre inscriptus: à feta in eadem phiála quoque dependet Cancellus Americanus.

Nº. XLVII. Serpens exiguus Americanus, maculis coloris castanei eleganter notatus, ut & Locusta ex iisdem oris alata.

Nº. XLVIII. Avicula Curacaoviensis, Ourussia dicta, lucido, viridi & aureo fulgenti colore, ut & rostro nigro, recto, acuto prædita: hæc, utpote ex florum dulcedine victum quoque quæritans, reperitur insidere ramulo Cichorei spinosi.

Nº. XLIX. Eruca marina, pilis lateralibus aureis, cæruleis, viridibus, iridis instar fulgentibus, prædita, vocatur quoque Histrix marina. *Rhed.*

Nº. L. Serpens Americanus bicolor, egregie ornamentum æmulare, quod mulieres gestare solent, (*Belgice Brazelette*) repræsentans, hujus corpore insidet exiguum animalculum venenatissimum, Gekko ab Indis dictum, idque propter sonitum, quem edunt, scilicet Gekko, Gekko.

Nº. LI. Rupes minima, ex variis Indicis Conchyliis & aliis rebus marinis confecta.

Nº. LII. Rana Americana, colore subnigro & lineis duabus  
al-

albissimis à capite ad crura usque notata ; crura autem sex maculis albissimis superbiunt.

Huic affidet *Lacerta Africana*, colore fusco-cinereo, duabus lineis albissimis secundum longitudinem ; ut & cauda flava instructa.

Nº. LIII. Piscis Ceylanicus lobatus, *Acaruana* dictus, quatuor lineis longitudinalibus, à capite ad caudam usque decurrentibus, instructus.

In eadem phiala, conspiciendam sese quoque exhibet *Anguilla argentea Americana*.

Nº. LIV. Piscis Africanus planus, colore fusco cinereo, quatuor zonis albissimis ditatus.

Nº. LV. Rupes exigua tertia, ex Conchyliis Indicis & aliis rebus marinis, ut in præcedentibus, confecta.

Nº. LVI. Jaculatrix, seu Serpens Americanus tenuissimus, supra quem dependet *Eruca crassa*, ex iisdem oris.

Nº. LVII. *Eruca Americana* crassissima & maxima, quæ sæpe numero reperitur in frondibus *Palmitarum*, & *Chamæriphis*; quamvis autem Incolæ hanc *Erucam* (ob noxam, quam arboribus infert,) *Palm-miet Worm* vocarint, tamen nil nocent stomacho eorum, qui *Erucam* illam esitant, & in deliciis habere assolent Incolæ.

Nº. LVIII. *Rana Americana*, ex castaneo & albo colore variegata.

Nº. LIX. Serpens exiguus bipes Africanus, lineis longitudinalibus albis & cinereis donatus; in eadem Phiala à capillo dependet *Pisciculus* varius instar marmoris, ex iisdem oris.

Nº. LX. Orbis Africanus, sex lineis nigricantibus in dorso: in phialæ fundo reperitur quoque *Stella marina*.

Nº. LXI. Serpens Indicus subcæruleus, ore detinens *Ara-neam Indicam* variegatam.

Nº. LXII. Phiala in cujus fundo reperitur *Rana Americana* alba, duabus prominentiis circa clunes prædita: in superiore phialæ parte à seta dependet *Pisciculus Indicus marmoreus*, qui, pinnis expansis, in liquore quasi natare videtur.

Nº. LXIII. *Pisciculus Indicus* rotundus, nummularis à me dictus, planus enim ac rotundus est, instar chalcis, an autem majo-

majores reperiantur, hæreo, quandoquidem uno eodemque tempore plures ad me delati sunt ejusdem fere magnitudinis; cum autem per corpus disperfis gaudeat paucis tuberculis asperis, formamque rotundam habeat, Orbis generi videtur accensendus. Vid. Tab. III. Fig. 7.

In Phialæ fundo reperitur quoque Serpens Africanus cinereus.

Nº. LXIV. Phiala ficca, & in ea Avicula Indiæ Orientalis ex cinereo cærulea, capitis vertice nigra, lateribus autem capitis alba: inter ungues pedum retinet ramum Pimpinellæ spinosæ.

Nº. LXV. Rana Americana cinerea, tribus albis lineis latis, secundum corporis longitudinem decurrentibus, ac pedibus marmoreis prædita.

Nº. LXVI. Lacerta Indiæ Orientalis pugnax, dorso ferrato, Chamæleontis capite, colore dilute cæruleo, lineisque ceu zonis albis donata: hæc insidet ramo Plantæ Lactariæ Africanæ. *Joh. Commelini*. Hort. Amlt. p. 1. dum viveret Senatoris hujus civitatis, ac de studio Botanico bene meriti.

Nº. LXVII. Chamæleon Africanus, cinereo marmoreus, insidens ramo Acaciæ spinosæ Africanæ, hujus lingua admodum longa, & proboscidis aut lumbrici forma exserta, in sui extremo, ceu acetabulo, mucro in vivente madido, arripit splendens Scarabæolum, sicuti viventes facere assolent.

In operculi fastigio præter ceteros flores reperitur quoque Mollugo, Erica, Amaranthus spica pendula, Milium Indicum rubrum, Laurus Africana, Querci folio. &c.

Nº. LXVIII. Salamandra terrestris, maculis luteis districta.

Nº. LXIX. Pisciculus Ceylanicus, cucullatus à me dictus, pone caput enim è nucha cuculla prodit, pinnarum hujus piscis extrema, pulla sunt.

Nº. LXX. Pedamentum exiguum, ex ligno Juglandis confectum, cui imposita est rupes, ex variis purificatis conchyliis exiguis, & ramulis marinis confecta.

Nº. LXXI. Psittaci minoris sceleton nitidissimum, inter cujus pedicellos osseos continentur duo sceleta vegetabilia, (ut ita dicam) quorum 1. sceleton est calycis floris Hyoscyami, cujus membranulis in totum destituitur, relictis tantummodo

nervulis, ita ut reticulum repræsentet, alterum verò est sceleton folii Alni, texturam ramulorum venosorum humanorum perbelle repræsentans.

Nº. LXXII. Phiala sicca, & in ea, Avicula Ceylanica croceo colore, unde Crocea dicta *Herm.* in Mus. Ceylan. Khacurullo Ceylanensibus.

Hæc balsamo ita condita, ut non solum caro & ossa, verum etiam viscera in corpore remanserint, & sic nativam faciem retinens, ramo Cichorei spinosi fruticosi insidet.

Nº. LXXIII. Holothurius Ceylanicus Velivolans. in *Herm.* Mus. Ceyl. descriptus. Zoophytum venenatissimum & causticum per summa maris Indici velificans, expansam sed vacuam vesicam referens, parte superna quasi velo, inferna multis longissimis filamentis quasi remis instructum.

Nº. LXXIV. Lacerta Africana nitidissima, lineis longitudinalibus nigris & albis, pedes autem, ut & venter, albis maculis superbiunt. Dicta lacerta insidet fructui Opuntiae spinosae majori.

Nº. LXXV. Orbis Africanus cauda bicolori, eaque simul cum pinnis expansâ, naturalem & viventem repræsentat piscem: Supra caudam gaudet zonis nigris, corpus autem, dorso excepto, donatur punctis nigricantibus.

Nº. LXXVI. Cochlea marina Indica cum limace, pro proportione cochleae, admodum magna; præterea phialae fundus Corallinâ officinarum, ut & Corallinâ capillaceis ramulis obfitus est.

Nº. LXXVII. Alcyon, seu Alcedo Africana, Avicula formosissima, à cujus capite, posteriora versus, propendent plumæ longissimæ ex cæruleo & nigro eleganter variegatæ: Inter illas aviculas Africanas reservo quoque nostratibus longe minores.

Nº. LXXVIII. Pedamentum minus, ex nucis Juglandis ligno confectum, super quod rupes, ex Conchylis parvis Indicis purificatis confecta.

Nº. LXXIX. Amphibæna Americana ex albo & nigro variegata: ejusmodi Serpentes bicipites, seu Amphicephalas; nominantur, sed falso; cum unico tantum gaudeant capite; potius itaque nominandi essent Serpentes cauda crassa, vel



vel Serpentes utrimque-gradus à reptatu, quo gaudere dicuntur:

Nº. LXXX. Aranea Indiæ Orientalis coloris castanei, corpus oblongo rotundum, pedicelli anteriores longissimi, imo ceteris longiores, crassiores; atque ab una parte pilosi: horum extremitates in spinas recurvas, sicuti cancrorum pedes anteriores in chelas desinunt: illarum dentes coloris sunt nigricantis, splendentes, arcuati, & in acumen desinentes, non absimiles illorum, quibus Phalangii gaudent. Præterea hoc habet peculiare, quod omnes juncturæ macula alba gaudeant.

Nº. LXXXI. Tatu-Apara *Pison.* & *Marcgr.* seu Armodillæ foetus, digitum minorem longus, coloris albicantis, adhærens ramo Ficoidis Africanæ, foliolis crassis, brevibus, angulosis, spinosis. Vid. Tab. I. Fig. 1. hujus Thef. I.

Nº. LXXXII. Salamandra aquatica magna.

Nº. LXXXIII. Foetus Rajæ, in sua cinerei coloris testa majore (perperam Mus marinus dicta.) Sunt mihi harum testarum diversæ species, scilicet maximæ, ac cinerei coloris, ut & nigræ, nec non minores nigræ planæ, oblongo rotundæ, ut & coloris subflavi, & nigri, cum annexis fibrillis aut ligulis: quales autem Rajarum species, quæ plurimæ reperiuntur, ex istis omnibus producuntur, nondum mihi constat. Vid. Tab. III. Fig. 3.

Nº. LXXXIV. Testa Rajæ cinerea major, in qua foetus Rajæ ita adhuc hæret, quemadmodum ego illum post Testæ apertionem inveni.

Nº. LXXXV. Testa Rajæ cinerea major, ex parte aperta, ut ovum, in ea contentum, cerni possit.

Nº. LXXXVI. Testa Rajæ cinerea major, ita præparata, ut superficies ejus interior, sericum coloris aurei repræsentans, in conspectum veniret.

Nº. LXXXVII. Portio ovarii Rajæ, in liquore conservata; mirari subit videre, quanto numero in uno ovario reperiuntur ovula. Hinc Doctissimus D. Franciscus Boissuetus sequentes construxit versiculos, in suo libro de Natura Aquatiliū. fol. mihi 140.

*Si quis Rajarum nusquam conspexerit ova,  
Dirigat huc oculorum ille suorum aciem,  
Nam fecunda parens Rajis natura creandis,  
Ostentavit opes leta subinde suas.*

Nº. LXXXVIII. Supra huncce Thesaurum reperitur quoque Spongioides, ramosissima, oculata, à me ita dicta, propter ramulos densissime stipatos, foveas exiles, & spongiæ affinitatem. Huic adhæret Cancer Pagarus *Rondeletii* dictus, super cujus dorsum connati sunt Balani magni.

Nº. LXXXIX. Phiala in liquore continens Piscem Ceylanicum fuscum, maculis albissimis, ordine secundum longitudinem piscis ad caudam usque sitis.

In fundo phialæ conspicitur quoque Urtica marina rarissima, pyramidalibus acuminatis signaturis, castaneæ coloris stellæ in modum orbiculatim positis, prædita.

An *Urtica rarior*, *Veella dicta*. Fab. Columnæ?

Supra operculum posita sunt Conchylia Indica, rupis instar concinnata, quæ inter ramuli marini Indici locantur, scilicet Corallii albissimi Amboinensis, fragilis, Corallii albi, valde similis cinamomo Saccharato tenuiori, Belgicè, *Kaneel kapittelstokjens*, dicto, etiam ramuli Sargossa cum fructibus, Musci marini Amboinensis, substantiæ corneæ.

Super hæc omnia etiam collocatus est Pisciculus Amboinensis cornutus, coloris aurei. Vid. Tab. VII. Fig. 1.

Nº. XC. Brachium infantis, in liquore limpidissimo conservatum, naturali & vitali colore præditum, cujus manus continet, & nobis monstrare videtur Testudinis marinæ ovum fecundatum: quo ab una parte aperto, foetus caput, ut & brachia anteriora, ex ovo emergentia, videntur.

Quamvis autem illud magnitudine conveniat cum ovo gallinaceo, cortex tamen neutiquam est lapideus, quemadmodum in Gallinarum, aut Crocodilorum ovis.

Operculum Phialæ quoque obsitum est Conchylis rarioribus, ex Asia & Africa allatis, inter quæ emergunt ramuli marini Indici, scilicet.

*Litophyti nigri Amboinensis.*

Musci marini ex iisdem oris.

Corallii rubri tubulosi.

Sargasso cum fructibus, &c.

Pisciculus Amboinensis volans, & totus fere osseus, iis exceptis locis, ubi pinnæ emergunt: cum autem undique sit obsitus tuberculis osseis, ne palpebris quidem exceptis, à me dicitur Pisciculus Amboinensis volans osseo-tuberculofus, proboscide ferrata. Vid. Tab. VII. Fig. 2.

Nº. XCI. Phiala in liquore conservans Buccinum Guinense papillatum majus, cum sua Limace, magnitudine Buccinum ipsum superante, & quasi in duas partes divisa. Vid. Tab. VI. Fig. 1.

Operculum quoque præditum est conchyliis & ramulis marinis, in rupis formam concinnatis, inter quæ Pisciculus triangularis gibbosus, ab omni latere spinis brevissimis præditus.

Inter marina etiam conspici possunt, Lithophytum Amboinense nigrum.

Corallium album fragile ex iisdem oris.

Lenticula marina foliis ferratis. *Lob.*

Conchæ anatiferae exiguae.

Lenticula marina. *Serap.*

Tubuli contorti, &c.

Nº. XCII. Crocodili foetus, in liquore conservatus;

Cum autem homines insultare & devorare valeant Crocodili adultiores, hunc in finem ori indidi foetus humani Hepar, artificiosissime præparatum, scilicet omnibus vasculis sanguineis, encheyresi mea, repletis, ita ut rubedine summa, ad extremum usque, sit infectum dictum Hepar.

Supra operculum, inter flores, reperiuntur quoque herbæ & fructus, quorum nonnulla manducata non minus quoque homines interficere valent, utpote perniosa, quæ nosse omnibus utile, scilicet folia Aconiti flore cæruleo, cujus radicem nuper in urbe nostra comederat bajulus quidam, esse existimans Apium, *Selerey* dictum, unde paucis post horis vitæ finem fecit.

Ut & fructus Daturæ, cujus femina sub climate nostro quoque mortem producere valent, id quod expertus sum,

præsertim si femina in tenera ætate plus justo devoraverint pueri.

In vico, vulgò *de Bloem-straat*, dicto, abhinc aliquot annis hortulanus quidam, hortum cujusdam civis purgaturus, integram plantam *Daturæ*, simul cum ceteris herbis conjecerat ante fores : duo pueri sustulerant dictam plantam, semenque comederant, horum unus brevi post vitam cum morte mutabatur, vocatus ad alterum, post remediorum usum, convaluit.

Fructus, seu femina *Cicutariæ* succo viroso hominem quoque posse occidere, exemplum mihi præbuit Chirurgus meus, cum degerem Hagæ-Comitis, qui cum Medico quodam hortum quendam intraverat, & cum neuter illorum plantarum gnarus, ambo comederant dictæ herbæ radicem, unde & ambo cruciabantur dolore abdominis; Chirurgus autem brevi magnas passus convulsiones moriebatur, itaque fatius fore existimo ejusmodi plantis hortos ( Medicis exceptis ) privare, quam ornare.

Cum autem hanc plantam, multos ante annos mihi demonstraret Dominus Franciscus Kigelarius, Botanophilus, ac de studio Botanico optime meritus, accepi ab illo hujus plantæ semina, & sic in horto nostro Medico terræ commisimus, & sic planta dicta adhucdum in eo viget.

Cum autem analogiam habeant hujus plantæ folia cum *Apio* aquatico; dehortor spectatores, quando sermonem habeo de plantis umbelliferis, ne ori admoveant ad comedendum.

F I N I S.

EX-









Fig. I.




Fig. II.








Fig. III.









# EXPLICATIO FIGURARUM.

TAB. I. FIG. I.

*Phiala sicca, Aviculam continet Zeylanicam quadricolorem, sedentem supra Carduum minimum.* Prosp. Alpin.

- A. Avicula.
- B. Carduus dictus.
- C. Fasciculus flosculorum.
- D. Papilio Turcicus versicolor, alis posterioribus longissimis stramineæ latitudinis.

FIG. II. *Ostendit in liquore factum Armodillæ, magnitudine digiti minimi.*

- A. Armodillæ foetus.
- B. Ramulus Ficoidis Africanæ, foliis brevibus, crassis, angulosis, spinosis, margine sinuosis.
- C. Fasciculus florum.

TAB. II. FIG. I.

*In liquore limido demonstrat Lolinem, cum particula Ovarii, foetibus onusti.*

- A. Portio Ovarii, foetibus onusti.
- B. Loligo.
- C. Minima portio Ovarii, ovulis referti.
- D. Fasciculus ramulorum marinarum.
- E. Pisciculus, Abacatuia Brasiliensis dictus.

FIG. II. *Acus marina Amboinensis undique spinosa.*

FIG. III. *Phiala in liquore con-*

*tinens Percam Amboinensem volantem pinnis longissimis.*

- A. Perca Amboinensis.
- B. Piscis militaris.
- C. Fasciculus ramulorum marinarum.

TAB. III. FIG. I.

A. Pisciculus Zeylanicus reticulatus, quadratus, minimus, nigrisque maculis notatus.

FIG. II.

- AA. Foetus Rajæ extra testam, parte supina visus.
- BB. Complicationes laterales, uti in testa, visui occurrunt.

FIG. III.

- A. Foetus Rajæ prona parte visus, & in testa sua maxima parte adhuc contentus.
- B. Foetus Rajæ.
- C. Testa.

FIG. IV.

- A. Testa.
- B. Apertura.
- C. Ovum foecundatum.
- D. Superficies testæ exterior circumflexa, ut fibræ sericeæ videri possint.
- E. Fibræ sericeæ.

FIG. V. *Portio exigua Ovarii Rajæ, in qua ovula adhuc exigua & non foecundata conspici licet.*

FIG. VI.

- A. A. Ovum Rajæ foecundatum, è testa desumptum. B.

B. B. Ovi membranæ circumflexæ.

FIG. VII. *Pisciculus Indicus*, rotundus, spinosus & planus, Nummularis à me dictus.

TAB. IV. FIG. I.

*Congeries Conchyliorum & ramulorum marinorum. &c.*

FIG. II. *Bufoni simile animal Americanum*, *Pipa* & *Pipal Indigenis dictum*, pedibus posterioribus anserinis.

A. *Pipa*.

B. B. Fœtus è dorso emergentes.

C. C. Cavitates, seu utriculi, è quibus exierunt fœtus.

D. D. Calyces adhuc cooperti suo operculo, sub quo fœtus occultantur.

FIG. III. *Phiala in liquore continens aliam Pipam*, *cujus dorso à me aperto, conspici potest scilicet neque ovula, neque fœtus commercium habere cum abdominis cavo.*

A. *Pipa*.

B. Fœtus sub calycibus, seu utriculis, adhuc oclusi, ita ut nondum in conspectum veniant.

C. Calyces, seu utriculi, è quibus exiere fœtus.

D. Dorsi vertebræ.

E. Substantia musculosa.

F. Portio cutis circumflexa.

G. *Congeries conchyliorum & ramulorum marinorum*, per quæ repunt fœtus *Pipæ*.

TAB. V. FIG. I.

*Spongioides ramosissima marina oculata, super rupem posita.*

FIG. II. *Denotat Cancrum marinum, Pagurum Rondeletio dictum, hujus dorso connati sunt.*

FIG. III. *Balani albi, nucis moschate magnitudine.*

FIG. IV. *Rupes, cui insident supradicta.*

TAB. VI. FIG. I.

*Indigitat Buccinum Guienense papillatum majus cum sua Limace.*

A. *Papilla*.

B. *Limax*.

C. *Limacis apertura*.

D. *Pisciculus Amboinensis triangularis, gibbosus, offeus & lateribus undique spinosus.*

FIG. II.

A. *Ovum Crocodili fœcundatum, ab una parte apertum, ut fœtus ex parte videri possit.*

B. *Caput fœtus*.

C. *Membranæ ovi*.

D. *Quercus Marina, cujus ope Ovum loco suo continetur in phiala.*

E. *Echinus marinus Cap. Bonæ spei, spinulis miniatis præditus.*

TAB. VII. FIG. I.

A. *Piscis Zeylanicus fuscus maculatus.*

B. *Urtica marina.*

C. *Signaturæ pyramidales acuminatæ.*

D. *Filamenta, seu Remi, quibus expansis natare valent.*

E. *Pisciculus Amboinensis cornutus.*

F. *Sinus angustus, in quo cornu sese insinuat.*

FIG. II. *Denotat Brachium Infantis, in liquore conservatum, in cujus manu continetur ovum fœcundatum Testudinis marinæ.*

A. *Brachium Infantis.*

B. *Ovum.*

C. *Caput & pedes anteriores testudinis marinæ.*

D. *Pisciculus Amboinensis volans, offeo tuberculofus, proboscide serrata.*

Fig. I.



Fig. II.




Fig. III.








Fig. I.

Fig. II.

Fig. III.

Fig. IV.






Fig. II

Fig. I









FREDERICI RUYSCHII

*Anatomiae & Botanices Professoris*

THE SAURUS  
ANATOMICUS

PRIMUS.

Cum Figuris æneis.



AMSTELODAMI,

---

Apud J ANSSONIO-WAESBERGIOS.

M. D. C. C. XXI.



# AD LECTOREM.



ANNUS jam agitur trigesimus sextus, postquam Auctores Anatomicos perlegere incepi. Cum autem plurima in illis offenderem, quæ mihi obscura viderentur, neque per figuras satis accuratè depicta; cultrum Anatomicum ipsemet arripui, eique varia, non solum humana, verum etiam brutorum cadavera subjeci, ne equorum quidem & boum parcendo, quo minutia luculentius in oculos incurrerent.

Cum interim varia carnosâ, iisque molliora (uti cerebrum &c.) occurrerent, quæ conservatu digna viderentur, conservandi ars summopere animum meum defatigavit. Et jam mihi videbar conservandi methodum invenisse laudabilem, cum tamen opinio brevi post me fefellit. Tunc denuò alia via rem aggrediebar, quæ cum & ipsa pariter me deluderet, torsi animum per plurimos annos, donec tandem eam inveni artem, qua, ut opinor, patebit, non solum partes carnosâs, verum etiam Cerebrum, imò integra cadavera, omnibus visceribus instructa, per plura secula, & forte perpetuò incorrupta conservari posse.

Sunt mihi parvula cadavera, à viginti annis balsamo munita, quæ tam nitidè sunt conservata, ut potius dormire videantur, quam exanimata esse corpuscula.

Interim ab eo tempore, quo operam posui in sectionibus cadaverum, varia vasa, sc. Arterias, Venas, Lymphæ-ductus, Nervos, variasque partes, corruptioni mi-

## A D L E C T O R E M.

nus subjectas, conservare mihi haud difficile fuit. Et sic temporis successu, in tantam excrevit molem messis isthæc, ut integrum conclave eam recipere haud potuerit; & sic alterum, & tandem tertium, mihi assumere coactus fuerim, pro repositione rerum Anatomicarum.

Quia autem continuè Anatomica tractare taedii plenum fuisset, interpolatis vicibus, animum quoque à juventute mea appuli ad studium Botanicum, plantasque tam indigenas, quam exoticas, non sine magno labore, tanto numero collegi & nitide conservavi, ut parvo quoque ad eas indigerem conclavi. Ne quidem hisce animum satiare potui, quare ulterius eum alere coactus fui perscrutinio exoticorum Animalium, Piscium, Insectorum, &c. tam Balsamico liquori innatantium, quam exsiccatorum, quibus jam quoque integrum replevi conclave.

Hisce (favente Numine Divino) peractis, hac gravi ætate, aliâ incedere viâ, quietioremque horulam quærere mihi animus est; ut Deo Ter Opt. Max. gratias agere queam, pro summò in me collato favore; quod mihi tantum temporis concesserit, ut hæc omnia perficere potuerim.

Interim petitioni nonnullorum satisfacturus, Coronidis loco, Catalogum omnium eorum, quæ in Museo nostro reperiuntur, perlibenter publici juris faciam, si Deo Ter Opt. Max. largiorem permittere mihi placuerit vitam.

Quamvis autem parvi momenti esset, integrum Catalogum



## AD LECTOREM.

atalogum una vice in lucem edere, fatius tamen fore duxi, per partes illud præstare, incipiendo ab iis, quæ in conclavi inferiori reposita sunt.

In eo conspiciendos sese exhibent duo Thesauri ex ligno Indico confecti; in secundo quatuor majores, ut & Thecæ plurimæ mediocres & parvæ, quarum

1. Referta est cordibus humanis.
2. Partibus è Pulmone desumptis, ut & integris Pulmonibus & Cordibus, situ naturali observato.
3. Continet partes generationi inservientes è muliere.
4. Varia Intestina Puerorum nitidissimè conservata.
5. Turbam sceletorum multorum Murium, Gliris sceleto insultantium: suntque nitidissimè prædicta sceleta confecta.
6. Placentas Uterinas, & similia. Præterea in dicto loco 4. Thecæ majores reperiuntur ex eodem ligno Indico confectæ, sceleta Juvenum nitida continententes.

Tertium conclave recipit cenataphium, sceletis Puerorum instructum, ut & Thesauros majores octo, in quibus reposita sunt varia Anatomica, nec non varia cadavera juvenum nitidissime à plurimis annis conservata.

Primò jam in lucem edere, quæ in Thesauro primo conclavis primi reposita sunt, mihi animus est, eo consilio, ut singula objecta, & quicquid in iis videri potest, recenscam.

## AD LECTOREM.

Quæ autem mihi nova sunt, ut & ea, quæ minus rectè ab aliis sunt delineata, per figuras illustrabo, & sic singuli Thesauri proprio gaudebunt Catalogo, figuris aliquot instructo.

Hujus rei fructus in eo constabit. Nemini unquam omnia mea rariora conspiciere licuit, idque propter illorum copiam & temporis penuriam: mihi quoque impossibile est omnia memoriæ meæ mandare, sc. quo in loco hoc aut illud repositum sit, id quod non rarò mihi taedio fuit.

Confect autem Catalogò, illicò invenire potero, ubinam hoc aut illud objectum sit repositum. si quis etiam Catalogum perlegerit, & aliquid in eo invenerit, quod libenter videret, illi momento satisfieri poterit. Alii delectantur visu hujus objecti, aliis alia magis arrident; & sic omnibus satisfacere conabor, sine notabili temporis dispendio.

Præterea si quis dubitet, num verè ita existant ea, quæ sunt à me delineata, aut demonstrata, dabitur illi occasio videndi, quod non fecère alii Anatomici, quos inter nonnulli innumeras nobis obtruserunt Chimeras, à veritate non solùm alienas, sed in corpore humano nequaquam existentes.

Vale L. B., & laboribus meis, non sine maximo sumtu peractis, fave.





# THESAURUS ANATOMICUS PRIMUS.

*Ex ligno Indico colore variegato nitidè confectus , in quo sequentia sunt reposita.*



Rimò nobis occurrit in fundo lævi lateris Pedamentum ex ligno Juglandis confectum , cui imposita est Rupes artificiosa, ex calculis humanis constans , cujus fundamentum rupes naturalis , tot calculis humanis undique obsita, ut quicquid oculis sese offert , sint meri calculi humani. Vide Tab. I.

Hi ex variis corporis partibus desumpti, diversi sunt coloris, figuræ, magnitudinis & substantiæ. Inter quos

A. A. A. Calculi sunt parvi humani per vias urinarias excreti, quibus Rupes naturalis tegitur, eo præsertim loco, ubi majores calculi rupem obscurare non valent.

B. Calculus humanus Vesicæ, post mortem, à nobis exsectus, formâ manubrii scipionis, quo in eundo innitimur.

C. Calculus à Litbotomo extractus, figurâ fructum Mori imitans.

D. D. Calculi è Vesica urinaria Octogenariæ exsecti, cujus historia admiranda exstat in observationibus meis Anatomico-Chirurgicis A. 1691. in lucem editis. Vide Observ. primam. Aegra à viginti annis passa fuerat totius uteri propendentiam, & simul cum illa, Vesicæ urinariæ prolapsum, ita ut Uterum totum cum annexa vesica manibus arriperemus, & palpitando calculos latitare in partibus prolapsis haud dubitaremus. nec falsi sumus. Facta enim incisione, illicò extraximus momento  
tem-

## 8 THESAURUS ANATOMICUS.

*temporis calculos quadraginta & duos, quorum forma admiranda in angulis hujus rupis videri potest. Qua methodo inaudita citò fuerit curata, in prædicta observatione videri potest.*

E. Calculus è Vesica Urinaria à Lithotomo extractus.

E. Alius eodem modo eductus.

G. Calculus niger è Pelvi post fata excisus, Zingiberis forma.

H. Alius ex Pelvi, scintillante nigredine obsitus, id quod pluries observatur in calculis illo loco repertis.

I. Alius è faucibus tussi ejeetus, postquam aeger per plures annos questus fuerat de difficultate deglutiendi.

K. K. Duo calculi per tussim ejeeti è Pulmone.

L. L. Duo calculi insignes, Rupes per se mentientes, iique è Vetulae Mamma post mortem exsecti.

M. Calculus pullus Lithotomi ope extractus, cortice griseo, crassissimo, duroque obsitus.

N. Calculi parvi è digiti articulis mulieris podagricæ. hi à pilo dependentes, retinentur dextra sceleti fœtus humani quatuor præter propter mensum, huic rupi adstantis. Dictum sceleton sinistra continet & veluti admovet oculis strophium, è membrana tenuissima, myriadibus arteriolarum rubicundissimarum prædita, quo, tanquam flendo, hominum miserias exprimens, Cælum respicere videtur cum inscriptione

### HOMO NATUS DE MULIERE, BREVI VIVENS TEMPORE, REPLETUR MULTIS MISERIIS.

O. Calculus prodigiöse magnitudinis, Rupis æmulus, post mortem inter defuncti crura, in arca ferali repertus.

P. — Vesica exsectus.

Q. — Alius, major.

R. — Magnus formâ Zingiberis, Pelvi adhuc inhærens.

S. — Magnus, Lithotomi manu ablati, cujus cortex griseus.

T. — Asperrimus, ater, exsectus.

V. Calculi varii nigricantes, post fata è renibus exsecti.

W. Calculus Ureteri inclusus, unde uretere obstructo, vitam cum morte commutavit puella, quatuor circiter annos nata. Quantos autem cruciatus passa fuerit, antequam animam Deo redderet, sine animi motu recordari nequeo.

X. X. X.

X. X. X. *Calculi è Vesica fellea, post mortem exfecti.*

Cæteri omnes aut per vias Urinarias sunt excreti, aut post mortem Vesicâ, aut Renibus exempti.

Hisce omnibus interpositi sunt rami arteriosi, foliis nudatæ arboris ramos repræsentantes, qui loco sanguinis cereâ materiâ rubicundissimâ artificiosè repleti, calculos inter se continent, Rupem dictam firmiorem reddunt, visuique gratiam conciliant. Dicti rami arteriosi desumpti sunt ex variis corporis partibus, idque non solùm è corporibus hominum, verùm etiam brutorum.

Huic Rupis adstant tria Sceleta foetuum abortivorum quatuor circiter mensium; de quorum primo superius mentio facta est.

Secundum è regione situm dextra falcem gerit, iclumque quasi minatur, cum inscriptione

NEC PARCIT IMBELLIS JUVENTÆ POPLITIBUS.

In superiore parte Rupis tertium sceleton locatum, ejusdem fere ætatis, dextra gerens funiculum ex margaritis puris exilibus confectum, quem indice sinistrae manus videtur indigitare. caput sursum erectum est, quasi cœlum adspicere vellet, cum hac inscriptione

CUR EA DILIGERE VELIM, QUÆ SUNT IN MUNDO?

E Regione hujus Rupis Pedamentum secundum è ligno Juglandis factum, Asperisque Arteriis non solùm humanis, verùm etiam vitulinis instructum. Hujus pedamenti medium occupat pedamentum alterum, ex eodem ligno confectum, cui insident duo sceleta foetuum abortivorum quatuor circiter mensium; quorum unum gesticulationibus humanas res quasi deridere, & sic DEMOCRITUM repræsentare videtur; alterum verò, dextrâ strophiole instructâ & orbitæ dextræ admotâ, HERACLITUM exhibet.

Inscriptio primî sceleti talis est.

CUM TANTUM IN VITA RESTET TRANSIRE MALORUM,  
LIBER AB HIS LETHO, LÆTUS SINE VOCE TRIUMPHO.

## Secundi

NOS DULCIS VITÆ EXSORTES, ET AB UBERE RAPTO,  
ABSTULIT ATRA DIES, ET FUNERE MERSIT ACERBO.

*Not. 1.* Strophiolum dictum, ex membranula confectum, innumeris gaudet arteriis rubicundissimis, quarum cursus serpentinus non ineptè opus Phrygium æmulatur, de quo Prophetæ David loquitur Psal. 139.

2. Ossa Cranii striatim accrescere, instar glaciei, in illa ætate, hic palam est.

In anteriore parte Pedamenti supradicti continetur

A. *Aspera arteria Vitulina, cereâ materiâ rubicundâ repleta, atque inversa, ita ut arborem ramosam sine foliis representet. Vide L. A.*

*Not.* Ramos ita exsiccavi, ut fere naturalem retinuerint dispositionem. sc. nonnulli antrorsum, alii retrorsum vergunt.

B. *Portio Pulmonis vitulini inflati, exsiccati, & in lamellas fissi, ut vesicularis aut spongiosa Pulmonis substantia se videntem exhibeat.*

C. *Pulmonis humani portio, eodem modo præparata, ut substantia vesicularis non solum, verum etiam calculi in Pulmone nati, conspiciantur.*

D. *Aspera arteria infantis inversa, cum annexis Arteria & Vena pulmonalibus.*

E. *Aspera Arteria inversa, eaque ex fœtu quatuor circiter mensium.*

F. *Asperæ Arteriæ portio, cereâ materiâ albicante repleta, per quam rami Arteriæ Bronchialis sunt dispersi, eaque è corpore vitulino.*

G. *Aspera Arteria vitulina, antiqua methodo præparata, & jam à triginta quatuor annis conservata.*

Nº. III. Inter dictas duas Rupes, Puellæ trium quatuorve annorum Sceleton repositum nivei coloris, pedamento ejusdem notæ insidens, & peculiari artificio confectum, ita ut non solum maxima ex parte, ligamentis propriis & naturalibus ossa cohaereant, verum etiam ligamentorum arteriæ, cereâ materiâ inpletæ sint, unde summa rubedine articuli sunt præditi. Si quis dictos articulos oculis armatis lustret, non solum



videndos sese exhibebunt ramusculi capillares, verùm etiam iis multis partibus tenuiores.

*Not.* 1. Pars Capitis ossei superior, proprio Pericranio amicta, tot superbit Arteriolis, cercà materià repletis, ut dictum pericranium summa rubedine sit perfusum.

2. Sinistra gerit Ramum Arteriosum splenicum, ex vituli Liene desumptum, cera quoque infarctum.

3. A dextra ope fili sericei dependet Cor Pueri, lapidis instar durum, cujus uterque ventriculus expansus cum annexis Auriculis, cercà materià impletis.

4. Dictum Cor instructum Arteriae Magnae trunco sicuti è Cordis ventriculo sinistro emergit, reservatis naturalibus diametro, forma, & cursu.

5. Quomodo ex Arteriae Magnae parte superiore tres prodeant rami sursum vergentes, sc. duae Arteriae Carotides, ut & Arteria subclavia sinistra, hic videri potest. Arteriam subclaviam dextram ex Arteria Carotide dextra ortum habere, hic quoque luculenter apparet.

6. Praeterea conspiciere licet utramque Arteriam Vertebralem A. A. ut & Mammarias internas B. B. prodire ex Arteriis subclaviis C. C.

7. E sacco membranoso seu Venae pulmonalis basi, quatuor ramos emergere, hic etiam cernitur: id quod in responsione ad Epistolam Problematic. decimam per figuram expressi.

8. Quomodo Arteria Pulmonalis, primò in partem dextram & sinistram circa Cordis basin divisa, ulterius subdividatur, simul quoque oculis lustrari potest.

9. Vasa Coronaria per Cordis superficiem disseminata, jucundo spectaculo visuntur, oculis autem armatis minutissimi ramusculi praeterea conspici queunt.

Dictum Cor, ut supra dixi, à filo dependet sericeo, cum hac inscriptione

OMNIA SUNT HOMINUM TENUI PENDENTIA FILO.

No. IV. Dicto Sceletò à dextris opposita est phiala, caput infantis continens, liquori balsamico innatans, quod vivido colore tam nitidè praeparatum & conservatum est ullo absque pig-

mento, ut dormientis potius, quàm denati caput, videatur, quamvis à multis annis ità conservatum sit.

*Not. 1.* Superiore parte Cranii ablata, Cerebròque exemptò, conspicienda sese exhibent decem nervorum paria, Cranii ossa perforantia, idque nitidius atque distinctius, quam in capite jamjam extincto, ne Patheticis quidem atque Accessoriis nervis exceptis.

2. Accuratissimè quoque conspiciere licet Nervorum auditoriorum ramum durum à molli esse distinctum, praesertim latere sinistro.

3. Sinubus lateralibus durae Matris à me apertis, in oculos incurrit sinus quartus.

4. Infundibulum, Glandulae Pituitariae annexum, praecopia arteriolarum, materià rubrà è cera repletarum, summà rubedine perfusum.

5. Glandula Pituitaria Sellae equinae insidens, in sui medio, ubi Infundibulo connectitur, nonnihil eminet.

6. A latere hujus Glandulae, ut & à latere Nervorum Opticorum, cernuntur Arteriarum Carotidum trunci abscissi.

7. Facies, imò & labia, nullo modo rugosa, & vivido colore praedita.

Nº. V. A sinistris supra dicti sceleti, locata phiala, eodem liquore ex parte referta, cui innatat Infantis caput, eodem modo praeparatum.

*Not. 1.* In capitis basi interiore, à latere dextro nervi paris vagi, nervus supernumerarius reperitur.

2. Nervorum Olfactoriorum extremitates Os cribrosum perforare, luculenter videri potest.

3. In hoc capite Nervorum, Cranio exeuntium, visuntur undecim, vel duodecim paria.

4. Nervi vagi in utroque latere duobus in locis Cranium perforant, exigua portione ossèâ interposita.

5. Nervum accessorium, tam in dextra, quam in sinistra parte è variis fibris nervosis, variisque è locis oriundis, constare, hic quoque conspicuum est.

6. Quam tendinosa sit Dura Mater, in hoc capite apparet.

Nº. VI. Pone utriusque jam descriptum caput, videnda sese exhibent, putri, 3 4ve annos nati, tenuia intestina, sic-

cata, quae, proprio Mesenterio cohaerentia, naturales eorum circumvolutiones demonstrant. Quem in finem cera implevi, ut rotunditatem acquirerent, quâ praedita sunt, cum cibo, potu, aut flatu, in corpore vivo sunt extensa. Hicce relicta & connexa Coli portio, nec non integrum Cœcum, cum processu ejus Vermiformi, ut eorum constitutio videri possit in illa aetate.

*Quae jam sequuntur, super Asseres seu Repositoria Thesauri dicti reperiuntur.*

REPOSITORIUM, seu ASSER PRIMUS.

No. I. Tenuia intestina foetus humani, jam jam nati, infarcta atque exsiccata, cum annexa Coli portione, ut & intestino Cœco, processuque Vermiformi, eundem in finem praeparatis, sc. ut constitutio Cœci naturali proxima, appareat, quae longè differt in illa aetate, ab ea, quae in pueris, aut aetate provectioribus cernitur. Successivè enim in recens natis Cœci intestini diameter diminuitur, sine notabili protuberantia, & sic degenerat in processum Vermiformem; in provectioribus verò ab una parte, valde protuberat, & ex illa protuberantia processus Vermiformis emergit; ita ut in ea aetate Caeci diameter haud successivè diminuatur.

In huiusce intestinis reservata est naturalis eorum capacitas, & sine rugis extensa sunt.

No. II. Phiala continens liquorem, cui innatat Arteriae Splenicæ vitulinae portio, loco sanguinis, cereâ materiâ rubicunda repleta, cujus extremitates penicilla detrita repraesentant, sicuti in homine expressi Fig. 4. Tab. 4. Epist. Resp. ad Expertissimum D<sup>no</sup>. *Campdornercum*.

No. III. Infantis Brachium liquori innatans, tam nitido pallidoque colore naturali (non sine mixtura coloris rubicundi) praeditum, ut viventis constitutioni haud cedat. Hujus manus continet substantiam polyposam, artificiosè ex sanguine suillo confectam. sc. cruor è sue jamjam jugulato, manu tamdiu fuerat conquassatus, donec frigè factus materiam polyposam copiosè videndam exhiberet. in hac materia, è sola conquassatione, ut dixi, prognata, adipis variae particulae apparebant, firmiter polyposae substantiae adhaerentes; sicuti Figura Tab. 2.

lit. E. repraesentatur. Dicitur adeps albissimus & durus, formam globulorum diversae magnitudinis conquassando acquirens, membranulac analogum integumentum simul acquisivit, cujus ope quoque adhuc connectitur polyposae materiae supra dictae. interim manus, qua conquassatus fuerat cruor, munda fuit, neque ulla pinguedine, aut sevo conspurcatus fuerat cruor.

Ex iis constat sanguinem in se continere pinguedinem dissolutam, quae in cellulas deposita concrevit.

Notandum quoque, hanc phialam, Brachium continentem, ut & caeteras phialas obturatas esse loco vesicae, (ut facere solemus,) integumentis, ex variis corporis partibus desumptis, sc. intestinis, cute humana, membranis Cerebri, &c. quae omnia, vasis sanguifluis scatentia, rubra cera sunt repleta, id quod non solum visui gratum accidit, verum etiam diversorum vaporum reptatum in iis cernere licet.

Nº. IV. Portio capitis foetus humani, secundum longitudinem divisi.

*Not.* 1. Linguae, secundum longitudinem dimidiatae, vera constitutio, non solum baseos, verum etiam apicis, à latere visa, sic quoque musculosa linguae pars, accuratè sese visui offerunt.

2. Ductus supra palatum ad Aures excurrens. hujus osculi membrana fibras obtinet, quae mentiuntur effluxum aquae fluvialis, qui obstaculo quodam intercedente, viam sibi quaerit diversam.

3. Integumentum septi Narium innumeris arteriolis esse praeditum, constat ex portione hac, post divisionem hic relicta.

4. Ossa spongiosa Narium, membranosis integumentis vestita, per quae myriades Arteriolarum sunt disseminatae.

5. Unus ex dentibus incisiviis, secundum longitudinem dissectus, idque in maxilla inferiore; in quo triplex substantia observari potest. extima enim colore est albicante, media grisea, tertia verò dilutiore colore griseo gaudet.

6. Cristam Galli in ea aetate totam esse cartilagineam, ut & septum Narium, Cristae Galli continuum, hic palam est.

7. Particulae subrotundae, per membranas ossa spongiosa investientes dispersae, quae glandulae audiunt, caelo sereno luculenter conspiciuntur.

8. Remanentiae processus falciformis, Cristae Galli non solum

lùm, verùm etiam interiori parti ossis Frontis cohaerentes, distincte visuntur.

9. Glandulae, Palatinae dictae, oculos quoque haud fugiunt, quantumvis nudos.

10. Pori cutanei luculenter quoque in oculos incurrunt.

Nº. V. Pueri Ren dexter, liquori impositus, colore & caeteris qualitatibus, naturali & vivo nullo modo cedens.

Not. 1. Hujus apici insidet Ren succenturiatus, parti autem inferiori connectitur portio intestini Coli, integrum Cœcum, ut & Processus vermiformis: quae omnia sine rugis conservata.

2. Superior pars Renis veri succenturiato non solum est contigua, verùm etiam membranoso & admirando nexu inter se connectuntur. sc. Ren succenturiatus excavatus est parte sui inferiore, quam in cavitatem, supremam partem Renis veri tanquam in acetabulum admittit, in modum articulationis ossium, quae per arthrodiam fit.

Nº. VI. Infantis Crus, vivido colore praeditum, liquori limpido innatat. In hujus parte inferiore, cute & pinguedine ex parte ademptis, conspiciendos sese exhibent

1. Nonnulli Musculi, suo in situ naturali, quorum membranaceum integumentum in totum non est ablatum, ut ejus vascula sanguinea visui paterent.

2. Tendines Musculorum, qui inter pedem flectentes & abducentes numerantur, suo in situ naturali. horum tendines sub Malleolo externo transeuntes, & colore vivido non destituti, arteriis gaudent plurimis.

3. Horum Musculorum tendines vaginae nervosae inclusi sunt, ubi per sinum malleoli externi decurrunt: idque, ne dicti tendines facile sede sua dimoveantur.

4. Hujus pedis Ungues removi, ut vascula sanguinea oculis armatis sub iis lustrari possint.

Nº. VII. Pueri recens nati stomachus apertus & inversus, ut

1. Tunica villosa, prae vasorum sanguineorum repletorum copia, summa rubedine imbuta, ut & gulae terminus, luculenter conspici possint, ob coloris varietatem.

2. Pylorus, seu stomachi exitus cum annexa portione intestini duodeni, in hoc stomacho inverso quoque lustratur.

3. Ab hisce etiam dependet Omentum cum portione intestini coli. Dictum Omentum tam nitide praeparatum atque conserva-

servatum, ut sericum dilutiore rubedine perfusum, repraesentet. Hujus Arterias cerea materiâ impletas, innumeras esse, hic constat.

Nº. VIII. Portio humani Intestini jejuni inversi, & liquori innatans, naturali colore praedita, in qua conspiciuntur

1. Ita dictae Valvulae conniventes (potius juga, seu jugales particulae prominentes) in Intestini Jejuni cavitate existentes, quas inter una situm obtinet contrarium, sc. secundum longitudinem exporrectum, id quod rarum.

2. Hujus intestini Glandulae solitariae, (michi non tantum solitariae, sed & spuriae) capitis aciculae majoris magnitudine protuberantes.

3. Hujus Intestini villositas, perquam distinctè in hoc objecto comparet.

Nº. IX. Infantis Cor tali artificio in liquore conservatum, ut ne minima quidem ruga praeternaturalis in eo reperiatur, ne situ quidem naturali neglecto.

*Not. 1.* Utramque Auriculam naturali forma, atque magnitudine esse conservatam, quarum sinistra Cristam Galli aemulatur.

2. Truncum Venae Cavae descendente ad exortum abscissum esse, ubi cavitatem reliquit notabilem. Truncus autem ascendens, cerea materiâ repletus, à latere Auriculae dextrae in oculos incurrit.

3. Arteriae Pulmonalis, ut & Aortae truncum simul conspiciere licet, idque in situ naturali.

Nº. X. Arteriae per Piam Matrem dispersae, aut potius, quae Piae matris ope, coërcentur, ne à se invicem recederent, aut intricarentur.

*Not.* Variis in locis videre licet, dictas Arterias substantiam Cerebri Corticalem producere, quemadmodum figuris expressi in Respons. Epist. Probl. 12. ad Expertissimum Dominum *Et-mullerum*.

Nº. XI. Infantis Ren bifectus, ut interiora pateant. in ea parte quae fundo proxima, sequentia observanda sunt:

1. Constitutio Renum, quae mihi praesertim ex duplici substantia constare videtur; sc. ex vasis sanguifluis & urinariis; paucis vasis Lymphaticis & Nervis interpositis.

2. Quamvis Glandulae videantur hic apparere in Renibus bifectis,

fectis, tamen putem nobis imposuisse admirandam constitutionem extremarum Arteriolarum, sicuti brevi per figuras illustrare animus est, idque ad objecta vera.

3. Artificiosè sunt impletæ Arteriae, ut & ex parte Venæ; ex parte dico, propterea quod totæ haud sint repletæ, unde Arteriolis rubris substantia grisea interjacet: utroque verò vase sanguifluo repleto, tale quid non reperitur, sicuti videre est in variis à me conservatis Renibus, postea delineandis & describendis.

4. Papillas Renum nil nisi congeriem esse ductuum Urinariorum Bellini obture in hoc, in variis autem postea delineandis & describendis, luculentius constabit.

5. Papillas plurima obtinere oscula, (Papillarum Mammarum adinstar), cavitatem Tubulorum Renalium respicientia, accuratissimè in hoc objecto nudis oculis videri potest.

6. Membranam hic dependentem, quæ Propria audit, Renemque proximè ambit, tenacem atque firmam esse pro proportione objecti, nemo ambiget, qui hoc expiscatus fuerit.

7. Renes in ea ætate superficie admodum esse inæquales, tanquam ex variis particulis constitutos, hic palam est.

8. Pelvis cum suis Tubulis Renalibus distinctè intuentibus apparet, Rene in duas partes diviso.

9. Ureteris portio è Pelvi prodiens.

Nº. XII. Intestina Infantis tenuia, cerèa materiâ repleta, cum annexo Cæco & Coli portione.

Not. 1. Reservarunt naturalem situm & circumvolutiones, utpotè Mesenterio illibato.

2. Arteriae per Intestina disseminatae, more solito sunt impletæ.

## REPOSITORYUM, seu ASSER SECUNDUS.

Nº. 1. Hominis Vesicula fellea, cum annexa Hepatis portiuncula, liquori immersa.

Not. 1. Vesicula fellea cerèa materiâ est repleta, ut naturalis ejus capacitas & figura conspici possint.

2. Arteriae Cysticae, eâdem materiâ impletæ.

3. Arterias Cysticas haud solum de sanguine prospicere Vesiculæ felleæ, verùm etiam ulterius repere per Hepatis substan-

tiam, hic evidens est. Hoc Anatomicis imposuit, existimantibus hasce Arteriolas per fundum reptantes, peculiare ductus biliarios esse. Vid. Respons. Epist. Probl. 5. ubi fusius de hac materia agitur.

N<sup>o</sup>. II. Phiala hominis Linguam in liquore continens, ut minutiae distinctius videri possint.

*Not.* 1. Naturali & vivido colore praedita innumeris gaudet Papillis, per aream disseminatis: suntque incertae figurae & magnitudinis.

2. Harum Papillarum aliquot sunt planae, in medio praeditae foramine aut lacuna; in ambitu verò sulco rotundo. Nonnullae contra conicam habent figuram, aliae autem in Fungulorum modum rotundo capitulo donantur.

3. Per has Papillas Vascula sanguinea exspatiantur, quae tamen absque instrumentis opticis videri nequeunt.

4. Larynx cum Epiglottide sua ad radicem Linguae distinctè sese videndam exhibet; estque Larynx aperta, prout sese habet extra deglutionem.

5. Sub Epiglottide visui exponitur Pharynx.

6. In Epiglottidis superficie plurimae visuntur Glandulae.

7. Utrique Linguae lateri adsitae sunt Arteriae Carotides.

8. Glandulae Thyroideae posteriori, & supremo lateri Asperae Arteriae, sunt adsitae.

N<sup>o</sup>. III. Infantis Lingua, cum annexa portione laevi lateris Menti, Labiique inferioris.

*Not.* 1. Lingua spinulae ope elevata, ut sub ea conspicienda sese exhiberent portio Nervi & Arteriae sublingualis. dictus autem Nervus à latere sub Lingua reptat, non autem sub Frenulo; ita ut minus rectè judicent, qui existimant hunc Nervum sub ipso Fraenulo Linguae reperiri.

2. In sinistro latere hujus Linguae innumerae Arteriolae in oculos incurrunt, arbuscularum, foliis nudatarum, silvam praesentantes.

3. Glandulas, quae dicuntur Maxillares inferiores, utroque latere Ductum salivalem exhibere in confesso est: eundem à latere Fraenuli salivam impertire ori, nemini, qui vel à limine tantum salutaverit Artem Anatomicam, ignotum. at verò quot aperturis aut osculis dictus canalis sit praeditus non ita facile est demonstratu, neque Anatomici in suis demonstrationibus



publicis nobis ostendunt. Si quis interim hoc objectum cœlo sereno inspicere dignetur, videbit idque luculenter, Ductum hunc salivalem laevi lateris tribus in locis salivam impertire ori, quem in finem à latere fraenuli tria visuntur oscula hiantia, id quod non solum in uno, verum etiam in altero locum habere saepius deprehendi. In nonnullis quoque observo dictum Canalem unicam tantum aperturam habere, an quia caeterae occlusae ante, vel post mortem?

4. Cutem humanam tribus Pororum generibus ditatam esse in publicis demonstrationibus ostendi: duo autem genera in hoc objecto accuratè videre licet, tertium verò genus non satis accuratè.

5. Linguae Papillae lustrari hic quidem possunt, verum in supra memoratis objectis accuratius sese videndas exhibuerunt.

Nº. IV. Phiala continens inversam Coli Intestini portionem, (paulò antequam nomen Intestini Recti assumat) è pueri cadavere desumptam, & à seta dependentem.

Not. 1. In hoc objecto ita inverso, ut superficies interior jam facta sit exterior, luculentissimè conspiciuntur aperturæ, quae tam numerosae, & tam arctè sibi invicem sunt appositae, ut cribrum aemuletur: nam cuspidè subtilissimae acus, laterum compunctiones ne fieri quidem possunt. An Pori, an verò oscula minutissimorum vasculorum? an admittunt, an in cavitatem dicti Intestini emittunt?

2. Dicti Intestini Glandulae (quae mihi spuriae dicuntur) lacunarum minimarum in modum oculis sese offerunt, suntque saturata rubedine perfusae, propterea quod Intestinorum vasa, quorum propagines falciculosae Glandulae dictae mihi sunt, ce-reâ materiâ rubrâ sunt repleta.

3. In dictae phialae fundo reperitur Intestini Ilei portio, in qua susceptio apparet, id est, portio Intestini suscipit portionem insequentem, & sic obstruitur Intestini cavitas. Hic affectus lethalis, verum est Miserere mei, seu Ileus, in quo Intestina plane obstruuntur, unde vomitus continuus, tormina vehementia, &c. Estque hoc objectum desumptum è cadavere pueri octo circiter annos nati.

Nº. V. Phiala in liquore continens pueri Cerebellum cum portione Medullae oblongatae.

Not. 1. Latera Cerebelli sunt abscissa, ut interiora pateant.

2. Nates aque Testes ob nimiam Cerebelli mollitiem confan-  
debantur, antequam phialae inderem.

3. Glandula Pinealis, ante Nates sitae, exiguam abscondi lamellam, ut constitutio interior appareret, quae porosa, ut liquet in hoc objecto.

4. Membrana, dictam Glandulam amiciens, satis crassa, pro Glandulae magnitudine.

5. Dictam Glandulam neutiquam ejusdem esse constitutionis cum Cerebro, aut Cerebello, neque cum caeteris corporis partibus Glandulosis convenire, frequentiori exploratione certior factus sum.

6. Infra Nates, portio membranae Arachnoideae apparet, & sub ea Pia Mater, Cerebellum cingens.

7. Posticâ parte hujus phialae Nervi Optici conspiciuntur suntque porosi; ut & olfactorii, per quos Arteriae disseminantur.

8. Arteriarum Carotidum rami crassiores, è quibus prodeunt alii, qui uniti, per inferiorem partem Piae Matris, Cerebellum investientis, obambulant.

Nº. VI. Infantis Nasus cum Labio superiore, in liquore à capillo dependens.

*Not.* 1. Duum generum Pori nudi sese offerunt visui, tertium autem genus, ut supra quoque innui, oculorum acies non attingit, nisi in aqua maceratum digitis comprimatur. Horum Pororum alios esse destinatos emissioni humoris superflui, alios verò admissioni hujus vel illius rei, satis superque indicant sudores erumpentes & medicamenta extrinsecus applicata, interiora potentia, uti sunt Cantharides, Mercurius vivus &c.

2. In maximis & capacioribus poris sese videndas exhibent Glandulae cutaneae nudaae, praesertim in nonnullis Poris Nasi capacioribus.

3. Nonnullae Glandulae cutaneae, in Poris majoribus haerentes, morbosae & jussu majores factae, praeternaturali colore albicante praeditae sunt in hoc Naso, & quod notandum, eorum Pori visuntur obstructi. Homines illo morbo correpti, saepius compressione Cutis dictas Glandulas morbosas exprimunt, & foras eliminant, cum pustularum nomine è Cute faciei prominent. In hisce ita dictis pustulis, aut Glandulis morbosis reperitur ut plurimum paululum materiae pultaceae, imò & vermiculi.

4. Hic

4. Hic oppidò quam bene terminum extremum Cutis faciei ab involucro membranoso labii superioris lustrare licet. ubi enim Pori cutanei desinunt, desinit & ibi quoque cutis.

5. Labii superioris portio infima, involucro suo destituta, admodum villosa: de qua villositate plura in sequentibus. Res enim consideratione digna est.

Nº. VII. Foetus jamjam nati Hepar excarne, cum annexa Vesicula fellea: Hepar dico excarne, ut loquar cum Anatomiae proceribus, perperam quamvis ita audiat: Potius dicendum, Vasa sanguinea, quae suis extremitatibus potioem Hepatis partem constituunt, hic separata sunt ab extremitatibus suis succosis.

*Not. I.* Quanta sit differentia inter vasorum sanguiferorum extremitates, idque haud solum ratione reptatus, verum etiam tenacitatis & mollitiei, in variis objectis mirum visu.

Vasa sanguifera Hepatis, ut & biliosa circa sui extremum adeò sunt tenacia & sibi invicem connata, ut nullam admittant curiosam dissolutionem, aut excarnationem, ut vulgò dicitur, nisi in eo affectu, in quo mollitiem acquirunt praeternaturalem Jecinora. Horum vasorum extremitates fasciculatim sunt dispositae, qui fasciculi Glandulae denominantur, ast immeritò. nam praeter vasa, peculiare haud reperiuntur hic Glandulae.

Dicti fasciculi non sunt extremitates vasorum contortae, glomi adinstar, at verò penicillorum modo sunt dispositae, nullaque peculiari membranula praeditae, id quod Glandulis proprium, uti aiunt; omnes solummodò communi membrana coërcitae sunt.

Hi Vasorum fasciculi Glandulas tam exacte mentiuntur, ut nobis & aliis olim imposuerint, praesertim in Jecinore suillo, sive recenti, sive cocto: re autem penitus perspecta, fasciculos dictos nequiquam puto dicendos esse Glandulas; Vasa enim sanguinea peculiariter dictos fasciculos nullo modo alluunt, at verò fasciculi sunt ipsae Vasorum extremitates, quae nullà peculiari membranà propria coërcentur. Munus itaque Glandulis sic dictis destinatum, vasorum fasciculis attribuendum esse censeo.

2. Vesicula fellea gaudet Arteriis Cysticis, quae non solum prospiciunt Vesiculae felleae, verum etiam ulterius reptantes Hepati innumeros ramulos impertiunt, qui perperam Radices

Vesiculae felleae è fundo emergentes Auctoribus audiunt : hoc, inquam, luculentissimè apparet in hac Vesicula fellea.

Nº. VIII. Pueri aut Puellae Ren bifectus, ut interiora pateant.

*Not.* 1. Papillae renales plurimis foraminibus, seu osculis, urinosum liquorem in Tubulos renales (qui nil nisi ramosae emissiones Pelvis sunt) excernentes luculenter hic apparent.

2. Dictas papillares prominentias ubique haud solitarias, sed variis in locis conjugatas esse, apparet in hoc objecto, ut & in aliis.

3. Dictae Papillae, ex vasculorum urinariorum extremis constitutae, in hoc objecto naturalem obtinuerunt magnitudinem, formam ac colorem.

4. Vascula urinaria dicta in allegato Rene ex parte repleta sunt materia è cera rubrà, qua & vasa sanguinea renalia op-pleta sunt, id quod jucundum visu & notatu dignum esse censeo. Arterias renales infarciendo simul quoque varii ductus urinosi replebantur.

Sunt mihi Renes, quorum vascula urinaria omnia, post repletionem Arteriarum renalium, infarcta sunt; de quibus plura alibi, ubi Renis veram & miram constitutionem, Deo volente, delineaturus sum, quod nondum ab aliis factum vidi.

Nº. IX. Pueri Ren bifectus & tam nitidè conservatus, ut naturalis & vividus color haud desint. in eo Papillae, ut in objecto modo descripto, evidenter comparent.

Nº. X. Penultima, ut & ultima atque infima Thoracis costa, cum Musculis intercostalibus, idque è pueri cadavere.

*Not.* Paracentesin nunquam instituendam esse inter spatia intercostalia dictarum costarum, satis superque indicant Nervorum intercostalium reptatus ejus loci; saepissimè enim, si non semper, dicti Nervi Musculorum medium perreptant, uti hic videri potest.

Nº. XI. Portio Intestini Coli, cujus tunica villosa, rubicundissima ex parte separata, dependet, continetque in se spurias Glandulas.

*Not.* 1. Dictas Glandulas proximè adhaerere in statu naturali Tunicae Nerveae, vestigia indicant, quae post separationem relinquuntur in Tunica Nervea, sicuti hic videre est.

2. Arteriarum trunculos Tunicam Nerveam potissimum obfidere, hic palam est.

3. Tunicam Carneam hic quoque dependentem paucioribus vasis sanguifluis esse ditatam, cerni potest in hoc ipso objecto.

4. Tunicae Carneae fibrae motrices circulares luculenter in oculos incurrunt, ut & Tunicae villosae, ex parte à Tunica Nervea separatae, utraque facies.

Nº. XII. Hepatis Hydropici portio

Not. 1. Anno 1696. Hydropici cadaver cultro Anatomico subjeci, cujus Hepar totum quantum erat ex meris vesiculis constabat, quae materiam limosam pellucidam continebant. Hujus portionem in liquore nostro tam nitide conservavi, ut jam jam modo è cadavere desumpta videatur, eamque hic videre licet.

2. In dicto Jecinore ne minimus quidem ramulus Venae Portae, Cavae, Ductus biliosi, aut Arteriae Hepaticae videntur sese exhibebat, quantumvis ad illud usque tempus vixerit aeger.

Ex hac observatione palam esse puto, Lymphae-ductus non solum, verum etiam vasa sanguinea, ut & alia posse degenerare in hydatides, vel in Vesiculas, non solum aquam, verum etiam substantiam gelatinosam in se continentes, prout hic videre est. Et quod magis mirandum, non solum extremitates vasorum fasciculosae (quae perperam Glandulae dicuntur), sed & vasorum trunci mutati sunt in dictas vesiculas.

Nº. XIII. Magna portio Piae matris foetus jamjam nati.

Not. 1. Dicta Tunica adeò tenera ac subtilis, ut vix aliquid membranosi appareat: Arteriae autem tam numerosae, ut membrana tota ex Arteriolis fere constare videatur.

Hinc constare puto Arterias dictas haud solum esse destinadas nutritioni & calefactioni hujus membranae, per quam disseminantur; illa enim tenuior est, quam ut indigeat tanta vasorum copia; at verò dicta vasa ad id destinata esse existimo, ut Corticalem producant Cerebri substantiam. Ne autem memorata vasa destituantur reptatu suo naturali, neque sede sua dimoveantur, aut inter se confundantur, dicta membrana inservire videtur; praeterea inservit cum suis vasis sanguiferis, ut separet à se invicem Cerebri circumvolutiones.

De Venarum copia, reptatu ac distributione nil dicam, quia in hac Piae Matris portione repletae non sunt, ideoque minus videri possunt.

2. Quia

2. Quia Cerebrum in recens natis fulcis non gaudet profundioribus, ea propter processus Piae Matris minores quoque existunt, id quod nobis hic conducere videtur, sc. ut ea ratione Arteriarum copia & reptatus accuratius conspici possint. Vid. figur. dictae portionis Piae Matris Tab. 4. Fig. 3.

Nº. XIV. Pueri Lingua cum Epiglottide vivido colore praedita, per cujus aream innumerae disseminantur papillae diversae formae & magnitudinis. Vide explicat. Tab. 4. Fig. 6.

Nº. XV. Oculus infantis omnibus Musculis instructus, per quorum Musculorum superficiem Arteriae & Nervus reptant.

*Not. 1.* Nervus naturalem situm & colorem reservavit, estque hic Nervus praecipue destinatus, ut Spiritus animales deferat ad Musculum Frontis.

2. Ab altera parte hujus phialae in sensus incurrunt Arteriae, per Pericranium supra orbitam, serpentino reptatu decurrentes, ut & rami dicti, per Musculum Frontalem disseminati.

Nº. XVI. Papilla Uteris Balaenae, liquori limpidi innatans.

*Not. 1.* Epidermida, ut & Corpus Reticulare Malpighii, ab hac Papilla à me esse remota sciendum est, ut innumerae Papillae cutaneae prominere, luculentiusque in conspectum venirent: suntque dictae Papillae cutaneae oblongorotundae, quatenus extra cutem prominent.

2. Praedictas Papillas cutaneas à sculptore paulò majores esse expressas.

3. Uteris Papillam in sui extremo esse excavatam. Vide Tab. 4 Fig. 1.

Nº. XVII. Papilla Uteris Balaenae, cuticulam ut & corpore reticulari haud destituta, unde Uteris Papilla aequali superficie praedita, Papillae cutaneae non prominent, sed verò transparent. Vid. Fig. 7. Tab. 4.

A latere hujus Papillae Uteris, separavi portionem exiguam corporis Reticularis, ut Corporis Reticularis foramina, nec non ejus crassities conspici possint. Dicta portio Corporis Reticularis est inversa, quod alioqui foramina in sensus minus incurrerent. Vid. Fig. 8. Letr. A.

## REPOSITORYUM seu ASSER TERTIUS.

Nº. I. Phiala Papillae Mammae Balaenae portionem continens,  
ita

ita praeparatam, ut Ductus Lactiferus Papillae Mammae videri possit.

*Not.* 1. Hic Ductus est singularis in Ubre Balaenae.

2. Consideratione dignum esse censeo, quod sit sulcatus Ductus, & quod

3. Sulcorum margines mirificè sint fimbriati, nec non crispi: suntque dictae fimbriae ita constitutae, ut Lactis exitum, extra suctionis tempus, prohibere queant. Vid. Tab. 4. Fig. 5.

In dicta Phiala continetur quoque alter Ductus Lactiferus Papillae uberis Balaenae, ita praeparatus & expansus, ut sulci accuratius videri queant. Horum sulcorum margines unde fiat ut minus fimbrientur, an ab expansione fortiore, an secus, non satis exploratum habeo. Vid. Tab. 4. Fig. 2.

No. II. Phiala in qua videre licet portionem Papillae Uberis Balaenae.

*Not.* 1. Cuticulam & Corpus reticulare esse ablata.

2. Papillas cutaneas à me esse dissolutas in aqua simplici, ita ut Papillae cutaneae capillos repraesentent. Vid. ulteriora super hac re in explicat. Tab. 4. Fig. 9.

No. III. Phiala Papillam Mammae Mulieris continens cum annexa areola.

*Not.* 1. Epidermida ut & Corpus Reticulare Malpighii in totum non esse ablata, unde altera pars dictis integumentis haud destituta magis nigricat. ubi autem Cutis magis albicat, Papillasque cutaneas prodit, (quae absque hoc sensum nostrum fugiunt), dicta integumenta sunt ablata. Vid. Tab. 4. Fig. 4.

2. Papillam Mammæ mulieris plurimis foraminulis esse perforatam, hic videri potest, secus ac in Papilla uberis Balænae, suntque hæc foraminula oscula ductuum lactiferorum, per quæ lac exitum suum quaerit.

3. Difficillimum fore Anatomico Papillas cutaneas in hoc loco demonstrare, nisi in liquore, sicuti hic repraesento, cuticulam & epidermide ablatis.

No. IV. Portio Cutis plantæ pedis humani, colore rubicundo & naturali proximo, ditata.

*Not.* 1. Epidermis ut & Corpus Reticulare Malpighii, ex parte à Cute dependent.

2. Epidermis, sive exterius, & primum cutis integumentum

D

in

in hoc objecto albicat; Corpus verò Reticulare Malpighii, secundum corporis integumentum, flavo colore imbutum, hic quoque luculenter apparet.

3. Papillarum cutanearum potior pars, sensu exquisitissimo prædita; innumeris in locis ex ipsa cute emergens, microscopiis hic, cœlo sereno, obvia.

Nº. V. Asperæ Arteriæ portio, secundum longitudinem aperta; idque ex puero aut puëlla.

*Not. 1.* Membrana, seu Tunica nervea, quæ intima, & cavitatem Asperæ Arteriæ respiciens, innumeris (ita dictis) glandulis, foveolas repræsentantibus, est referta.

2. A parte posteriore Glandula conglobata dependet, quales numero magno & diversæ magnitudinis istic loci reperiuntur in corpore nostro.

Nº. VI. Phiala continens Portiones Tunicæ villosæ Intestini recti humani è corpore vivo. post cruciatus immanes & dejectiones cruentas, ejectæ.

Nº. VII. Funiculi Umbilicalis humani portio.

*Not. 1.* Funiculum dictum admodum spongiosum esse hic apparet, quæ spongiositas, vasorum succosorum nomine significatur. pressione quoque succus limosus & limpidus exprimitur.

2. In eo funiculo tria visuntur vasa abscissa; horum duo angustiora Arteriæ Umbilicales sunt, tertium autem & capacius Vena Umbilicalis est.

Nº. VIII. Foetus humani magna Omenti portio, quæ liquori indita, visendas præbet Arteriolas Omenti nitidissimas & rubicundo colore præditas: nullis autem foraminulis pertusum esse Omentum in statu naturali hic palam est: si quando Omentum foraminibus pertusum ostendatur, id vitio vertendum Anatomico aut ejus violentiæ, à qua inducta sunt foramina dicta.

Nº. IX. Infima portio Medullæ Spinalis, in qua luculenter apparet

1. Substantiam ejus corticalem ex meris vasis sanguifluis constare.

2. Substantiam corticalum occupare locem interiorem.

3. Involucrum ejus intimum haud esse destitutum Arteriis, etiam lippis & tonforibus notum; at verò, qualis sit earum

re-



reptatus, nondum ab auctoribus vidi ita expressum, sicuti in hoc objecto.

4. Nervos ipsos innumeris gaudere Arteriis, hic quoque palam est: neque earum reptatus per Nervos visum fugit.

5. Ab una facie serpentino reptatu per involucrum extimum reptare Arterias, ab altera verò facie peculiarem reptandi fervare cursum, hic apparet.

Nº. X. Lienis humani portio in liquore conservata, cujus Arteria cera rubicundâ est impleta.

*Not. 1.* Venarum extrema non sunt repleta, unde griseo colore prædita.

2. Arteriarum extrema antequam soliditatem amittunt. & in succosam ac solubilem substantiam mutantur, penicillorum detritorum figuram referre, hic videre est.

3. Solubilem & succosam substantiam variis in locis relictam, Glandulas æmulari, hic quoque apparet, quibus tamen Lien prorsus destitutus est. Vide plura de hisce in Respons. Epist. Problem. 4, ubi & Fig. appositam esse reperiet Lector.

Nº. XI. Infantis portio Medullæ oblongatæ. In ea videnda sese exhibent

1. Protuberantiæ, Corpora Olivaria dictæ.

2. Protuberantiæ, Corpora Pyramidalia, dictæ.

3. Sulcus, dictis protuberantiis intersitus.

4. Corpus globosum, seu protuberantia annularis Willisii.

5. Portio Crurum Medullæ oblongatæ.

6. Considerandum hujus objecti iconismum reperiri in Respons. Epist. Problem. 12. Tab. 14 Fig. 4.

Nº. XII. Una ex infantis Vertebris Colli, in qua portio Spinalis Medullæ hæret.

*Not. 1.* Hujus pars corticalis merè vasculososa est, sicuti hic distinctè videre licet.

2. Arteriæ Vertebrales utroque latere ex parte visibiles.

Nº. XIII. Intestini Ilei portio, naturali colore & forma prædita, idque ex infante.

*Not. 1.* Per Mesenterium dispersæ non solum Arteriæ & Venæ, verum etiam Nervi visibiles existunt satis numerosi, quibus læsis graviora producuntur symptomata, doloresque immanes.

2. Arteriæ Mesentericæ per Intestina distributæ, ubi aliquanto spatio per exteriora repererunt, subito videntur quidem abrumpi, at verò interiora petentes Tunicam nerveam ad eunt, cui ulterius impertiunt potiores ramificationes.

Nº. Portio Piæ Matris infantis, in qua Arteriarum vertebrarum cum Arteriis Carotidibus conjunctio, distinctè videri potest.

Nº. XV. Phiala, pueri Linguam continens, quæ liquori innatat, ut varia distinctius conspici possint.

*Not.* 1. Arteriarum cursus per Linguæ aream luculenter potest videri, utpote cereâ materiâ albicante Arteriis infarctis.

2. Harum Arteriarum maximæ à faucibus prodeuntes, per Linguam mediam decurrunt, ramosque utriusque lateri impertiunt; secus ac in Linguæ plano inferiore, ubi geminæ Arteriæ per Linguæ longitudinem decurrunt, minimi digiti fere latitudine à peripheria, utriusque lateri tantam ramulorum copiam præbentes, ut arbuscularum foliis carentium silvam repræsentent. Vid. Tab. 3. Fig. 4.

Nº. XVI. Sex portiones Costarum, Musculis intercostalibus instructæ, idque ex foetu humano,

*Not.* 1. Omnes Arteriolæ cera rubrâ repletæ occasionem mihi dederunt inveniendi Arterias (mihi intercostales dictas exteriores) de quibus nihil unquam legi apud auctores, nemoque eas per figuras exhibuit.

2. Harum Arteriarum propagines, per Costarum periostrium disseminatæ, peculiarem habent cursum, & plane diversum ab iis, quæ per musculos intercostales parte exteriori repunt vid. Tab. 2. Fig. 3.

3. Arteriolarum Intercostalium exteriorum ramusculi omnes insequuntur cursum fibrarum motricium Musculorum intercostalium exteriorum, id quod visu jucundum.

4. Soboles dictarum Arteriarum Intercostalium exteriorum variis in locis visuntur bicompositæ, quas inter una reptat venula, sicuti videre semper licet in funiculo umbilicali, in quo gemina Arteria associatur Venæ solitariæ.

5. Dicto objecto in parte adversa viso, in conspectum veniunt Arteriolæ per Pleuræ superficiem, Pulmonem respicientem, transparentes: harum autem neque exortum, neque finem hic videre est, sed confusè exspatiari videntur.

Nº. XVII. Racemus Dentium ex Ovario muliebri post mortem desumptus, cujus historiam breviter hic lubet recensere.

Quatuor quinqueve abhinc annis, mulier quaedam viginti & quatuor circiter annos nata, temperamenti phlegmatici, morbo graviore implicita, saepissimè conquesta erat de dolore in hypogastrio, non sine praecordiorum anxietate & febris continua; tandem fato concessit, unde nobis cadaver aperiendi nata occasio.

Filius meus, praesentibus variis Expertiss. Medicis, & Chirurgis versatissimis, cadaver cultro subjecit; cum autem à latere Uteri, si rectè memini, sinistro, duritiem quandam perciperet, cultello eam eximebat, nobisque demonstrabat Ovarii duritiem. Cuspide cultelli ab una parte duritiem aperuimus & invenimus Dentem latitare in ea, & quidem molarem. caetera porro integra conservabam, donec mihi concederetur Cadaveris humani Anatomiam instituere publicam; qua data occasione historiam non solum retuli, verum etiam dictum Dentium racemum attuli & exhibui, alterumque dentem publicè, facta incisione, quoque demonstravi. hic aemulabatur Dentem Caninum. Hosce cum caeteris in membrana satis crassa adhuc occlusis ita conservo in liquore. Vide Fig. 1. Tab. 3.

*Not.* 1. Dicti duo Dentes partim adhuc sibi invicem dictae connectuntur membranæ crassae, partim verò denudati sunt, ut hujus rei veritas pateat.

2. Sicuti radices Dentium in Infantibus nunquam sunt perfectae, ita quoque his denudatis deficit radicum extremitas.

3. Radices Dentium in infantibus cavae sunt, in hisce verò cavitas in totum deficit.

4. Quot sint numero Dentes, in dicta membrana crassa adhuc latitantes, me latet; ulterius enim non aperui.

Nº. XVIII. Exigua portio Maxillae inferioris, à carnosa parte nondum liberata, in qua duo Dentes molles comparent; idque è foetu jamjam in lucem edito,

*Not.* 1. Totum constitutum dictorum Dentium ante eruptionem ex alveolis, in ea aetate substantiam esse mollem, (per quam plurimae visuntur dispersæ arteriolae,) hic constat.

2. Horum alter secundum longitudinem divisus, internè innumeris Arteriolis dissectis est ditatus; alterius verò membra-

na, Dentium substantiam investiens, magna ex parte illibata remansit, & sic accuratè quoque dictarum Arteriolarum reptatum per eam cernere licet.

3. Quamvis Dentes eo tempore in totum molles sint, substantia tamen exterior longe differt ab ea, quae interior. Exterior è duplici substantia constat coloris diversi, ut hic luculenter apparet, non autem interior, quae quoque mollior.

Nº. XIX. Piae Matris portio cum annexa portione substantiae corticalis Cerebri, quam ex meris Vasculorum sanguineorum extremitatibus constare luculenter apparet.

*Not. 1.* Dixi totum constitutum esse vasculosum: an autem merae sint Arteriolarum extremitates, an simul quoque venosi quid intersit, expiscari haëtenus nequivi, verosimile tamen esse reor.

2. Dictae extremitates successivè molliores atque molliores evadunt, ita ut tandem, aquae simplicis beneficio, dissolvi possint in pultaceam substantiam; id quod in Liene quoque locum habere monui in Resp. Epist. 4. ad Eperitiff. Virum J. Campdomercum

3. Si verò dicta substantia corticalis arte induruerit, dissolubilitatem amittit, & grumosa apparet.

4. Dictam substantiam corticalem neutiquam ex glandulis compositam esse, hic quoque videre est. Vide ulterius Resp. Epist. 12. Tab. 14.

Nº. XX. Infantis Lien, tam nitidè preparatus, atque conservatus, ut jammodo corpore videatur exemptus.

Nº. XXI. Infantis Auricula colore vivido praedita.

*Not. 1.* Pori tam densè sibi invicem sunt adfisi & patuli, ut cribrum aemulentur.

2. Hifce Poris interferuntur vascula sanguinea repleta, quorum reptatus oculis armatis conspiciere licet.

## LOCULAMENTUM

Sub dicto Thesauro continet Arcas ex ligno Cedrino confectas, quarum.

## ARCA PRIMA

Continet portiones Intestini Jejunii exsiccatas & secundum lon-

longitudinem apertas, ut situs Glandularum &c. appareant.

*Not. 1.* Dictae Glandulae haud sunt solitariae, sed agm nis instar sibi invicem adsitae.

2. Arteriolae per dictas Glandulas reptantes, sensum in totum non fugiunt, suntque cereà materià refertae.

3. Arteriolae per extimam & communem hujus Intestini tunicam reptantes cursum obtinent diversum ab eo, quo donantur caeterae tunicae hujus Intestini.

4. Juga, Valvulae conniventes aliis dicta, in hac portione Intestini Ilei haud sunt obliterated, quantumvis exsiccatum sit Intestinum.

5. Dicta juga non solum, verum etiam integra Intestini portio, saturata rubedine perfusa sunt, idque à cera qua Arteriolae repletae sunt.

## A R C A S E C U N D A

Continet varias portiones intestinorum humanorum.

A. Portiuncula Intestini Jejuni inflati, & post exsiccationem aperti, ut juga, valvulae conniventes dicta, in conspectum Prodirent.

B. Portiones Intestini Coli & Ilei cum integro Cœco & Processu vermiformi, nec non ea mesocoli parte, quae propria est Processui vermiformi, idque ex foetu jamjam in lucem edito. Per eam plurimae visuntur dispersae Arteriolae, cereà materià rubrâ infarctae, quarum extremitates adeo sunt numerosae, ut totus Processus Vermiformis summa rubedine sit perfusus.

Hic videndum Intestinum Cœcum in recens natis longe differre ab iis, qui aetate provectiores sunt. In illis enim hic videmus Cœci diametrum successivè diminui & sic in Processum vermiformem degenerare. In hisce verò qui adultiores sunt diameter dictus successivè haud diminuitur, sicuti in posterum demonstrabitur in aliis objectis.

C. Portio Intestini Coli ex infante desumpta, cum annexa Mesocoli portione, per quam innumerae repletae Arteriae sunt disseminatae.

D. Intestini Ilei portio, post exsiccationem aperta, cujus Arteriae adeo sunt numerosae, ut silvam repraesentare videantur.

E. Por-

E. Portio Intestini Coli, cujus ligamenta fuerunt dissoluta ante exsiccationem, ut luculenter appareat Colon crassioris substantiae non esse, quam caetera Intestina: omnemque crassitiei differentiam in Colo provenire à ligamentis, & à valvulis Conniventibus dictis.

### A R C A T E R T I A

Continet duos Renes humanos naturalem magnitudinem excedentes; quibus annectuntur Arteria Magna & Vena Cava. Naturae lusu dicti Renes praediti sunt Arteria Renali supernumeraria.

A. A. Arteriae Renales.

B. B. Arteriae Renales supernumerariae.

C. Arteriae magnae truncus sub Diaphragmate abscissus, materiâ cereâ rubrâ repletus.

D. Venae Cavae truncus sub Diaphragmate abscissus, albâ repletus.

E. E. Rami Iliaci Venosi.

F. F. Rami Iliaci Arteriosi.

G. Arteria Mesenterica inferior.

H. Arteria Mesenterica superior.

I. Arteria Caeliaca.

K. Vena Renalis sinistra, naturae lusu circa ramificationem Venae Cavae in ramos Ilicos, oriunda.

L. Vena Renalis dextra, debito loco orta.

M. Vena spermatica sinistra, è Vena Renali prodiens.

N. Vena spermatica dextra, è Vena Renali dextra, ut & Venae cavae trunco oriunda.

O. O. Ureteres serpentino cursu reptantes.

### A R C U L A Q U A R T A

Instructa aliquot minutissimis Muscis ut & exuviis seu pelliculis Nympharum, è quibus Muscae exclusae sunt. hae autem Nymphae per vias urinarias, simul cum urina expulsae sunt.

Nempe nobilis quidam Vir, questus aliquo tempore de pruritu in Perinaeo, & molesta urinae excretionem, Chirurgum, & paucos

Pl. 11.

T. 11. 3.





C. M. H. 11. 3.

ad. 11. 3.









cos post dies me quoque accersi jussit. Urinam invenimus non admodum saburrosam, sed particulis exiguis oblongo-rotundis, granula mentientibus, permixtam.

Hisce visis, petii ab aegro, ut mihi liceret aliquot ex iis in capsula domum auferre, ulterius perscrutandi causa, id quod concessit. Cum autem altero die capsulam aperirem, reperi eam Muscis innumeris, ut & pelliculis, è quibus erant exclusae, refertam. Atronus hisce phaenomenis, microscopium in auxilium adhibui, & sic distinctè reperi, dictas particulas nil aliud fuisse quam Nymphas, quae produxerant hasce Muscas: omnes autem Muscae per capsam dispersae vivebant, & nonnullae volabant, quas inter una, pelliculae seu exuvia adhuc adhaerens, omnem dabitandi ansam mihi adimebat. Vid. Tab. 3. Fig. 5. Lit. A. ut & Lit. B. Microscopio adhibito factam, C. & D. denotant pelliculas seu exuvias, oculis inermibus visas.

Dixerit forsàn aliquis, unde tales Nymphae in perinaeo, & quidem in collo Vesicae, ubi haerebant ante excretionem.

Resp. Cum ductus urinarius via sit satis patula, haud necessarium esse existimo, ad alias, minus aptas, confugere vias.

Per hanc viam verosimile est vermiculos minutissimos insensibiliter intrasse, & circa Vesicae collum haesisse, donec Nympharum formam adepti sunt. Cum hanc historiam Viro, Nobili prosapia oriundo, referrem, regerebat mihi, sese hoc non solum quoque expertum fuisse in proprio corpore, verum etiam tale quid olim vidisse in Urina cujusdam mulieris. Non absolum mihi videretur credere, hocce affectu homines corripì in latrinis sedentes, praesertim si diutius solito ibi manserint, idque certis temporibus, cum tales vermiculi grassantur, id quod forte raro contingit, ideoque rarissimè hic affectus occurrit.

TAB. 3. EXPLICATIO.

FIG. I. Racemum Dentium, ex Ovario muliebri desumptum, denotat.

A. *Dens Caninus.*

B. *Dens Molaris.*

C. *Racemi portio, in qua caeteri Dentes adhuc sunt inclusi, sine ulla eorum denudatione.*

E

D. *Per-*

D. *Portio membranae crassae, in qua Dentes partim adhuc sunt inclusi, partim denudati.*

FIG. 2. Eisdem Dentes repraesentat, ab altero latere visos, cum exigua portione dictae membranae crassae.

A. *Dens Caninus.*

B. *Dens Molaris.*

C. D. *Partes inferiores, seu radices non perfectae, neque caevae, ast solidissima & ossea, aut lapidea substantia praeditae.*

FIG. 3. Exhibet portionem pectoris, sc. costas, ut & Musculos aliquot intercostales, cum suis Arteriis intercostalibus exterioribus, idque ex infante.

A. *Costae abscissae.*

B. *Musculi intercostales.*

C. *Arteriae intercostales, exteriores à me dictae, non solum per costarum limbum superiorem, verum etiam inferiorem, reptantes. Hae autem originem ducunt, non immediatè ex Arteriae magnae trunco, neque ex mammariis Arteriis internis, ast verò, rami intercostales interiores, dictas exteriores producunt.*

FIG. 4. Linguam pueri, parte inferiore visam, denotat.

A. *Integumentum Linguae membranofum, propter inversionem crassius repraesentatum.*

B. B. *Arteriae sublinguales, quarum ramuli numerosissimi, arbuscularum, foliis carentium, sibi invicem repraesentant.*

FIG. 5. Muscas, ut & Nympharum pelliculas repraesentat.

A. *Musca exigua, cum ejus adhaerente pellicula, è qua exclusa est musca.*

B. *Eadem, per microscopium visa & sculpta.*

C. *Duae pelliculae sibi invicem cohaerentes, è quibus muscae sunt exclusae.*

D. *Pellicula seorsum videnda.*

#### TAB. 4. EXPLANATIO.

A. *Portio cutis uberis.*

B. *Papilla uberis.*

C. *Papillae cutaneae Papillae uberis extra cutem prominentes & oculis inermibus luculenter visibiles, in hoc objecto aliquanto majores expressae.*

D. *Cavitas in Papillae extremitate.*

FIG. 2.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.




Fig. 6.




Fig. 5.



Fig. 8.



Fig. 9.





FIG. 2. Ductum lactiferum communem uberis Balaenae designat, in quem caeteri omnes concurrentes, lac suum deponunt; estque ille ductus plurimis fulcis fulcatus.

FIG. 3. Cernitur portio Piae matris foetus jamjam nati, quae adeò tenuis ac tenera in illa aetate, ut Telae araneorum tenuitatem ac teneritatem ferè superet.

Notandum interim, vasa sanguinea, tam numerosa esse dispersa per dictam membranam, ut ad Piae matris existentiam Vasa sanguinea plus conferre videantur, quam residuum membranofum, utpote praecipue destinatum. ut dicta vasa suo in loco detineant, ne confundantur.

FIG. 4. Proponitur Papilla uberis mulieris, cum annexa areola.

A. Portio Areolae, Epidermide carens, unde albicat Areola.

B. Portio Areolae, cujus Epidermis haud ablata, unde subnigra apparet.

C. Foramina seu oscula ductuum lactiferorum in Papilla uberis visibilia.

D. Papillae cutaneae in uberis papilla, ut & in Arcola nonnihil prominentes, & microscopii ope hic loci magis, quam alibi in cute visibiles; unde Papillae uberis, Epidermide privatae, atrociores excitant dolores, quam quidem in caeteris corporis partibus, ubi Papillae cutaneae minus extra cutem propullulant. Hinc etiam fissurae, excoriationes &c. in uberis Papillis difficilioris sunt curationis. Contrà, Papillis uberis benè constitutis, nec Epidermide privatis, major excitatur pruritus & voluptas nutricibus ab infantibus lactentibus, ob continuum motum & pressionem Papillam tempore suctionis; non autem, si extra Papillam mammam noctu arripiant infantes.

FIG. 5. Delineatur portio Papillae uberis Balaenae, cujus lactiferus Ductus fulcatus & fimbriatus.

FIG. 6. Proponitur figura Linguae cum Epiglottide, per cujus aream dispersae innumerae Papillae, quae gustus proximum organum sunt.

A. Lingua.

B. Papilla Fungorum exiguorum formâ, inter quas innumerae visuntur dispersae Papillae arcuatae. Has microscopio visas, naturali magnitudine majores delineari curavi à latere hujus

*Linguae, sub iis, quae in acumen exeunt, quarum Iconismum hic quoque adjeci, quandoquidem saepissime eas acuminatas offendi.*

C. *Papillarum majorum series, quae planae, rotundae, variis foraminibus aut osculis minutissimis, circuloque praeditae.*

D. *Epiglottis variis Glandulis obsita.*

E. *Papillae majores ad Linguae radicem sub Epiglottide constituae.*

FIG. 7. Ostenditur portio uberis Balaenae, cujus Epidermis, ut & Corpus reticulare Malpighii, nondum sunt ablata, quamobrem extra cutem non propullulant Papillae cutaneae.

FIG. 8. Offertur portiuncula Papillae uberis Balaenae, cum suis Papillis cutaneis dissolutis, à qua portio corporis reticularis, innumeris foraminibus pertusa, dependet.

A. *Corpus reticulare.*

B. *Papillae cutaneae dissolutae.*

FIG. 9. Repraesentat portionem Papillae uberis Balaenae, cujus Papillae cutaneae à me dissolutae sunt in aqua simplici, id est, singulae Papillae ex multis fibris nervosis constitutae quidem sunt, sed penicilli humectati in modum hic à se invicem recesserunt fibrae, pilos prae se ferentes.

Notandum interim, in dicta dissolutione nullam vim à me esse adhibitam: nam solummodo utrumque integumentum, quibus cutis obducta est, abstuleram. Hoc experimentum confirmare videtur, Papillas cutaneas constare ex Nervorum extremitatibus, quandoquidem Nervi quoque ex innumeris fibris sunt compositi, qui in extremo Papillas cutaneas constituunt. In homine autem hanc dissolutionem Papillarum cutanearum nunquam peragere potui, utpote fibris sibi invicem firmiter cohaerentibus.

A latere sinistro hujus dictae figurae reperiuntur aliquot Papillae cutaneae non dissolutae, quae in mucronem exeunt.

F I N I S.



FREDERICI RUYSCHII

*Anatomiae & Botanices Professoris*

THE SAURUS  
ANATOMICUS  
SECUNDUS.

*Cum Figuris aeneis.*



AMSTELÆDAMI,

---

Apud JANSONIO-WAESBERGIOS,  
MDCCXXII.

# BENEVOLO LECTORI.


**N**onnullorum objectorum, Lector benevole, descriptiones reperies in hoc secundo, & cæteris Thesauris, de quibus in primo etiam mentio facta est. Scias autem velim sine ratione hoc non esse factum. postquam enim primi Thesauri descriptionem in lucem dedi, varia adhuc didici in præparationibus, quæ me, primum Thesaurum conficientem, latuerunt. Varia etiam atque etiam nitidiora facta sunt, quia indefinenter pergo in disseccandis & perscrutandis cadaveribus. Videbis quoque inter se discrepare præparata, ratione illorum, quæ huic vel illi objecto connectuntur. Cum descriptionem primi Thesauri publici juris facerem, me adhuc latuit encheiresis jecinora absque ablatione, ut vocantur, glandularum, quamvis revera haud existent, ita præparandi, ut omnia vasa, hepar in totum fere constituentia, in conspectum veniant, ne ramusculis quidem minutissimis exceptis. Quamvis hæc, & plurima alia jam expertus sim, à me tamen impetrare nequeo, ut antecedentia objecta rejiciam, & nova substituam. Conspiciantur hæc, lustrentur quoque illa, quæ intra 37. annos à me sunt præparata: & sic patebit me non sine ratione hæc omnia, immenso labore confecta conservare in 16. & pluribus Thesauris ac Thecis, in quibus promiscue partes corporis sunt positæ, ut visui gratiam majorem conciliarem; alioqui difficile mihi non fuisset, unum Thesaurum solis cordibus humanis, variis modis præparatis, alium embryonibus foetibusque, alium solis capitibus puerorum replere; sed id visui minus gratum fuisset.

# T H E S A U R U S

# A N A T O M I C U S

## S E C U N D U S.

*In hoc Thesauro secundo sex Asseres, seu repositoria reperiuntur, in quorum primo & inferiore sequentia lustrare licet.*

N<sup>o</sup>. I.  Hiala continens Balænæ oculum, tranversim, & orbiculariter bisectum, & ita præparatum, ut Tunicæ Scleroticæ crassities, nec non Choroidæ vasa sanguinea conspici possint, idque in liquore limpido.

Not. 1. Oculus Balænæ, si ad corporis molem conferatur, admodum exiguus est, imò pomum aurantium mediocre haud superat: sicuti Tab. 1. fig. 1. 2. 3. & 6. hujus 2 Thef. indignant.

2. Vasa sanguinea per Choroidæam dispersa clare videri possunt, licet non sint repleta. Horum ramus major solitarius in confinio Choroidæ circulariter Uveam ambit, & ramos maximos sursum spargit; in homine verò, sæpissime, si non semper, senis in locis, sex rami majores Choroidæam perambulant, & quidem non in confinio dicto, sed in ejus medio: ubi ramulos innumeros sursum versus nervum opticum, & deorsum, versus Uveam demittunt. Vid. Tab. 16. Fig. 8. in Respons. Epist. Problem. 13.

N<sup>o</sup>. II. Phiala in liquore continens tria objecta, quorum primum, oculus est pueri, transversim sectus, cujus facies exterior Scleroticam, interior verò Retinam medullosam demonstrat. Hujus figuram cernere licet in Respons. Epistolari Problem. 13. Fig. 15.

Secundum objectum Oculus est humanus, cujus Scleroticâ ex parte ademptâ, Tunica choroidea, cum suis arterioliis nitidissime in conspectum venit. Arteriolæ enim sunt oppletæ

cerea materia rubra. Præterea conspici quoque potest reptatus Arteriarum & Nervorum per superficiem Nervi optici.

Tertium objectum humor crystallinus est, cujus perspicuitas adempta à liquore, cui innatat, unde jam totus albicat, forma tamen & naturalis magnitudo superstites sunt.

Nº. III. Oculus humanus transversim dissectus, ut interiora pateant. In hujus parte posteriore primò Scleroticam, ab insequente Choroidea ex parte separavi, unde non solum Choroidea luculenter in conspectum venit, verum etiam Ruyschiana, quæ Choroideæ arête adhuc connectitur.

Not. 1. Ex hujus oculi centro, seu medio, Tunicam Retinam cum suis arteriolis emergere, quas ad votum hic cernere licet.

2. In altera, & anteriore parte, & quidem facie posteriore, illustrari possunt, Ligamentum ciliare cum suis arteriolis repletis; processus ligamenti ciliaris, nec non humoris crystallini, & humoris aquei sedes.

Hicce, & innumeris aliis, absque præjudicio visis, quis ulterius dubitet, quin nostra præparandi demonstrandique methodus, à vulgari maxime differens, eligenda sit? fieri enim non posse reor, ut hæc, & alia tam exactè demonstrantur, nisi eo modo oculis objiciantur; & hinc innumera figmenta nobis obtrusere Antistites in re Anatomica.

Nº. IV. Phiala in liquore continens duo objecta. Horum alterum à capillo dependens, posterior pars oculi humani est; in quo conspiciuntur Sclerotica & Choroidea, nec non duo nervi (Ciliares à me dicti) à subjecto ipso dependentes, admodum molles & fragiles.

Alterum objectum pars anterior ejusdem oculi est, in quo perspicuè videri possunt Tunica Ruyschiana & Choroidea, quamvis sibi invicem adhuc connatæ; intima enim lamella Ruyschiana est, gaudens arteriolis, quarum reptatus differt longe à cursu arteriolarum per lamellam exteriorem, Choroideam dictam, disseminatarum; utriusque enim reptatus decussatur. Præterea ligamentum ciliare instructum esse innumeris arteriolis, hic quoque videri potest.

Nº. V. Phiala, liquore referta, cui innatant duo subjecta, quorum primum à capillo dependens, pars est posterior oculi humani, transversim dissecti. In hoc objecto sequentia visuntur: &

1. Qui-

1. Quidem, Tunica Sclerotica, ut & Choroidea Ruyschiana connata, per quas, eodem, quo dixi, modo, repunt vascula fanguinea repleta, sc. decussatim, ut supra monui.

2. Reliquiæ arteriolarum Tunicæ Retinæ, five reticularis, prodeuntium à latere inplantationis nervi optici in Scleroticam, hic quoque cerni possunt.

Alterum objectum in fundo Phialæ, anterior oculi pars est, cujus facies posterior in conspectum hic venit, scilicet ligamentum Ciliare cum suo processu, suntque obducta substantia coloris nigri, id quod naturale.

Nº. VI. Oculus humanus ita inversus, ut superficies interior sese conspiciendam hic exhibeat.

Not. 1. Sclerotica ablata, sola Choroidea & Ruyschiana cernuntur, cum connato ligamento Ciliari, ut & ejus processu.

2. Portio exigua Choroideæ à Ruyschiana avulsa & reflexa. Hujus iconismus reperitur Tab. XVI. Epist. Probl. 13. Fig. 1.

3. Arteriolæ per ligamentum Ciliare, quin etiam per ejus processum disseminatæ, non obscure, cœlo sereno, apparent.

Nº. VII. Phiala liquore repleta, in quo Oculus humanus reconditur, cujus Sceleroticâ magna ex parte ablata, videri queunt sequentia:

1. Choroidea, Arteriolis scatens, quibus cerea materiâ rubrâ repletis, dicta Choroidea rubicundissima apparet.

2. Per superficiem Choroideæ decurrunt sex septemve nervuli Ciliares, & recto quidem tramite, suntque albicantes, & propterea facilis eorum discretio à vasis sanguiferis, quæ hic rubicundissima, quoniam artificiosè sunt repleta dicta cereâ materia rubrâ. Ratio jam quare dicti nervuli aliorum oculos effugerint in cadaveribus, vulgari modo dissectis, est, quod non solum nervi, verum etiam vascula fanguinea eodem colore nobis apparent, nisi arteriarum repletio artificiosa præcesserit.

3. Dicti nervi per superficiem Choroideæ reptantes, nullum visibilem ramusculum videntur elargiri Choroideæ; cum autem ad ligamentum Ciliare, ut & ejus processum perveniunt, ibi ramulos dispescere videmus; hinc nervi Ciliares à me sunt denominati.

4. Dictos nervulos, eo, quo dixi, modo, reptantes, comitantur ut plurimum arteriolæ, idque serpentino cursu. In hoc objecto unica tantum arteriola, in aliis plures reperiuntur.

5. Aperta est Choroidea in medio, ut conspici possit Reti-

na, quæ tot scætet arterioliis repletis, ut ex iis ferè constare videatur. Vide ulterius super hac re, Respons. Epist. Prob. 13. supra citatam cum annexis fig. ubi fufius de hac re agitur.

6. Nervus opticus non solum, verum etiam nervi comitantes nervum opticum luculenter hic videri possunt.

No. VIII. Oculus humanus, rotunditate viventis similis.

Not. 1. Ex Pupilla Staphyloma propullulat, utpote Corneâ exiguo foramine pertusâ, quò affectu hominibus correptis, exigua aut nulla spes sanationis affulget; visus enim ut plurimum, si non semper, extinguitur.

2. Sclerotica Arterioliis repletis superbit.

3. A latere oculi dependet portio palpebræ superioris rubicundæ, à vasorum repletorum copia.

4. Utrumque punctum lachrymale conspicuum.

No. IX. Portio oculi Balænx, secundum longitudinem bifecti, ut interiora pateant.

Not. In hoc objecto Tunicam Choroideam magna parte recessisse à Ruyschiana, ita ut Ruyschiana & Choroidea, sibi invicem adhuc ex parte connatæ, clarè videri possint, & quidem duobus modis. scilicet à fronte si conspiciantur, superficie interiore Ruyschiana apparet, exteriorè verò Choroidea. Vel etiam utraq; Tunica in conspectum veniet, si à latere læsionis dictarum tunicarum inspiciantur; interior enim, seu Ruyschiana, albicat, exterior, sive Choroidea, subnigricat in hoc objecto.

No. X. Oculus humanus cum annexis musculis, quorum color naturali similis, & rubicundus.

Not. 1. Bulbus oculi rigidus factus rotunditatem haud amisit.

2. Per superficiem Scleroticæ plurima visuntur dispersa verosimilia vascula nova, Lymphaticorum æmula; verosimilia dico, quia de eorum existentia nil certi affirmare ausim, antequam frequentiore examine certissimus factus sim: suntque, ut dixi, Lymphaticorum similia, nitentia, & pellucida. quia autem nullas in iis observare potui valvulas, anceps hæreo.

3. Hac de re olim mentio facta in Epistolari Responsione mea ad Expert. Virum D. Christianum Wedelium, de Oculorum Tunicis fol. 13.

4. Musculorum tendines non-nihil à Sclerotica separati, luculenter Scleroticam eo loco, ubi inferuntur à tendinibus dictis, incrassari, hic docent; ita ut, si quis eorum expansionem

nolit esse peculiarem membranam, saltem negare non possit, eam ad incrassationem, & robur Scleroticæ multum adferre.

5. Fibræ motrices, musculos oculorum constituentes, accuratius hic visuntur, quam in subjecto jamjam denato.

6. Arterias nervum opticum comitantes, reptatu serpentino decurrere hic palam est, ut &, quo modo nervi ciliares à me ita dicti, versus oculi globum tendant.

Nº. XI. Phiala, in qua conservatur oculus humanus transversim bifectus, sine ulla præmissa vasorum repletionem.

Not. 1. Facie interiore, Ligamentum ciliare, ut & ejus processus in situ & statu naturali hic sese videnda exhibent.

2. Quo modo processus ciliaris recedat ab ea Corneæ parte, quæ pupillam constituit, ut humori aqueo locum cedat, hic quoque videre licet.

3. Nervum opticum amictum esse geminâ Tunicâ, eumque porosum esse, hic constat.

4. In fundo hujus Phialæ oculorum humores vitreus & crystallinus reperiuntur, qui, quamvis per liquorem pelluciditatem amiserint, & opaci facti sint, eos tamen conservare volui, ut demonstrarem, quo modo humor vitreus crystallinum in sinum suum recipiat.

5. In ambitu humoris crystallini & vitrei, pigmenti nigri residuum, à Ruyschiana avulsum, instar fibrarum nigrarum, adhæret tunicis tenuissimis humoris vitrei & crystallini.

Nº. XII. Pueri Oculus, Scleroticâ magna ex partè adempta, ut Ruyschiana & Choroidea in conspectum venirent, quibus in medio apertis, cernitur Retina.

Not. 1. Ne visum effugerent subtilissimæ arteriolæ Tunicæ Retinæ, replevi illas cera rubrà.

2. Retinæ membranofum adeò est subtile, ut prima fronte visum, vix in oculos incurrat, etiam armatos.

3. Medullosum Retinæ in hoc objecto non apparet. utrum non adfuerit, an verò à liquore sit deletum, non liquet.

Nº. XIII. Oculus humanus transversim bifectus.

Not. Arteriolas per Ruyschianam & Choroideam dispersas implevi cerea materia, & sic accuratius tunicarum prædictarum terminus ad quem demonstratur, qui ad finem ligamenti Ciliaris est.

Nº. XIV. Anterior oculi infantis portio, ita inversa, ut facies

cies interior jam exterior fit facta, unde ligamenti Ciliaris constitutio nudam sese offert visui.

Not. 1. Arteriolæ per ligamentum Ciliare disseminatæ, & cerea materiâ oppletæ, visui hic quidem obijciuntur, sed manifestius apparent, si oculo microscopium admoverimus.

2. Processus Ciliaris pigmento naturali nigro haud destitutus, limbo pupillæ proximo hic excepto.

3. In fundo hujusce Phialæ humores Vitreus & CrySTALLINUS comparent, quibus cohæret pigmenti nigri portio, à Ruyschiana avulsa.

Nº. XV. Oculus vitulinus transversim bisectus, ut interiora conspici possint. in eo novi quid mihi detexisse visus sum, sc. multis seculis pro certo fuit habitum, ligamentum ciliare ceu musculus esse; cui placito etiam ipse, præjudicio captus, calculum olim adjeci, ut liquet in Resp. Epist. Probl. decima tertia; enimverò in dicto hoc oculo vitulino primò comperi, ligamentum Ciliare neutiquam esse considerandum tanquam musculus, ad pupillæ & humoris crySTALLINI motum destinatum, totumque hoc negotium perfici à processu Ciliari, ut & à circulo musculari, posterius in confinio pupillæ sito. Ligamenti Ciliaris processus constat ex fibris musculosis longitudinalibus, quarum tendines aut fibræ tendinosæ luculenter visuntur dispergi & finiri in secundo & minori, à me dicto, circulo, posterius ad marginem pupillæ sito; præterea Ligamenti Ciliaris extremum non constituit, neque à se dimittit tendines, uti Scriptores autumant, sed margine crispo recedit à processu dicto. (Vid. Tab. 1. Fig. 7. Lit. c.) & sic ligamentum Ciliare non videtur tale commercium habere cum processu Ciliari, uti voluere Antistites. Hisce in oculo bovino visis, me denuo contuli ad objecta humana, in quibus olim quidem tale quid mihi videre videbar; præjudicio verò deceptus, accuratiorem ejus indagationem neglexi. Jam autem in oculis humanis & vitulinis, circa ante dicta reperio nihil discriminis intercedere, nisi quod in oculo vitulino omnia majora existant.

In dicto minori circulo, posterius in pupillæ confinio sito, non solum inseruntur tendines ligamenti ciliaris, ad pupillam dilatandam, ubi necesse est: verum etiam circuli minoris extremum, constare mihi videtur ex fibris motricibus circularibus, pupillam angustantibus, præsertim cum res magis illuminatas



minatas intuemur attentius. Fateor quidem hasce fibras circulares non tam luculenter conspici posse, quin oculi mentis in subsidium sint vocandi. enimverò cum neque ligamentum ciliare, neque ejus processus pupillæ contractioni sint destinata, consultius duxi statuere, circulum minorem ad posterius confinium pupillæ situm, huic operi esse destinatum.

Nonnulli pro processu ciliari agnoscunt pullas pigmenti nigri reliquias, membranulæ tenuissimæ humoris crySTALLINI & vitrei adhærentes, & quasi fibras mentientes, oculo sc. aperto, humoribusque exemptis. hæ autem nil sunt, nisi avulsæ particulæ pigmenti nigri, quò non solum oblitum est ligamentum ciliare in statu sano, verum etiam ejus processus, nec non Tunica Ruyschiana: Processus verò ciliaris sedem habet orbiculatam sub ligamento ciliari, à quo fibræ tendinosæ, ut dixi, procedunt, quæ in minorem circulum desinunt.

Notandum præterea, partem alteram hujus oculi vitulini, in fundo Phialæ sitam, in suo cavo membranà Ruyschiana esse succinctam, quæ prope insertionem nervi optici, colore cæruleo, Choroidea contra nigro colore est tincta.

2. Nervus opticus, non linea recta, sed incurvo tramite incedit ad oculum vitulinum.

3. Tunica Retina arteriolarum repletis ditata hic quoque cerni potest.

Nº. XVI. Portio Tunicæ Scleroticæ humanæ, a qua dependent aliquot nervi ciliares, qui sunt in aliis numerosiores, in aliis pauciores. Hoc objectum æri incisum reperitur Tab. XVI. Resp. Epist. Probl. XII. fig. 12.

Nº. XVII. Balænæ oculus secundum longitudinem dissectus.

Nº. 1. Tunica Ruyschiana partim est avulsa à Choroidea, ne quis de ejus existentia dubitet, estque Ruyschiana crassitie papyro proxima vid. Tab. 1. Fig. 1. Thes. 2.

In homine olim æri incidi curavi. vid. Tab. XVI. Resp. in Epist. Probl. 13.

A S S E R Secundus.

Nº. I. **P**osterior portio Scleroticæ pueri, cum portione nervi optici, cujus involucrum in duas separavi lamellas.

Not. Hasce lamellas inter se convenire, nec proprium quid  
  
 B habere,

## THESAURUS ANATOMICUS II.

habere, nisi quod exterior interiore crassior sit. Vid. hoc ob-  
jectum æri incisum loco jamjam citato.

No. II. Oculi puerilis transversim secti pars posterior, in cu-  
jus cavitate videre licet tunicam reticularem, quæ hic undu-  
lata apparet, contra naturæ leges, quod & memini me olim  
observare. Hujus iconismum refert tabula supra citata fig. 19.  
Resp. Epist.

Not. musculos oculares varios situm naturalem retinuisse ;  
præsertim rectos.

In eadem Phiala à capillo dependet Iris humana, quam olim æri  
incidi curavi. Quod autem eo tempore de hoc objecto scripsi,  
in **explicatione** fig. XVII, Epist. supracitatae, hic recensere  
**non** gravabor.

*Circulus Iris, quæ membrana est per Corneam transparens, fa-  
cie anteriore in ambitu cum Choroidea, posteriore verò cum Ruy-  
schiana conjungitur, nec immeritò in duos circulos dividi potest,  
quorum major desinit, ubi arteriolæ reflectuntur, vel ubi facie  
posteriore fibræ, potius tendinosæ fibræ processus ligamenti Cilia-  
ris terminantur, sicuti fig. XVII. & XVIII. Tab. XVI. Resp. Epist.  
Problem. videri potest. Alter circulus multis numeris minor ad  
pupillam desinit. Circulus Iris major gaudet arterioliis innume-  
rabilibus, quæ mirando reptatu per Iridem sunt dispersæ: sicuti  
fig. dictæ indigitant. ubi autem ad circulum minorem pervene-  
runt, reflectuntur, è quibus reflexionibus ramuli oriuntur novi &  
minores, qui eodem quoque modo reflectuntur ad confinium pupillæ;  
forte, ut sanguis à motu rapidiori inhibeatur, & minus extra-  
vasari possit, ab externa vi, vel alia causa in iis, qui plethori-  
ci sunt.*

No. 3. Pueri oculus transversim sectus, ut Ruyfchiana, Cho-  
roidea &c. in conspectum venirent. In hoc objecto Retina in  
totum non est conservata. visibilis tamen portio superstes re-  
mansit in inferiore parte, ubi arteriolæ repletæ existentiam  
ejus demonstrant.

Portio dicti oculi fundo Phialæ proxima, uvea & cornea  
est: harum posterior facies hic in conspectum venit, sc. liga-  
mentum Ciliare, & processus Ciliaris, cum suis tendinosi  
fibris.

No. IV. Cornea Tunica cum annexis adnata, Choroidea,  
Ruyfchiana, Ligamento Ciliari, ejusdemque processu, &c.

Vide ulteriora in expl. Tab. 1. Fig. 4. hujus Thes. 2.

Nº. V. Infantis caput in liquore conservatum, & tam vivido colore præditum, absque fuco aut pigmento, ut viventis caput repræsentet; illudque à multis annis ita conservatum est.

Not. 1. Cranii parte superiore ablata, cerebroque exempto, videnda sese exhibent decem nervorum paria, Infundibulum, rubicundo colore præditum, idque propter repletionem vasculorum cereâ materiâ rubrâ.

2. Septum, quo cerebrum à cerebello à latere separatur, ceu falx transversalis (si ita loqui liceat) distincte hic quoque cernitur.

3. Orbitæ oculorum dura matre ex parte viduatæ, dilutiore rubedine sunt imbutæ, à vasorum repletionem.

4. Labium superius unius ligamenti ope maxillæ superiori connascitur quidem in homine, hic verò duplex ligamentum occurrit.

Nº. VI. Phiala continens vesicæ muliebris Utero gerentis portionem, quæ tempore gestationis intolerabili cruciatur, & continuo mingendi desiderio vexata, tandem ultimum diem obiit. Cadavere à me aperto, foetuque quadrimestri exempto, inveni Vesicam purulentam atque corruptam. Quod autem consideratione dignum esse censeo, hoc erat: Omnes vesicæ fibræ stipatæ erant calculosâ substantiâ, in forma arenularum. Vid. Tab. 2. Fig. 2. hujus secundi Thesauri & objectum ipsum domi meæ.

Nº. VII. Phiala, liquore limpido referta, in qua tria objecta, quorum primum à capillo dependens, portio est oculi humani, in qua distincte cernere licet differentiam inter Ruyschianam, & Choroideam: præterea Choroideæ superficies exterior obsita est pigmento nigro, cum contrâ illud ut plurimum cernatur in superficie interiore Ruyschianæ; præterea per Choroideæ superficiem exteriorem visuntur dispersi Nervi Ciliares.

In fundo hujus Phialæ cætera duo conspiciuntur objecta, quorum primum oculus humanus est, tali modo sectus, ut ea portione Sclerotica, quæ anterior est, & cornea dicitur, abscissa, in conspectum veniant humor Crystallinus & Citreus, idque in situ naturali. Notandum interim humores dictos contra naturæ leges, limpiditatem amisisse, majoremque duritiem acquisivisse, idque à liquore nostro.

Præterea cernere quoque licet pigmenti nigri residuum, à Ruyfchiana Tunica, ut & ligamento Ciliari avulsum, dictis humoribus circulariter, & striatim cohærere. Hujus striæ latiores in homine, quam in quadrupedibus, id quod non videntur observasse Scriptores, qui oculos vitulorum pro humanis æri curarunt incidi.

Tertium objectum in fundo hujus Phialæ, Cornea est, in cujus facie interiore conspiciuntur

Ligamentum Ciliare, cum ejusdem processu, nec non circulus minor, in quem desinunt tendines processus ciliaris, pupillam dilatantes, nec non fibræ circulares, pupillam contringentes. Vid. Tab. 1. Thesaur. 2. fig. 4. 5. & 7.

No. VIII. Membrana Retina oculi è puero desumpta, & liquori limpido innatans.

Not. 1. Arteriolæ cerea materia sunt repletæ, unde Retina rubicunda apparet, estque adeo tenuis, ut telam aranearum tenuitate variis in locis superet.

2. In dicta Retina nihil medullosum apparet: omnia vasculosa. an verò medullosum sit abstersum in hoc objecto nec ne, affirmare non ausim. mirum autem visu horum vasculorum extrema tam esse subtilia, nec cavitate distituta, ut tomentosa videantur, ceræ materiâ tamen referta, quâ sine, oculorum, quamvis armatorum, aciem facile aufugerent. Vide fusiores de hac re explicationem Resp. Pr. 13. Tab. 16. Fig. 7, ut & 16.

No. IX. Phiala continens os Petrosum cum suis canalibus semicircularibus, ut & cochlea, à latere aperta, ut tenue septum osseum, seu lamina ossea non solum, verum etiam tenella membranula, cochleæ cavitatem, & septum osseum succingens, vasculisque sanguifluis ditata, conspici possint; suntque dicta vascula artificiose repleta cerâ rubrâ.

No. X. Oculus humanus transversim dissectus, in quo ligamentum Ciliare ob vasculorum repletionem rubicundum apparet. processus verò ejus cinerei coloris est, utpote vasculis non repletis.

In posteriore parte hujusce Phialæ in conspectum venit posterior Scleroticæ portio, cum Ruyfchiana rubicundissima.

No. XI. Oculus humanus transversim dissectus, ut Ruyfchiana videri possit; in eo quoque Ligamentum Ciliare, naturali pigmento nigro obsitum, apparet.

Notandum quoque , quod visu dignum , arteriolas , cerea materia refertas , luculenter hic posse conspici , per eam partem superficiei interioris corneæ , quæ pupilla audit , quæ arteriolæ in pupilla hominis perfectè fani , nunquam in conspectum veniunt ; tamen adesse jam constat , imò forte nunquam sese videndas exhibuissent , nisi hoc nostro artificio detexissem.

2. Arterias nervum opticum comitantes serpentino reptatu incedere , in hoc & aliis objectis , hic quoque videre licet.

3. Molles nervi oculares , nervo optico cohærentes ; ut & Retina è fundo oculi emergens , nullaque substantia medullosa obsita , hic videri possunt. an sic à natura ?

Nº. XII. Phiala in liquore continens portionem reflexam Scleroticæ è corpore humano , cum nervo optico , ut Ruyschiana & Choroidea oculos nostros incurrerent.

Not. E medio Scleroticæ portio Retinæ emergit subtilissima.

Nº. XIII. Oculus humanus transversim sectus , ut interiora pateant.

Nº. XIV. Pueri caput liquori limpido innatans , cujus color viventis similis est , oculisque clausis , dormientis caput repræsentat.

Not. 1. Superior cranii pars , nec non cerebrum ablata sunt , remanentibus arteriis per cerebrum dispersis.

2. Arteriolæ , quibus integumentum membranaceum , nervum opticum investiens , superbit , in utroque latere conspici possunt , nec non reliquiæ nervorum olfactoriorum.

3. Reliquiæ falcis , cristæ Galli adhuc connatæ , sunt in hoc objecto visibiles.

4. Ea duræ matris portio , quæ tenacissime cohæret superiori parti orbitarum oculorum , innumeris arteriis scatet.

5. Quo ritu arteriolæ perambulent piam matrem , ad nervorum opticorum exortum , hic cerni potest.

Nº. XV. Oculus humanus liquori limpido innatans , qui ita præparatus est , ut Iris in conspectum sese daret.

Not. 1. Quantumvis arteriolæ , per Iridem dispersæ repletæ sint , minus tamen conspicuæ hic sunt , quam quidem in facie ejus posteriore , quæ ligamentum Ciliare nuncupatur.

2. Nervi & Arteriolæ , nervum opticum comitantes , luculenter hic visuntur ; nec non duo ex nervulis (Ciliaribus à me dictis,) admodum conspicui , idque propter arteriarum repletionem cerâ rubrà.

Nº. XVI. Oculi infantis pars postica, in qua Ruifchiana rubicundissima apparet: præterea ex oculi medio portio Retinæ erumpit.

Nº. XVII. Portio asperæ arteriæ humanæ, liquori innatans, ut ita dictæ glandulæ in conspectum venirent, quæ sunt numerosissimæ, & dispersæ per interiorem superficiem asperæ arteriæ, ad ejus lubricationem destinatæ.

### A S S E R TERTIUS.

Nº. I. **F**œtus humani immaturi hepar excarne, ut vulgò loquuntur, id est, ut ego loquor, hepar omnibus suis extremitatibus succosis, quæ glandulæ aliis perperam audiunt, desitutum, ut vasorum reptatus, numerus, &c. accurate videri queant.

Quanta sit differentia inter veram dictorum vasorum existentiam, & figuras, ab autoribus depictas, hic cernere licet.

In jecinoribus, carne privandis, assolent unguibus, cultro ligneo, aliisve instrumentis ita dictam carnem auferre, unde vasa longiora evadebant. tandem extremitates, non omnes, quod impossibile est, acicularum cusptide pungebant, asseri affigebant, & sic exsiccabant, unde formam, à naturali plane diversam, acquirebant. hisce ita peractis, pictoribus tradebant, è quorum manibus figuræ sculptori exhibebantur, unde innumera figmenta nobis obtrusa sunt.

A plurimis annis, in perscrutandis jecinoribus, & cæteris visceribus animum summopere defatigavi; sæpius ab aquæ frigore sensum amiserant digiti manuum, nunquam autem rem acu tangere potui; paucis autem abhinc annis methodum inveni, qua vasa sanguinea liberentur ab eo, quod visui impedimento est, ne rectè videri queant vasa: idque sine ulla adhibita vi, unde ramuli numero haud diminuuntur, neque longiores fiunt justò; id quod de vulgari præparatione dici non potest.

Not. I. Vena portæ pluribus gaudet ramulis minoribus, quam vena cava, imò stipatur vena portæ ramulis minoribus, id quod consideratione dignum esse censeo, imò existimo vasorum sanguineorum œconomiam & functiones nondum satis nobis esse notas. Noli autem B. Lector credere, me hic figmenta proponere. si me convenire digneris, videbis me vera dicere. Paradoxum quidem videtur, quod dicitur vena portæ pluribus instructa esse ramulis, quam vena cava: veritati ta-

men

men consonum est. Vide Thes. 2. Tab. 4. Fig. 1, 3, 4.

Ex hac hypothese plures quidem speculationes proferre possem, quas hic tamen non movebo. brevitati enim studeo, ut ante obitum, si Deo Ter opt. max. placuerit, omnes Thesauros describere possim.

2. Cum impossibile mihi fuerit, majores ramos venæ cavæ & portæ propriis suis locis detinere, cum in liquore detineantur; hinc factum, ut venæ cavæ trunci & rami à portæ ramis recesserint; & sic vena cava hujus Phialæ fundo proxima facta sit.

No. II. Phiala, liquore referta, duo continet objecta, quorum primum & superius, à capillo dependens, oculus est humanus, omnibus musculis privatus, aurâque repletus, ut vera ejus forma rotunda appareat.

Quod nervus opticus duobus involucris fit præditus, hic constat.

Alterum objectum sunt duæ palpebræ humanæ cum notabili portione cutis faciei.

In limbo utriusque palpebræ evidenter hic apparet non solum utrumque punctum lachrymale, verum etiam oscula ductuum, humori transitum præbentia.

No. III. Oculus humanus liquori innatans, cujus musculi sunt separati, reservatis nervis.

No. IV. Stomachus humanus ita inversus, ut superficies interior jam sit facta exterior. In eo non solum innumeri occurrunt pori visibiles, quemadmodum hic delineandos curavi Tab. 5. Fig. 2. verum etiam antequam stomachus in os inferius exeat, alia Phænomena mihi patefacta sunt, sc. innumeræ & minutissimæ cellulosæ intercapedines quadrangulares, diversæ magnitudinis, quæ analogiam habent cum istis, quæ reperiuntur in stomacho vitulino, & quidem ea parte, quæ Belgice audit *de Kraag*. sunt tamen longe majores, quam in stomacho humano. Vide Expl. Tab. V. fig. 4. & \*

Dixerit forsitan aliquis, cui usui hæ sunt destinatæ? Resp quamdiu nobis vera partium constitutio latet, tam diu quoque perverse judicabimus de earum usu vero. Ego autem totus in eo sum, & omnes nervos intendo, ut quantum in me est, veram constitutionem perscruter, expectans ut alii circa usum idem sint facturi. difficile enim mihi jam utriusque negotio incumbere.

Quo.

Quomodo sese etiam habeant stomachi plicæ interiores, hic quoque videre est.

In eadem Phiala conspicitur quoque exigua portio stomachi ovini foetus, in qua dictæ quadrangulares intercapedines cellulosæ visuntur.

No. V. Phiala, in qua continetur brachium infantis, cujus manus comprehendit vesicam humanam inversam.

Not. 1. Brachium & manus vivido colore prædita sunt, cutis absque rugis præternaturalibus: Vesica autem desumpta est è corpore defuncti, calculo laborantis, unde Vesica admodum incrassata.

2. Vesica dicta ita inversa ut superficies interior jam sit facta exterior, ut videri possent ramosæ excrescentiæ præternaturales tunicæ interioris Vesicæ, quæ aliquando occurrunt, & in hoc objecto consideratione dignæ sunt, uti Tab. VI. Fig. 1. in hoc Thesauro 2. denotat.

In aliis objectis non rarò longiores quoque reperiuntur. Inter hæc ramosas excrescentias, à calculi attritione productas, calculi aliquando latitant, quemadmodum Pilæ lusoriæ, nuges, &c. inter plantas gramineas. hinc non rarò contingit, in calculi extractione, ut lithotomus non solum calculum, verum etiam dictas ramosas excrescentias forcipe arripiat, unde lethalia symptomata sæpe suboriuntur; & hoc demum est, quod calculus dicitur adhæsisse Vesicæ; cum post extractionem calculi aliquid carnosum reperitur in forcipis cavitate. Rarissime enim, si unquam, calculus connascitur Vesicæ. Interim quoque vix est ut credam, calculum post fata alicujus olim fuisse inventum (uti nonnulli perhibent) inter Tunicas Vesicæ, nisi à prægressa ulceratione, aut læsione Vesicæ, aut ureterum prope Vesicam.

3. Crassities hujus Vesicæ excedit minimi digiti humani crassitiem.

4. Ornamentum fimbriaceum, quo ornatur dictum brachium, inservit primò, ut brachii vulnus ab amputatione productum, tegatur, 2. ut visui gratiam conciliet.

No. VI. Foetus septimestris, aut inter sextum & septimum mensem natus, hydrocephalus, cujus caput mole superat truncum & artus. huic quoque adstant quinque Phialæ inauditum quid continentes: ita ut historiam breviter recensere mihi animus sit. Honesta quædam matrona, adhuc superstes, & Amstelodami pancra-



ticè vivens, ante aliquot annos in partu versabatur. mulieres adstantes me vocari jusserunt, quandoquidem ex voto partus haud succedebat; verum ante meum adventum pepererat dictum hydrocephalum. obstetrix autem, placenta extracta, percipiebat uterum adhuc onustum, extraxitque, me praesente, iteratis vicibus massam quandam heterogeneam, quin in Phiala à me conservatam, fibrosam, cellulofam, mollem, duram, imo spongiosam, è qua sequentia emergunt.

Phiala 1. N<sup>o</sup>. VII. notata continet portionem notabilem supradictae substantiae heterogeneae, è qua emergit integrum crus cum extremo pede foetus duorum triumve mensium, sine corpore visibili. circa cruris exortum ex dicta substantia alter pes eruptus cernitur, sine visibili crure. si parumper invertatur Phiala, ibi denuo conspiciuntur in dicta substantia foetus ejusdem fere aetatis cubitus & radius, à quibus caro, eò tempore admodum mollis & friabilis, recessit, ab inordinata & rudiori tractatione, antequam mihi tradere volebant consanguinei.

Sub dicto pede unus emergit digitus absque visibili manu. huncce locum aculeo notavi, ut citius in conspectum veniret. E regione dictorum reperiuntur duo pedes extremi sine tibiis aut femoribus; caetera autem adeo sunt confusa, ut nihil certi determinari possit. Vid. Tab. 3. Fig. 3. Thef. 2.

In secunda Phiala N<sup>o</sup>. VIII. notata, cernitur quoque magna portio dictae substantiae heterogeneae, in cujus fastigio os femoris carne & periostio orbatum, situm transversum occupat, genu autem cartilagineum spinâ indigitavi. sub dicto genu alterum quoque cernitur genu, sub quo unicus tantum digitus pedis exeritur; quinimò sub hisce omnibus varia membra sc. pedes, manusque, plus minusve perfecta, visui occurrunt. Vid. Tab. 3. Fig. 1. Thef. 2.

In Phiala Tertia N<sup>o</sup>, IX. Major moles dictae substantiae conservatur. in ea sequentia lustrare licet.

Ex infima hujus substantiae parte exeruntur duo crura malè conformata, quibus associatur quoque brachium, eodem loco emersum. In hisce membris Tibiae maxime sunt incurvatae.

Dicta membra oriuntur ex particula rotunda dictae substantiae, abdomini exiguo analoga, in suo medio instructa particula propendente, loco penis.

Phiala nonnihil inversa, in conspectum venit pes sine visibili tibia. Vid. Tab. 3. Fig. 2.

Phiala quarta N<sup>o</sup>. X. portionem insignem supradictæ substantiæ retinet, è cujus fundo clunis oritur cum integro crure, sc. Femore, Tibia, & pede extremo. per horum superficiem repunt tendines musculorum visibiles, substantia carnosa abolitâ.

Dictus pes videtur exarticulatus, inferiores enim epiphyfes ossis Tibiæ & femoris proprium non occupant locum. An à mala conformatione in utero prognata, an secus, affirmare nequeo.

Supra dictum clunem, situ transverso, reperitur alterum os tibiæ, cum annexo osse suræ, quæ musculosa substantia orbata, nuda cernuntur.

Supra dicta ossa emergit quoque ex dicta mole pes extremus, qui nullum commercium habere videtur cum mox citatis ossibus.

Phiala dicta non nihil inversa videnda sese exhibent rudimenta duarum manuum, quarum singulæ habent tres digitos minus perfectos, unguiculis quamvis instructos. vid. Tab. 3. Fig. 5.

In Phiala quinta, N<sup>o</sup>. XI. notata, continetur portio ejusdem substantiæ, in qua nulli artus visibiles reperiuntur perfecti.

Not. quoque sunt sequentia. 1. Quod omnia supra citata membra videantur esse trium fere hebdomadarum.

2. Nusquam videri potest caput perfectum, quamvis corpuscula intermixta reperiuntur rotunda, capitula mentientia,

3. Ossa supra memorata, jamjam in lucem edita, erant carne molli investita: rudiores autem manus fricando annihilaverunt carnem variis locis, antequam mihi traderentur.

4. Quod hic latus campus nobis occurrat differendi, verum illud extrascopum meum hoc esset, qui, ut supradictum, brevitati studeo. Hoc tantum in medium profero, me in ea esse opinione, quod eo temporis puncto, quo fuit facta gravida honesta illa matrona, plura ovula fuerunt simul tacta, aut fœcundata: unde confusio eorum subsecuta est, cum per ductum ovarium simul uterum intrarunt.

5. Not. quoque, priori matrimonio illam nunquam utero gessisse, & primum fuisse partum, de quo feci sermonem, hoc secundo matrimonio, in quo plures postea peperit liberos sanos.

Nº. XII. Phiala, in qua Arteria splenica Vitulina, cerea materia rub. repleta, cujus ramuli in fasciculos exeunt succosos & solubiles.

Not. Fasciculos crassiores esse in liene vitulino, quam in humano, & per consequens conspectiores; præterea, quia Lien vitulinus destituitur ramificationibus venosis, ea propter fasciculi dicti luculentius in conspectum veniunt. In homine verò ramuli venosi vix omnes repleti possunt, unde fibrosi quid præ se ferunt, visumque sæpe decipiunt.

Nº. XIII. Lien humanus liquori limpido quoque immerfus, ut omnia distinctius videri possint.

Not. 1. Simulac arteriam splenicam cera rubra infarciebam, plurimæ quoque venulæ replebantur, id quod sæpissime, si non semper, contingit; unde factum ut plurimæ venulæ rubicundæ, aliæ autem griseo colore sint præditæ. hoc si quis non rectè animadvertat, facile perverle judicet, venosum genus, fibrosum esse, cum contra Lien humanus fibris sit destitutus, quamtumvis vitulinus iis stipatus. Vid. Resp. in Epist. Problem. 4.

2. Lienem humanum interne prorsus esse destitutum glandulis, & cellulis à nonnullis auctoribus descriptis, & depictis.

3. Inter dictæ arteriæ extremitates, variæ hic sunt, quibus extremum succosum adhuc cohæret.

Nº. XIV. Phiala, in qua pueri stomachus, cum annexa gula & omenti pariete anteriore, à fundo stomachi dependente.

Not. 1. Huncce stomachum naturali, & vivido colore, non solum esse præditum, verum etiam naturalem reservasse formam, & magnitudinem.

2. Omnes arteriæ, per stomachi superficiem exteriorem difseminatæ, visui occurrunt. quæ autem fundum perambulant, maxima parte subito quasi finiri, & detruncari videntur, cum contra interiora petentes, potiores ramificationes suas distribuunt per Tunicam nerveam, unde longe pluribus superbit ramulis sanguifluis nervea Tunica, quam carnea, aut communis, vel etiam villosa; id quod notatu dignum esse censeo: imò judicandum videtur, arteriarum extremitates in hac tunica aliquid peragere, quod in cæteris tunicis stomachi non

fit. Tanta enim sanguinis copiâ, quanta hic loci reperitur, non indiget dicta nervea tunica, ad sui nutritionem, aut calefactionem. Ego existimo in istis extremitatibus arteriosis ex contento elaborari, & segregari humorem serosum, quo intestina humectantur; & sic attribuo dictis extremitatibus arteriosis, quod alii peculiaribus corpusculis rotundis, quæ glandulæ audiunt, attribuerunt: quæ ita dictæ glandulæ mihi nil aliud sunt, quam dictæ Vasculorum sanguineorum extremitates succosæ, quasi in globulos oblongo rotundos, imò rotundos, & in fasciculos congestæ.

Ratio, quare hoc credere cepi, sequens est. Cum cera rubrâ replerem arterias mesentericas, dicta materia propellebatur ulterius per ita dictas glandulas in intestinorum cavitationem; & hoc sæpiissime mihi contingit. Præterea intestinum duodenum inversum, cujus arteriolæ erant repletæ, indidi liquori, post macerationem in Aq. simplici. atque ita reperi dictas glandulas miliares intestini duodeni penicillorum modo esse dispositas. De hoc objecto fusius in subsequenti Thesauro descriptionibus.

3. Nota Oesophagum hujus stomachi ita esse præparatum, ut fibræ musculosæ & longitudinales, quarum ope oesophagus, ubi necesse est, abbreviatur, hic luculenter conspici possint.

4. Quomodo nervi, per stomachum distributi, ad latera oesophagi descendant, hic ab uno latere videri potest.

5. Omentum myriadibus arteriolarum scatere hic constat; ad extremum enim usque repletæ sunt cera rubrâ. Quia autem hoc à nemine hætenus ita vidi ære expressum, operæ pretium esse duxi, hisce Tabulis inserere. Vid. Tab. 5. Fig. Thes. 2.

6. Omentum in statu sano nullis foraminibus esse pertusum, (quamvis contrarium velint, & in figuris suis expresse- rint nonnulli) liquido hic constat, in dicto, & cæteris à me conservatis omentis. Monendum tamen, si suspensa manu haud tractetur omentum, facillime foraminosum fieri.

Nº. XV. Puerorum renes, in liquore limpidio conservati, quorum supremus à capillo dependens, naturali colore rubicundo perfusus, ex parte separatus est, à prima & extima

tunica, adiposa dicta, ut superficies inæqualis in conspectum veniret.

Hæc inæqualitas superficiæ in ea ætate consideranda est, ut puerorum & foetuum renes videantur glandulæ conglomeratæ, id quod tamen locum habere non constat.

Dicta membrana adiposa innumeras particulas adiposas sibi habet connexas, forma planas, rotundas, oblongo-rotundas, imo & angulares; & hoc distinctius videri potest in foetu, quam in ætate provectiori. Prædictæ particulæ adiposæ, sunt propriè cellulæ adiposæ, Malpigio dictæ, circa quas notandum, quamvis dicantur adiposæ cellulæ, & revera adiposæ sint in vaccis, & ovibus, de homine tamen minus proprie dici, quandoquidem nullus adeps in toto corpore humano reperitur, & per consequens inepta est divisio, quam authores faciunt, scilicet in pinguedinem, propriè dictam, & adipem. Nam quod dicitur adeps circa renes, omentum, cor & mesenterium dictorum animalium, illud vera pinguedo est in corpore humano, propterea quod in homine non solum vivo, verum etiam in cadavere recenti, admodum mollis existit, & haud solum sub cute, verum etiam circa cor & cæteras dictas partes, à calore digitorum facile liquefscens; imò nisi coërceretur in cellulis, diffunderet sæpe in corpore vivo, à motu nimio, æstate excitato. In equis quoque nullus adeps, sed mollis pinguedo, unde eorum viscera obesiora facta, à nimio calore & corporis agitatione sæpissime pinguedinem effundunt in cavitatem abdominis, præsertim ubi cellulæ justò tenuiores sunt.

Dixi superius pinguedinem humanam admodum esse mollem, non solum in corpore vivo, verum etiam recens denato, quia experientia edoctus sum, pinguedinem humanam in adipem non rarò degenerare, in cadaveribus obesioribus, viginti & plures annos post humationem. In ea degeneratione, in tumulis facta, non solum indurescit pinguedo, verum etiam color ejus fit niveus. Considerandum etiam, in omnibus cadaveribus ejusmodi mutationes haud esse obvias; sed in iis, quæ sepulta sunt loco humidiori, & profundissimo.

In fundo hujus Phialæ visuntur renes puerorum, saturatione rubedine perfusi, quia vasa sanguinea in totum sunt repleta.

Nº. XVI. Phiala in liquore continens Pueri Vesicam urinariam, cum postica parte penis, ut & proflatis.

Not. 1. Dictam penis portionem, à feta dependentem, naturalem situm, figuram, incurvationem sub ossibus pubis, ut & crassitiem, reservasse.

2. Utrumque corpus nerveo spongiosum majus, ut & minus, cereâ materiâ esse repletum.

3. Septum nerveum, corporibus duobus majoribus interfitum, accurate videri potest in hoc subjecto, sicuti & proflatae, sub ossibus pubis protuberantes.

4. Ureter unius lateris gaudet arteriolis variis, nec non nervis, secundum longitudinem proserpentibus.

Nº. XVII. Phiala, in cujus liquore innatat Vena portæ vitulina, artificiosissime repleta cera flavâ. Inter omnes præparaciones, quas unquam feci, haud minimum hæc locum occupat. Ramuli enim minutissimi sunt conservati & repleti, qui tanto sunt numero, ut tale quid nunquam viderim.


Nº. XVIII. Puellæ pudendum, naturali colore præditum, & ita conservatum, ut jamjam à corpore videatur separatum, aut excisum.

Not. 1. Inter nymphas, sub meatu urinario, Membrana hymen luculentissime videri potest.

2. Supra meatum urinarium, caput clitoridis cum ejusdem præputio conspiciuntur.

3. Sub dicto pudendo exactissime videri potest, ubinam cutis perinæi finem faciat, & quasi, in membranam degeneret rubicundam, & æqualem, cum contra cutis nonnihil asperior appareat.

### A S S E R Quartus.

Nº. I. culus infantis cum portione exigua ossis frontis.

Not. 1. Orbita ablata, ut muscoli oculares in naturali situ conspici possint.

2. Quomodo nervus, supra dictos musculos, & ulterius per foramen ossis frontis insculptum proserpens, per pinguedinem, musculum & cutem frontis distribuatur, hic oppidò quam bene videre licet.

3. Mu-

3. Musculi naturali colore sunt imbuti.

4. Phiala nonnihil inversa, conspiciendas sese exhibent oculorum Tunicae Sclerotica, Choroidea, Ruyschiana & Retina.

Nº. II. Placentæ uterinæ humanæ portio, materiâ cereâ repleta.

Not. I. Placentam nullis glandulis esse instructam, sicuti auctores autumant, hic luculenter apparet, luculenter inquam, quandoquidem objectum tali moda præparatum est, ut nemo hoc visò, posthac de veritate structuræ dubitare possit; nihil enim placentæ ademi, nec digitis fricavi, solummodò cera flava replevi vasa tanta cum dexteritate, ut ne minimus quidem ramulus intactus sit relictus.

2. Nusquam offendi vasorum sanguineorum extrema, quæ tantam analogiam habent cum iis, quæ constituunt corticalem cerebri substantiam, quantam placentæ uterinæ vasa.

3. Nullum reperi viscus, (licet constituatur etiam ex vasis, prout Lien &c.) cujus ramificationes minores adeò sint copiosæ, quam in placenta uterina. Vid. Tab. VI. Thef. 2. Ramorum linealium, hepaticorum, Renalium, Placentæ uterinæ, &c. figuras repræsentantem.

Hisce rite perspectis facile erit judicare, vasorum sanguineorum extrema summopere inter se differre, neque frustra.

4. Vasa sanguinea, placentam uterinam constituentia, ne-tiquam uniri cum vasis sanguineis uterinis, in sequenti Thesau-ro tertio ostendere decrevi, additis nonnullis, quæ ab aliis sunt neglecta.

Nº. III. Placentæ uterinæ portio, cujus vasa sanguinea, placentam conficientia, repleta sunt cereâ materiâ, dilutiore rubedine perfusa.

Dictum objectum, ut & antecedens, liquori limpido innat, quo sine non tam accurate in oculos incurreret.

Nº. IV. Portio Arteriæ splenicæ vitulinæ, cerea materia rubra impletæ. Hujus extremitates penicilla detrita repræsentant, id quod nec in placenta uterina, nec in corticali cerebri substantia locum habere, comperi.

Nº. V. Ejusdem hepatis hydropici, (de quo mentio facta Thesaur. I. fol. 34. & 35.) Portio lateralis, in qua etiam de-

demonstratur, omnia Vasa sanguinea, nullo ramulo excepto, degenerasse in hydatides. Vid. Tab. 2. Fig. 3.

Notandum quoque membranam hancce hepar investientem, valde esse incrassatam; & substantiam hepatis à latere læso visam, spongiam succo quodam repletam repræsentare.

Nº. VI. Phiala continens portionem epidermidis infantis, in cujus superficie interiore superstites conspiciuntur papillarum cutanearum extremitates minutissimæ, cuticulam, ut opinor, constituentes. ego enim statuo, cuticulam nil aliud esse, quam efflorescentiam extremitatum papillarum cutanearum; quæ extremitates sensu exquisito quo aliquantò profundius sunt præditæ, destituuntur, & sic quoque dicitur epidermis non sentire, & nos nullo dolore afficere, si lædatur. sentit tamen suo modo.

A multis seculis quidem pro certissimò dictum fuit, epidermidem esse constitutam ab humoribus excrementitiis, & inutilibus, frigoris ambientis ope condensatam, sicuti in pulvere frigidatâ videmus fieri: sed embryones & fœtus in utero materno frigus externum non patiuntur, & tamen expidermide haud destituuntur; & sic corrui eorum hypothesis.

Nº. VII. Phiala portionem arteriarum, per medullarem cerebri substantiam disseminatarum, continet; idque ex infante. Inter hæc arterias, variis in locis reperiuntur quæ extrema parte sua proprie sunt vera corticalis cerebri substantiæ vascula.

Nº. VIII. Hominis processus vermiformis intestini cœci, secundum longitudinem apertus, & liquori immersus, ut glandularum spuriarum numerus clare videri posset; & sic apparet, dictum processum magnam habere analogiam cum processu vermiformi leporis, quamvis tantam non habeat capacitatem; utriusque enim processus tot habet glandulas, ut sibi invicem accumbant, nullo fere relicto spatio inani. Dictæ glandulæ adèò molles sunt, ut suspensa manu processus tractandus sit, alioquin glandulæ evanescunt, aut saltem numerus earum diminuitur.

Nº. IX. Phiala crystallina sicca, in qua à capillo dependet sceleton Aviculæ Indiæ occidentalis, tam exiguæ, ut dubitem, an minor unquam sit reperta; aviculæ autem nomen apud Lusitanos est Pegafrol. Ejus ossicula admodum sunt subtilia, filamentumque variis in locis tenuitate superantia.



N<sup>o</sup>. X. Phiala, in qua portio membranæ Chorii, cui aliquot cotyledones adhærent, suntque ex ove.

Not. 1. Dictæ cotyledones nil aliud sunt quam placentulæ uterinæ, quibus chorium ovinum scatet.

2. Nullas hic quoque reperiri glandulas, certum est.

N<sup>o</sup>. XI. Membrana cornea humana, qua facie postica visa, demonstratur, quomodo in corpore vivo Ligamentum ciliare, ut & ejus processus recedere valeant à pupilla; ut & quomodò denuò ad eam queant accedere: quem in finem liquori limpido innatant, quemadmodum in corpore vivo.

Not. Præterea, hic posse conspici circulum minorem, pupillæ proximum, in quem desinunt tendinosæ fibræ processus ligamenti ciliaris; estque idem circulus, quem præditum esse existimo fibris orbicularibus, ad pupillam constringendam & angustandam. Hæc omnia innumeris prædita esse vasculis sanguineis hic videre licet.

N<sup>o</sup>. XII. Phiala in liquore conservans palati partem mollem, seu integumentum infantis, per cujus superficiem linguam respicientem distincte visuntur non solum glandularum palatarum oscula, mucum quoque eructantia, verum etiam Papillæ palatinæ protuberantes, & gustui destinatæ, suntque arenâ multis numeris minores. Præterea conspiciuntur rugæ asperæ transversales, seu juga palati.

N<sup>o</sup>. XIII. Testudinis Lingua, cujus area stipatur papillis innumerabilibus, linguæ bovinæ similibus, utpote longis, & mucronatis, pelliculâ epidermidis vicaria obductis.

N<sup>o</sup>. XIV. Pueri oculus à seta dependens, cujus Sclerotica nonnihil inversa, ut Choroidea, arteriolis stipata, videri possit.

Not. 1. Tunica retina, arteriolis repleta, in oculos incurrit, si Phiala paululum inclinetur.

2. Quo pacto arteriolæ per Iridem disseminentur, cerni hic potest.

N<sup>o</sup>. XV. Fœtus Balænæ hepar excarne, uti vulgò loquuntur.

Not. 1. Dictus fœtus erat longitudine unius fere ulnæ.

2. In Hepate nullæ glandulæ sunt repertæ.

3. Vasa sanguinea maxima ex parte hepar constituenta accurate hic lustrari possunt, præsertim eorum extrema.

N<sup>o</sup>. XVI. Oculus pueri in fundo Phialæ positus, & ita præ-

paratus, ut Scleroticâ ademptâ, in conspectum veniat Choroidea, eâque laceratâ, videri quoque possint Retina, & Iris, cum earum arteriolis repletis. Notandum per superficiem tunicæ extimæ, nervum opticum investientis, arteriolas numerosas, ut & nervos serpentinò reptatu decurrere. Dicti nervi ramos emittunt ad Ligamentum ciliare.

Nº. XVII. Phiala liquore referta, in qua à fetis dependent duo objecta, quorum primum & superius, Os petrosum est, ita præparatum, ut capsæ cavitate aperta, cerni possint in suo situ naturali malleolus & incus, perioestio obducta.

Not. 1. Perioestium dictorum ossiculorum copiosis gaudet vasculis sanguiferis refertis.

2. Incus cum suo musculo tenuissimo hic conspici quoque potest.

3. Per membranam Tympani laceram diffeminantur hic vascula sanguinea innumera repleta. Vid. horum fig. in Resp. Epist. Probl. 8. ad Exp. Virum Grætz.

Alterum objectum auricula est, naturali colore suo prædita, sine ullo fuco aut pigmento.

Nº. XVIII, Placentæ uterinæ muliebris portio.

Not. 1. Vasa sanguinea, placentam constituentia, tota replevi cerea materia rubra, ut si quid præter vasa sanguinea in placenta reperiretur, in conspectum sese daret; verum nil nisi vasa sanguinea reperi. A multis seculis pro certo habitum fuit, Placentam uniri utero per utriusque vasorum extremitates. reperiuntur quoque ad hoc usque tempus haud infimi subsellii Anatomici, qui mordicus hoc defendere volunt. quid autem sit hujus rei, facile expiscari poterit, si quis hanc viam nobiscum insillere velit.

Repleveram eum in finem multoties vasa sanguinea, Placentam constituentia, cerea materiâ rubrâ, reperique placentam non solum amictam membranâ, ea facie, quæ foetum spectat, & Chorion appellatur, verum etiam facie uterum spectante integumento membranæ analogo esse obductam, & firmiter extremitatibus vasorum connatam.

Dicta substantia membranacea tenacitate carens, vix ac ne vix quidem, separabilis est à placenta; videturque aliquatenus convenire, ratione substantiæ, cum Chorion membrana, (cujus continuatio esse videtur) quæ etiam in homine neutiquam tenax.

2. Dicitum integumentum visum haud fuisset, nisi praecessisset dicta repletio, unde placenta integra rubicunda apparebat, membranacea autem substantia albicans aut grisea sensui occurrebat, idque per integram superficiem placentæ, quæ utero connectitur.

3. Placenta molliter & suspensa manu tractanda, alioquin laceratur, ea scilicet facie quæ uterum respicit. Unde lacerata, quasi in varios globulos dividitur, & per consequens dirumpitur dicta membranacea substantia, unde minus observari potest.

4. Aliquoties observavi dictam substantiam membranaceam variis locis lapideam naturam induisse, foetu bene constituto.

Hæc itaque expertus statuendum censeo, Vasa sanguinea uterina non immediate uniri cum Vasis placentam conficientibus, sed utriusque cohæsiōnem fieri mediante prædicta substantia membranacea.

Latus campus hic jam aperitur ad differendum, quomodò, hoc concessio, nutrimentum foetui dicatum ex utero ad foetum perveniat, per quas vias, ubinam præparetur & perficiatur &c.

Mihi autem consultum videtur, id jam præterire, ne ab instituto nimium digrediar, neque limites nimis extendam; scopus enim tantum est præparatorum meorum catalogum exhibere. quid autem sit de foetus nutrimento, quo præparetur loco, &c. ex sequentibus palam fiet.

No. XIX. Portio Tunicæ tertiæ seu interioris uteri ovini imprægnati, per quas myriades vasorum incognitorum disseminantur, in quibus nutrimentum, foetui dicatum, præparatur. Suntque vermicularia à me dicta, propterea quod instar vermium reptatus repunt per integram tunicam intimam uteri Vid. Tab. VI. Fig. 6. Thef. 2.

Hæc autem vasa in conspectum meum venerunt, postquam Vasa sanguinea uterina cæra rubra impleveram. hæc enim lim-pida occurrebant, illa verò rubra. In illis vermicularibus vasis alimentum confici existimo, non autem in ita dictis glandulis, quas hæctenus nemo luculenter demonstrare potuit in utero.

Rogabit forsitan aliquis; an vasa apta sint ad humorem peculiarem conficiendum. Resp. cum vasa seminalia semen confi-

cere valeant in testiculis, ubi nullæ glandulæ; cum in hepate nullæ reperiantur glandulæ, & tamen hepar otiosum non sit præparando humore bilioso, non video, quare id non in utero fieri possit ab istis nove detectis vasis.

Quò ex illis Vasis ulterius progrediatur dictus humor, infra pluribus ostendam.

Nº. XX. Oculi humani Tunica Choroidea, & Ruyschiana, ita præparata, ut utraque in conspectum veniat. Quanta sit differentia inter reptatum Vasorum sanguineorum utriusque Tunicæ, hic videre licet. Notandum interim, faciem interiorrem esse factam exteriorrem, objectumque conservatum esse in liquore, ut luculenter videri possit.

### A S S E R Quintus.

Nº. I. **V**itulini oculi utraque palpebra.

Not. 1. Omnia oscula ductuum excretoriorum, in limbis existentia, in conspectum veniunt: imò in illis hæret & protuberat humor viscidus, à liquore nostro, cui innatat, coagulatus.

2. E Glandula lachrymali prodeunt pili varii.

3. Puncta lachrymalia admodum capacia sunt.

Nº. II. Oculus humanus, cui annexuntur quinque muscoli oculares: sextus autem deficit in hoc subjecto, suntque muscoli naturali colore præditi.

Nº. III. Portio corticalis substantiæ cerebri liquori limpido innatans, sine quo impossibile est veramejus formam demonstrare. Hic autem luculenter apparet, corticalem cerebri substantiam neutiquam esse glandulosam, sed vasculosam: quare vascula sang., corticalem substantiam constituentia, cera rubrâ replevi. Huic variis quoque locis quidem adhæret substantia medullosa, hæc autem nulla rubedine est perfusa, à repletionem dicta.

Nº. IV. Tunicæ, per asperam arteriam tussi rejectæ, quæ si non sint portiones Tunicæ intimæ asperæ arteriæ, analogiam saltem habent cum ea, utpote innumeris foramigibus pertusæ & satis quoque tenaces. Puer octo annos circiter natus in tussim molestam incidens, cum febris continua, rejecit per vices varias particulas membranaceas, porosas, satis tenaces & paucis

cis post diebus supremum diem obiit : hujus autem parentes cadaveris apertionem non admiserunt, ita ut nil certi hac de re statuere potuerim.

Nº. V. Muris hepar, à seta dependens in Phiala, humore limpido, repleta.

Not. 1. In illo hepate reperti sunt bini tumores exigui rotundi, magnitudine pisi vulgaris. Horum alterò apertò reperti dictum tumorem nil esse, nisi membranulam, continentem vermem ea latitudine, qua est stramen, album, magnitudine digiti, figurâ & formâ vulgaris lumbrici lati, articulati.

2. Dicitus vermis in fundo Phialæ videri potest, ut & alter tumor nondum apertus.

Nº. VI. Pueri uvula, cujus integumentum, epidermidi vicarium, ex parte ablatum est, ut fibrarum longitudinalium concentratio videri possit.

Nº. VII. Pueri plexus Choroideus rubicundissimus, propter arteriolarum repletionem. In eo nullæ glandulæ visibiles, quin imò videtur dictus plexus continuationem habere cum dictis arteriolis, aut arteriolæ videntur degenerare in plexum dictum: replendo enim arterias, plexus quoque repletur. De hisce plura, ubi de glandulis conglomeratis agere decrevi. Fig. plex. videri potest Resp. Epist. Probl. 12.

Nº. VIII. Vasa arteriosa, per Piam matrem dispersa, ex infante.

Nº. IX. Oculi humani utraque palpebra.

Not. 1. In angulo majori foramina lachrymalia hiantia, ut & oscula Vasculorum, exiguorum, in utriusque limbo existentium, conspicua.

2. Glandulam lachrymalem multis osculis præditam esse, hic constat.

Nº. X. Fœtus humani Pulmo, cum annexo Corde, Thy-mo, portione pericardii, aspera arteria, arteriæ magnæ trun-co, tribus ramis fursum spectantibus.

Not. 1. Hæc omnia sunt indurata, repleta, & extra liquorem conservata.

2. Quomodo arteria magna cum arteriâ pulmonali conjungatur in foetu humano, hic apparet.

3. Glandulæ Thyroideæ, sub larynge sitæ, hic conservatæ sunt.

4. Per pericardium Vasa sanguinea dispersa videntur.

5. In latere dextro pulmo in tres lobos magnos est divisus, in sinistro verò duo tantum occurrunt lobi, id quod sæpissime observatur.

6. Corculum, lapidis instar duratum, proprium situm inter pulmonis lobos majores retinuit.

No. XI. Officula brachii & extremæ manus, sceleti foetus humani, trium circiter mensium, in liquore conservata, ut accurate videri possit vera eorum constitutio in ea ætate, id quod frustra expectandum in sceletis exsiccatis.

No. XII. Æthiopis cuticula nigricans, in liquore conservata, in cujus superficie interiore, avulsæ reliquiæ papillarum cutanearum comparent.

No. XIII. Portio corporis reticularis, supra cutim sita, idque ex Balæna.

Not. In ea foramina admodum esse capacia, corpusque reticulare valde crassum, in hoc animalium genere.

No. XIV. Phiala in liquore conservans infantis, octo præter propter menses nati, dentes molares aliquot, cum eorum contento molli.

No. XV. Infantis officula auditus in liquore sita.

No. XVI. Testiculus humanus dissolutus, id est ita præparatus, ut vascula, semen conficientia, à se invicem recesserint, ut eo distinctius videri possit, testiculorum constitutionem neutiquam esse glandulosam, sed vasculosam.

No. XVII. Oculus humanus liquori innatans.

Not. 1. quod naturalem retinuerit formam rotundam.

2. Musculi ab oculo dependentes, naturali colore rubicundo præditi sunt.

3. Quomodo arteriæ & nervi perambulent superficiem nervi optici, sensui hic obviam fit.

4. De hocce oculo mentio facta in Respons. Epist. Probl. 13. ubi fol. 13. hæc leguntur verba: *Sub hac expansione tendinea videndam sese exhibet Tunica Sclerotica, quæ tertia est, & admodum dura, crassa, atque opaca. Hujusce pars anterior, Cornea audit, quæ pellucida, diaphana, & transparentis est, veluti cornu politum, estque in aliquibus aliquantò convexior, non autem in omnibus. Per dictam Tunicam mihi videre videor plurima vascula nova, secundum longitudinem decur-*

*currentia, quæ neque sanguiflua, neque lymphatica esse reor, (quantumvis lymphaticorum æmula sint) quia in totum cum iis non conveniunt. dixi, quod mihi videre videar, quia tanta in re haud libenter aliquid proferrem, nisi certissimus factus &c.*

Nº. XVIII. Portio Scleroticæ, cui adhærent muscoli oculares, ut & arteriæ, per musculos diffeminatæ.

A S S E R Sextus.

Nº. I. **P**Ueri ren bissectus, ut interiora conspici possint.

Not. 1. Aliquot ex papillis renalibus à me sunt bissectæ, nonnullæ quoque illibatæ, ut, quicquid in illis considerandum est, lustrari possit.

2. Variis locis tubuli pelvis non solum, verum etiam ductus urinarii Bellini luculenter in conspectum veniunt; circa quos consideratu dignum censeo, quod omnes dicti ductus Bellini ceræ materiâ quoque sunt repleti. Simul ac infarcirem arterias renales, (& hoc mihi jam semper contingit,) infarciebantur quoque ductus Bellini omnes, imò Tubuli renales, nec non pelvis ipsa; unde conicere haud absurdum est, ductus Bellinos, sive urinarios, continuationes esse arteriarum renalium, sive circa utriusque extremum aut secus. Nemini autem arduum videbitur, quod dixi, me *conicere* ductus Bellinos continuationes esse arteriarum renalium, modo consideret, quod nemo hætenus inter arterias spermaticas, & vasa semen conficiencia, testiculosque constituentia, ullam glandulam demonstrare valuerit, neque ullam glandulam interpositam esse inter ductus vermiculares supradictos, & arterias uterinas. Præterea corticalem cerebri substantiam ex meris vasculis sanguineis constare, luculenter demonstrare valeo, cœlò serenò: ne dicam de hepatis & Lienis constituto vasculoso, non autem glanduloso. Itaque hisce bene consideratis, haud arduum fore existimavi, quod dixi, & dubitanter proposui dictorum vasorum continuationem. Interim omnes vires intendere animus est, donec hujusce rei certior factus omne dubium superem.

Dixerit forsan aliquis, Cl. Malpighium descripsisse suas glandulas renales, forma rotundas, imò & diaphanas, easque reperiri in dorso renum, &c. Resp. me non ignarum esse, paucas reperiri particulas rotundas, & diaphanas in rene vitu-  
li-

lino, magnitudine ovulorum piscium, microscopio visas; verum enimverò perpaucae sunt, respectu totius visceris, easque nondum in dorso, sed in renis medio offendo. Utrum autem tales particulæ diaphanæ dicendæ sint glandulæ, nec ne, anceps hæreo.

Ultimò considerandum vasorum sanguineorum renalium extrema, mirum in modum esse contorta, sicuti Tab. 6. fig. 7. Thes. 2. indicat, neque hoc frustraneum est, sed potius existimandum, segregationes, quinimo confectiones humorum in corpore nostro, dependere à configuratione, ut & diversitate substantiæ extremitatum Vasorum, quæ, ut supra innui, consideratione digna est. De hisce fusius in descriptione sequentium Thesaurorum, ubi integros renes æri curabo incidi.

No. II. Hominis utraque palpebra, in quibus præter foramina, in limbis existentia, ut & ea, quæ puncta lachrymalia audiunt, nova quædam apparentia visui sese offert; ast nondum mihi satisfacere possum, quid sibi velit.

No. III. Phiala oculum humanum continens, cujus arteriæ sunt repletæ materia cerea: & sic Scleroticâ ademptâ, conspiciendam sese exhibet Choroidea, exiguo foramine pertusa, ut vitreus humor in conspectum veniret, qui naturâ limpidus & transparentis, in hoc objecto opacus & albidus apparet, idque à liquore, cui innatat.

Not. 1. Tunicæ Choroideæ Vasculis arteriosis cera rubra repletis, luculenter sese videndos exhibent nervi ciliares albicantes, & per superficiem exteriorem Choroideæ reptantes.

2. Ruyschiana hic non apparet, utpote Choroideâ non satis apertâ aut laceratâ.

3. Nervi & arteriæ, per superficiem tunicæ exterioris nervi optici dispersæ, videri hic quoque possunt.

No. IV. Phiala liquore referta, in qua nobis occurrit foetus humani os petrosum, à seta dependens.

Not. 1. Dictum os in duas partes esse divisum, sc. in os petrosum, stricto nomine ita dictum, & in squamosum. quicquid autem in singulis ossibus incurrit in oculos, hic videri potest.

2. Ossis petrosi capsula, (quæ pars interior est, nobisque obvia pone membranam tympani) tenuissimâ membranâ est succincta, quæ visum nostrum fugeret, nisi arteriolæ per eam difseminatæ, & cerea materia rubra repletæ, ejus existentiam nobis manifestarent.



3. *Officulum*, *Stapes dictum*, in situ naturali, sc. in foramine ovali hæret, estque obvelatum seu amictum membranulâ tenuissimâ, arterioliis quoque instructâ.

4. *Foramen rotundius* in dictâ capsâ, quod viam præbet cochleæ, hic quoque non solum apparet, verum etiam membranula dicti foraminis limbum, ut & cochleæ cavitatem, nec non ejus septum osseum, investiens.

In altera ossis petrosi parte, sc. osse temporum, fetæ quoque adhærente, sequentia lustrantur.

1. *Membranam Tympani* geminam esse apparet, præter involucrum extimum, quod in foetu humano invenitur, & tympani membranæ cohæret.

2. *Exteriorem tunicam* sive lamellam separabilem esse ab interiore, quemadmodum in oculis, Ruyschiana à Choroidea.

3. In hoc objecto exigua portio lamellæ exterioris separata est ab interiore, in aliis autem objectis, postea describendis, maximam portionem separavi.

4. *Pellicula exterior* innumeris arterioliis repletis superbit, quibus interior hic destituitur, forsan quia non sunt repletæ.

5. Hancce membranulam Tympani nusquam hic foramine esse pertusam aut perforatam, sed ubique in ambitu ossi orbitali connatam.

6. Quomodo *Incus & Malleolus* sibi invicem cohæreant, & quo ritu malleolus affigatur membranæ tympani, hic videri potest: suntque dicta officula periostio quoque obducta, per quod arteriolæ visuntur dispersæ.

7. *Quartum officulum* auditus, stapedis parti superiori annexum, distinctissime hic lustrari potest, & quod magis est, arteriolæ repletæ conspici possunt, in membranula quartum officulum investiente.

Nº. V. *Portio maxillæ superioris* ex infante, in qua luculenter videri potest, dentes pueriles, ante indurationem osseam aut lapideam, colore & substantiâ contare diversâ. exterior enim albicat, sequens coloris est cartilaginei, tertia & intima, quæ cæteras copiâ superat, mollis, & plurimis fanguineis vasis prædita.

Nº. VI. *Portio funiculi umbilicalis Hippopotami* cum annexa portione Chorii, innumeris globosis corpusculis referti; & ea æquant magnitudinem ciceris, lentis, & nonnulla capitulis aciculæ majoris; qualem autem habeant usum, nondum expiscatus sum.

No. VII. Pueri portio Nasi, secundum longitudinem dissecti, ut septum narium ejusque involucra in conspectum venirent.

Not. Septò suis integumentis adhuc investitò, conspicendum sese exhibet in utroque latere ductus peculiaris, per quem Mucus excernitur. In uno latere indidit fetam, ut intuenti statim sese manifestaret. Sed de hoc alias plura.

No. VIII. Infantis pia mater liquori innatans, adeoque tenera ac subtilis, ut vix præter vasa sanguinea aliquid membranosi appareat. Videtur enim fere ex meris Vasculis sanguineis constare, quæ ope alicujus substantiæ membranosæ suo continentur loco, ne inter se confundantur. Hoc demonstrari non potest, nisi arteriæ ad finem usque sint repletæ materiâ cereâ rubrà. hoc enim factò, quicquid arteriosum, aut venosum rubedine perfusum est, & quod restat membranosum esse constat.

No. IX. Phiala in cujus liquore duo conservantur objecta. horum primum & minus, duæ sunt palpebræ humanæ, quarum arteriæ sunt repletæ, unde rubedinem induerunt.

Alterum quoque duæ sunt palpebræ humanæ, quarum arteriæ haud repletæ sunt. In iis videre licet puncta lachrymalia, & in marginibus oscula notissima rivulorum, humori viscido & duro hic repleta.

No. X. Phiala continens duos oculos humanos transversim sectos, in quorum cavitate luculenter lustrari potest Tunica retiformis, medullosâ substantiâ obsita. huic proximè adjacet Ruyschiana, pigmento nigro obducta.

No. XI. Phiala, in qua duo objecta visuntur, quorum alterum, à capillo dependens, oculus est infantis, transversim sectus.

Not. 1. In Portione reticulari è fundo oculi emergente, notandum, Vascula sanguinea tota esse repleta ad extremitates usque, & hoc factò, dicta reticularis seu retiformis videtur constitutio ex vasculis sanguineis, quæ, per membranosum quid, suo loco detinentur: medullosum autem in hoc objecto vix perceptibile, in aliis autem fatis evidens.

2. Arteriolæ Ruyschianæ Tunicæ hic sunt repletæ, & quam diversæ sint reptatu ab arteriis Choroideæ, hic cerni quoque potest.

3. Ligamentum Ciliare neutiquam muscutorum munere fungi, sed verò ejus processum, fatis evidens quoque est in hoc ob-

objecto. Vide quoque Tab. 1. Fig. 4. 5. & 7. Thef. 2.

4. Ruyschianam Tunicam pertingere ad finem ligamenti Ciliaris, oppidò quam bene hic cerni potest.

Alterum objectum in fundo Phialæ positum, posterior oculi pars est, cujus arteriæ ita planè sunt repletæ, ut tandem extravasatio sit facta, & hoc facile fit, si minus caute peragatur negotium illud.

Nº. XII. Portio arteriæ splenicæ vitulinæ repletæ, cujus extremitates fasciculatim sunt dispositæ.

Nº. XIII. Portio substantiæ corticalis cerebri humani, in qua luculenter demonstrari potest, dictam substantiam nil esse, nisi congeriem extremitatum vasculorum sanguineorum. Eum in finem cera rubrà replevi dictas extremitates, & liquori limpidò indidi, ut à se invicem non nihil recederent. nisi enim hoc ita fit, impossibile est veritatem hujus rei expiscari. Vid. cætera super hac re Resp. in Epist. Probl. 12. ubi figuras addidi.

Nº. XIV. Hominis utraque Tonsilla, cum intersita uvula. Quam cellulosæ sint tonsillæ, quot & quantæ aperturæ, fauces spectantes, idque sæpe in statu sano, hic videri potest.

Notandum interim hæc aperturas evidentius in conspectum venire, in tonsillarum tumefactione, id quod Chirurgis, in Anatomia minus versatis, sæpissimè imposuit, existimantibus, cum viderent hæc aperturas, tonsillas esse exulceratas, cum contra dictæ aperturæ naturales sint, eo tempore tantum magis hiantes.

Nº. XV. Sclerotica humana reflexa, è cujus medio portio reticularis emergit.

Nº. XVI. Oculi humani utraque palpebra, in quibus foramina aut oscula in limbis existentia, ut & puncta lachrymalia lustrari possunt.

LOCULAMENTUM, sub dicto Thesauro secundo, continet Arcas aliquot quadrangulares ex ligno Cedrino confectas, quarum

A R C A P R I M A

sequentia continet.

Nº. I. Portio est cutis infantis, cujus arteriis cera rubra repletis, rubedinem induit cutis.

Not. Vasculorum dictorum extremitates reptatum habere diversum à subjectis, jamjam indicandis.

N<sup>o</sup>. II. Præterea continetur in dicta arca, portio exterioris Tunicæ uteri vitulini, in qua visuntur arteriæ, cereâ materiâ rubra repletæ, quarum reptatus & numerus longe differunt à cutaneis.

N<sup>o</sup>. III. Portio Membranæ Chorii foetus Vitulini, cujus arteriarum extremitates materiâ cereâ flavâ tam accurate repletæ, ut intuentium oculos alliciant.

N<sup>o</sup>. IV. Portio ejusdem membranæ, ramis majoribus instructa.

In ARCA Cedrina secunda reperiuntur sequentia.

Not. I. Superior pars cranii foetus humani integumentis omnibus ademptis, ut in conspectum veniret fontanella membranacea.

Not. I. Dictam fontanellam scatere arteriolis repletis, quæ neutiquam conspici possunt, nisi præmissa repletione.

2. Foetus humani ossa cranii conjungi membranarum ope, non autem per futuras, hic quoque cerni potest.

3. Dictas membranas esse pericranium & duram matrem, hic constat.

4. In infante vivo, dicta conjunctio in superiore parte non est per mutuum contactum ossium, aut per futuras, sed ad distantiam quandam, prout hic videre est.

5. Hæc autem distantia est vel major, vel minor: semper tamen aliqua reperitur, id quod autores omnes non observarunt in suis figuris; eo magis, quia dicta distantia, in vulgari sceletopœcia foetuum, non invenitur. cum enim ossa foetus exsiccantur, naturalis distantia non conservatur, nisi gossypii ope, quo totum caput osseum eo usque replendum, ut nullo modo ossa ad se invicem accedere possint in exsiccatione.

6. Os frontis geminum esse in foetu humano, hic videri potest.

N<sup>o</sup>. II. Superior pars cranii infantis, in qua supradiçta distantia omninò abolita; fontanella membranacea verò, quæ semper ad tempus adhuc reperiatur, hic videri potest.

Not. I. Fontanella dicta non præcise clauditur anni spatio, verum citius, aut tardius, secundum corporis dispositionem, & prout ossificatio magis vel minus est vegeta.

2. Dicta pars cranii pericranio est amicta, cujus arteriolæ sunt repletæ cera rubrà.

3. Eadem materia quoque repletus est sinus falciformis seu longitudinalis.

Nº. III. Pars cranii superior foetus septimestris instructa cute.

Not. 1. Cutis auferri potest ab osse, quia seorsum est excicata: & sic datur occasio interiorem cutis superficiem lustrandi, cum suis vasis sanguineis, utpote repletis.

2. Cutem humanam tot scaterere vasis sanguineis, ut iis omnibus repletis, tota cutis rubicundissima sit, hic patet.

3. Dicta cutis scatet quoque capillis nigris, quantumvis foetus sit septimestris.

Nº. IV. Superior pars cutis capitis infantis obesi, in qua videre licet, non solum in sincipite obesiorum hominum, pinguedinem copiosam reperiri, verum etiam in fronte, contra nonnullorum opinionem. Cutis dicta admodum quoque pilosa.

In ARCA TERTIA Cedrina reperitur Tunica Chorion dicta, è vitulo.

Not. Arterias cereâ replevi materia, eaque non tantum rami majores, & minores sunt oppleti, verum etiam ramusculi tam exigui & subtiles, ut, averfa luce visi, maculae tantum esse videantur: microscopiò autem adhibitò, distinctè, reperiuntur arteriolarum extremitates esse, quarum reptatus diversus ab eo, qui observatur in Tunicis uterinis.

#### ARCULA QUARTA

Continet humorem crystallinum oculi Ovini, membranula aranea amictum, per quam visuntur dispersae arteriolae plurimae. De hujusce membranulae existentia Anatomici alii aliter sentiunt. quidam illam dari negant; nonnulli ambigunt, alii eandem admittunt; ipse quoque diu anceps haesi, quid de hoc negotio statuerem: verum cum replevissem arterias oculi ovini cereâ materiâ, aperiebam oculum, membranasque perscrutabar, & sic videbam per membranulam araneam plurimas arteriolas dispersas. hoc observato, indidi humorem crystallinum cum sua membranula phialae liquore limpidorepletæ. Die insequente cum novum hoc inventum iterum videre mihi animus esset, nil minus quam arterias videre poteram.

Ratio autem hæc erat. Repleveram, ut dixi, Arterias oculares cereâ materiâ, quæ ad humorem crystallinum usque quidem erat propulsa, verum enimvero ibi quoque substiterat, nec ulterius in arteriolas membranæ araneæ, crystallinum investientis, penetrare potuerat; sanguis autem simul cum cerea

materia ulterius atque ulterius propulsus, ita repleverat dictas arteriolas Tunicae araneae, ut cereae materiae omnis locus fuerit denegatus arteriolas replendi. Cum autem totum illud liquori indidissem, sanguis non solum evanuit, verum etiam per consequens arteriolae subtilissimae oculorum meorum aciem effugerunt. Postquam mihi secunda vice accidit, ut talis repletio in oculos caderet, cautior factus sculptorem statim adii, & aeri incidi curavi, Vid. Tab. 1. Thes. 2. Fig. 8. Notandum autem me dictum humorem cum sua membranula arteriolarum à sanguine rubro repletis, conservare in dicta Arcula quarta, idque extra liquorem. In exsiccatione dicti objecti humor rugas quidem contraxit, verum hoc praecaveri non potuit. Figuram hujus membranulae aeri olim incidi curavi sine vasculis sanguineis, quandoquidem eo tempore ea nondum detegere potui, ob instrumentorum ruditatem.

### A R C U L A Cedrina quinta

Instructa vagina è corio infantis confecta, in qua conservantur culter & furca, quorum manubria sunt confecta ex ossè Tibiae humanae, in quo nulla cavitas à me fuit reperta, id quod rarissime, si unquam, contigit.

Not. 1. Dicta manubria sunt albissima, parte ferro proxima, aurato cingulo obducta.

2. Corium infantis rubicundum apparet, praecopia arteriolarum repletarum, quae in praeparatione corii ceream materiam rubram haud amiserunt, id quod visu jucundum.

In ARCULA Sexta, ex ligno juglandis confecta, reperitur portio arteriae splenicæ vitulinae excarnis, uti vulgè loquuntur, id est, destituta omnibus suis extremitatibus succosis.

Not. 1. Dicta arteria repleta est cerea materia flavâ, & omnibus ramulis minoribus instructa; extremitates quoque subtilissimae sunt, & conservatae ad succositatem usque.

2. Quam difficile sit omnes ramulos proprio suo loco detinere, & ramulum supra ramulum conservare, & ita exsiccare, ut extremitates simul conserventur, norunt illi, qui sese huic negotio applicant.

ARCULA septima, ex ligno Indico confecta, continens intestinula foetus ovini immaturi, cerea materia alba repleta, nitidissime praeparata, & conservata. Not.

Not. Dicta intestinula, mesenterio cohærentia, proprium retinuerunt locum. Arteriæ per mesenterium dispersæ cerea materiâ flavâ sunt infarctæ, & ut gratiam majorem conciliarent visui, imposui dicta intestinula serico nigro villoso.

In ARCULA octavâ reservantur calculi equini per alvum excreti. Vid. Tab. II. Thef. 2. Fig. 4. 5. 6.

Quantumvis inter medicos reperiantur, qui assentiri nolint calculos per alvum excerni, veritati tamen consentaneum esse, nullus dubito, quandoquidem expertus sum mulierem Judaicam, inter cætera mala, fluore uterino, colica stomachi &c. laborantem, post usum hausti purgantis, ab Expertissimo Viro D<sup>o</sup>. Rocamora, qui curationi præfuit, præscripti, calculum per alvum rejecisse ingentem, quem mihi demonstraverunt agræ maritus & confanguinei.

Clar. Dominus Nicolaus Venette, in tractatu suo de calculo, nunquam satis laudando, varia quoque proponit exempla calculorum, per alvum rejectorum. Præterea variæ existant Historiæ apud Cœterum, Scaligerum & alios Scriptores, statuentes calculos per alvum esse rejectos.

Hic autem B. L. Tibi ostendo calculos equinos, per dictam viam exoneratos, quos mihi liberaliter inpertivit D. M. G. Blok, Med. Doct. expertiss. & in perscrutandis naturæ latebris maximè industrius, addita historiola insequente.

*Hujusmodi Calculi No. xxxvj, diversæ magnitudinis, inter sex septimanarum spatium, per secessum ejecit equus in stabulo Imperatoris, quod Viennæ est, Anno 1698. Equus de cætero bene habuit, quantum ex functionibus ejusque appetitu dijudicare potuerunt illi, qui ejus curam habuerunt. Hosce duos Calculos stabuli præfectus dono dedit Nob. Do. Wildebrand, tunc temporis R. M. Sueciæ à Secretis apud aulam Cæsaream, nunc eidem Majestati à Secretis, apud P. P. Ordines Fœderati Belgii, Hagæ Comitum. Prædictus Dom. Hildebrand refert quendam Medicum Viennensem expertum fuisse virtutem horum calculorum Bezoardicam, in majori tamen dosi.*

Consideratione dignum esse censeo, quod fracto à me calculo majore, in ejus medio invenerim granum avenæ, quemadmodum in lapide Bezoardico frustum ligneum, vel simile quid invenire solemus.

## T A B U L Æ P R I M Æ

## Explicatio.

**F**IGURA I. Oculum Balænæ denotat, qui ita dissectus, ut Tunicæ Scleroticæ haud solum, verum etiam Ruyschianæ & Choroideæ constitutionem conspiciere possimus.

A. Scleroticæ crassities prope nervum opticum.

B. Ejusdem tenuitas à latere pupillæ.

C. Retinæ portio.

D. D. Portiones duæ choroideæ, facie exteriori visæ, reflexæ, & à Ruyschiana avulsæ. per hanc autem faciem densa series vasorum sanguineorum est disseminata.

E. Choroideæ portiones duæ, à Ruyschiana ita avulsæ, ut parte inferiore cum illa adhuc cohæreant, unde ea facie videntur, quæ connata fuerat Ruyschianæ. Notandum interim, per hanc dictam faciem, vasa supra citata minus esse visibilia, quam per faciem anteriorem lit. D. D. indicatam.

Asterisus \* denotat Ruyschianam tunicam, quæ in Balænc pyri crassioris obtinet crassitiem.

**FIG. II.** Balænæ oculum repræsentat secundum longitudinem bisectum.

A. Retina.

B. Choroidea, cui facie interiore Ruyschiana connata.

C. Sclerotica.

**Fig. III.** Geminæ palpebræ potiores portiones exhibet ex homine.

A. Cilia.

B. B. Oscula ductuum, per quos humor quidam excernitur.

C. Puncta lachrymalia.

D. Glandulam lachrymalem, in qua varia foramina, seu oscula hiantia cernuntur.

**FIG. IV.** Corneam humanam, facie posteriore visam, repræsentat, in qua videnda sese exhibent corneæ margo, ligamentum ciliare, processus ciliaris, circulus Iridis minor, & pupilla.

A. Ligamentum ciliare.

B.



Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 4.




Fig. 7.




Fig. 6.




Fig. 5.




Fig. 8.




Fig. 9.



C. Hüberts, ad. vivum. Sculpsit.



B. Processus ciliaris musculosus.

P. Circulus minor processus ligamenti ciliaris, in quem definiunt tendines processus ciliaris. Dicitur circulus minor processus ciliaris, facie anteriore visus, nuncupatur à me *Circulus minor Iridis*; Iris enim est facies exterior, processus lig. ciliaris, facies interior.

De. Pupilla.

E. Corneæ margo.

FIG. V. Exhibetur processus ciliaris musculosus cum ejusdem tendinosi fibris &c. Notandum interim, hanc figuram esse factam, ope microscopii, unde naturali magnitudine multis numeris auctior facta.

A. Tendinosa substantia processus ciliaris.

B. Musculosa ejusdem substantia.

C. Circuli minoris fibræ circulares, pupillæ constrictioni destinatae, quas sculptor hic justo distinctius representavit, nam in objecto ipso non ita luculenter visuntur.

FIG. VI. Ostendit oculum Balænae transversim bisectum.

A. Sclerotica, cujus crassities admiranda.

B Sclerotica, cujus crassities hic quidem videtur diminuta, sed Choroidea ita propullulat extra Scleroticam, ut ejus vera crassities videri haud possit.

C. Choroidea.

D. Vasa fanguinea per choroideam dispersa.

E. Arteria Choroideam integram ambiens, è qua rami emergunt innumeri, sursum repentes.

F. Iridis circulus minor. major autem asterisco \* notatur.

G. Pupilla.

FIG. VII. Cornea vitulina adumbratur, facie posteriore visa. In ea omnia majora apparent, quam quidem in homine.

A. Corneæ margo.

B. Ligamentum ciliare.

C. Processus ciliaris.

D. Circulus minor processus ciliaris, per quem densa serie, & raris quidem tramite, decurrunt tendines processus ciliaris.

E. Pupilla.

FIG, VIII. Demonstratur humor crystallinus, vitulinus, cum ejusdem membranula ambiente, aranea dicta, per quam plurimæ sunt disseminatae repletæ arteriolæ.

F

FIG.

FIG. XI. Humor crystallinus è Balæna fese videndum exhibet. Hujus, ut & oculi, exilitas admiranda, si ad corporis molem conferantur.

## TABULÆ SECUNDÆ

### Explanatio.

**FIG.** Vesicæ humanæ inversiæ portionem maximam exhibet. hujus superficies interior jam exterior facta, innumeris excrescentiis membranosis & ramosis prædita est, ob calculi, quo laboraverat aeger, attritionem.

- A. Vesicæ crassities prodigiosa, id quod calculosis fatis familiare.
- B. B. Excrescentiæ ramosæ & membranosæ.
- C. Vesicæ fundus, sine ullis excrescentiis, utpote à calculo non læsus.
- D. Superficies Vesicæ exterior, quæ ab inversione interior facta.

FIG. II. Demonstratur mulieris, utero gerentis, portio Vesicæ, cujus fibræ undique obsitæ sunt arenulis minutissimis.

FIG. III. Portionem hepatis Hydropici exhibet.

- A. Superficies, ob cellulosam constitutionem admodum inæqualis facta.
- B. Cellulæ, aut vesiculæ, limosam substantiam continentes; adeò numerosæ, ut hepar totum, quantum est, ex hisce constet.

FIG. IV. Exhibetur calculus equinus minor per alvum rejectus.

FIG. V. Demonstrat portionem calculi majoris per alvum ejusdem equi rejectam, quæ ferræ ope partim, partim quoque vi in duas partes fracta in ejus medio foveola reperitur, quam granum avenæ, in intestino hærens, formavit, dum calculosâ substantiâ obduceretur avena.

- A. Lamellæ calculosæ variæ, ex quibus constituitur portio calculi exterior.
- B. Substantia calculi interior, in qua lamina minus viibiles.
- C. Foveola ab avena producta.

FIG. VI. Alteram partem dicti calculi exhibet, in qua granum avenæ, post disruptionem, remansit.



Fig. 2.



Fig. 4.



Fig. 5.




Fig. 6.




Fig. 3.



Fig. 2.

C. Siegherts, ad. vivum sculptit.





Plac. 2.

TAB. III



C. Huyborts. ad vivum sculptit.






Fig. 1.



Fig. 2.





Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 5.



C. Huiberts, ad vivum sculptit.

A. Portio à ferra læsa.

B. Portio vi fracta.

C. Granum avenæ in calculi medio hærens,

Not. interim Nob. Domin. Blok hanc partem secum abduxisse, ita ut una tantum pars in hoc meo Thesauro reperiatur.

T A B U L A III.

**H**ydrocephalum exhibet sex aut septem mensium, cujus caput prodigiosæ magnitudinis est.

Inter manus & caput Placentæ portionem posui, ut caput liquori innatans in Phialæ medio detineretur; estque dicta portio placentæ ruditer delineata, quia mihi animus non erat placentæ veram constitutionem hoc loco exhibere; hanc autem reperiet B. L. Tab. VI. Fig. 2. hujus Thes. secundi.

T A B U L A IV.

**Q**uinq̄ue Figuras demonstrat cujusdam substantiæ heterogeneæ, membris copiosis multorum foetuum, trium præter propter mensium, onustæ, & in lucem editæ, paulò post foetum Hydrocephalum supradiçtum, idque ex eadem muliere.

FIG. I. Portio substantiæ heterogeneæ membris dictis onusta exhibetur.

A. Os femoris durum, carne & perioostio denudatum.

B. Digitus singularis vel pedis, vel manus, id quod non bene discerni potest.

C. Patella cartilaginea, circa genu alterius ossis femoris sita.

D. Genu cartilagineum.

E. Pes.

F. Manus, cujus digiti imperfecti, & male conformati.

G. Pes alter.

H. Manus perfecta.

I. Duo digiti minus perfecti.

FIG. II. Majorem molem supradiçtæ substantiæ, membris variis instructam, ostendit; nec non foetum ejusdem ætatis, Thorace & capite substantiæ supradiçtæ ita intricatis, & connatis, ut neque Caput, neque Thorax conspici possint.

- A. Duo crura, male conformata & tortuosa, quibus associatur
- B. Brachium incurvatum, cum annexa manu.
- C. Pes è superiore parte hujus substantiæ emergens, neque ullum commercium cum prædictis habens.
- D. Corpora subrotunda, membranacea, cartilaginea, cellulosa.
- E. Fibræ, aut vascula sanguinea; id quod discernere nequeo, utpote non repleta materia cerea.
- F. Membrana magna, limosâ materiâ referta.
- G. Abdomini analogum quid, è cujus medio, parte inferiore, propendet peni simile quid.

FIG. III. Minorem portionem substantiæ prædictæ exhibet, è qua emergit,

- A. Femur unius foetus trium fere mensium.
- B. Ossa Tibiæ & suræ alterius foetus, quæ carne & perioostio denudata, situm transversum occupant.
- C. Pes extremus ejusdem foetus, ut videtur, paululum tamen à dictis ossibus suræ & tibiæ separatus est. Sub dicto pede extremo apparet adhuc digitus singularis, quem notavi eadem literâ C. peculiari tamen lineâ.
- D. Duo pedes sine tibiis aut femoribus, emergentes è regione dictorum artuum.

E. Tibia.

F. Pes extremus.

FIG. IV. Explicatio, qua exhibetur portio ejusdem substantiæ, sine ullo membro visibili.

- A. Particulæ partim cellulosæ, partim cartilagineæ.
- B. Partes membranosæ.
- C. Vasculosæ particulæ.

FIG. V. Lustratur quoque portio supradictæ substantiæ, è cujus infima parte prodit integrum crus.

- A. Os tibiæ carne privatum.
- B. Particulæ vasculosæ.
- C. Cellulosæ particulæ membranaceæ.
- D. Pes extremus.
- E. Os femoris.




Fig. 2.

Fig. 1.

Fig. 3.







Fig. 4.



C. Kühberts. ad vivum. Schöpfst.







T A B U L A V.

**F**IG. I. Infantis stomachus, cum annexis Gula & Omento, demonstratur.

- A. Gula, cum ejus fibris musculosis longitudinalibus.
- B. Arteriæ per superiorem stomachi partem decurrentes.
- C. Arteriæ per inferiorem partem distributæ, quarum rami majores ceu subito detruncari videntur, cum contra aliæ interiora petant, aliæ verò per Omentum distribuuntur.
- D. Stomachi exitus, seu Pylorus.
- E. Omentum myriadibus vasculorum sanguineorum: nullis autem foraminibus, præditum.
- F. Os superius, seu introitus stomachi.

**F**IG. II. Hominis provectoris ætatis portio stomachi inversi exhibetur.

- A. Plicæ interiores nonnihil prominentes extra superficiem interiorem stomachi.
- B. Pori innumeri.

**F**IG. III. Repræsentat portionem stomachi humani inversi, supra pylorum abscissam.

- A. Locus, ubi plicæ non apparent, sed exiguorum monticulorum rotundorum instar intima superficies propullulat.
- B. Interstitia cellulosa, seu nova apparentia, de qua mentionem feci Fol. 30.
- C. Pylorus.

**F**IG. IV. Portionem stomachi denotat, in qua dicta interstitia cellulosa exhibentur naturali magnitudine longe majora, utpote microscopii ope ita sculpta.

Not. dicta interstitia, in ea parte stomachi ruminantium reperiri, quæ belgice dicitur de *Iraagh*; eaque quadrangularia & admodum capacia esse, vel lippis & tonsoribus notum. In homine verò minutissima sunt, & formâ diversâ.

T A B U L Æ VI.

Explicatio.

**F**IG. I. Portio venæ portæ hepatis vitulini.

**F**IG. II. Portio venæ & arteriæ placentæ uterinæ muliebris.

F 3

F I-

FIG. III. Venæ cavæ , per hepar dispersæ , Ramulus.

FIG. IV. Ramus Venæ portæ humanæ.

FIG. V. Ramus Arteriæ splenicæ vitulinæ.

FIG. VI. Portio tunicæ intimæ uteri ovini gravidi , per quam myriades vasorum novorum lumbricalium visuntur distributæ , suntque illa transparentia , succumque præparantia , pro foetus , in utero hospitantis , alimento.

FIG. VII. Vasorum sanguineorum maxima parte renis substantiam constituentium cursus vermicularis exhibetur.

Not. interim hic nil nisi dictorum vasorum cursum repræsentari. in posterum singulorum ramusculorum extremum distinctius exhibere animus est. singulæ enim extremitates ceu glomum repræsentant; in hepate verò , ut & liene , penicillum.

FIG. VIII. Portio tunicæ chorii vitulini monstratur , cujus vascula sanguinea sunt repleta , ad ultimas extremitates usque.

B. L. hic quidem adspicis ramulos minutissimos , sed verò in objecto ipso , aversa luce viso , dictæ extremitates variis locis mentiuntur maculas.

Præterea consideratione dignum esse censeo , horum vasculorum extremum neutiquam habere reptatum convenientem cum vasculis hepaticis , lienalibus , renalibus , aut placentæ uterinæ.

F I N I S.



FREDERICI RUYSCHII

*Anatomiae & Botanices Professoris*

THE SAURUS  
ANATOMICUS  
TERTIUS.

*Cum Figuris æneis.*



AMSTELÆDAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS. 1724.



VIRO NOBILISSIMO ET CLARISSIMO,

JOS: PITTON TOURNEFORTIO,

BOTANICORUM HUIUS SECVLI

FACILE PRINCIPI,

E REGIA SCIENTIARUM ACADEMIA,

DOCTORI FACULTATIS MEDICÆ

PARISIENSIS,

ET

BOTANICES IN HORTO REGIO

PROFESSORI,

AMICO VETERI,

TERTIUM HUNC THESAURUM.

L. M. Q. D.

FREDERICUS RUYSCHIUS.









# THESAURUS ANATOMICUS

## TERTIUS.

*Ex Ligno Indico variegato confectus sequentia in sese continet.*

**P**Rimò, in fundi medio occurrit Pedamentum ex ligno juglandis confectum, cui imposita rupes artificialis, ex calculis humanis composita, cujus fundamentum rupes naturalis, cui innituntur omnis generis calculi humani, & tanto quidem numero, ut tota rupes naturalis visum aufugiat.

Dieta Rupes magnitudine superat rupem in Thesauro primo figurâ primâ descriptam & expressam. Vide hancce secundam Rupem Tab. I. Thef. 3. quam hac inscriptione exornavit magni nominis Poëta Clarissimus Petrus Francius.

QUID SUMUS, AUT QUIDNAM NOSTRI POST FUNERA  
RESTAT?

ADSPICE: NIL ALIUD, NUDA NISI OSSA, VIDES  
CALCULUS, ET VASTUS LAPIDUM, QUEM CERNIS, A-  
CERVUS,

QUAM SIT VITA HOMINUM PLENA DOLORE, DOCET.  
EXHIBET HOCTABULIS, HOC VERBIS EXPLICAT, URBIS  
RUISCHIUS AMSTELIÆ LAUS, MEDICUMQUE DECUS.

In hujus fastigio sceleton foetus immaturi quatuor circiter mensium cum dimidio reperitur, cujus genua inflexa sunt, capiteque fursum converso, quasi coelum adspicere vellet, manu continet ossiculum carie exesum, & ex osse femoris expulsam, & sic hominum miserias exprimere videtur, eâ inscriptione:

AH FATA, AH ASPERA FATA!

Sub genibus hujus sceleti videre licet ingens calculi humani

frustum, cavitate notabili præditum, in qua continuit alterum calculum, ceu nucleum crassum: Estque dictum frustum calami scriptorii crassitie. Vid. Lit. A.

Interim Not. alios calculos humanos ex lamellis tenuibus, alios contra ex lamellis crassioribus esse compositos, sicuti ex aliis, hanc rupem constituentibus, patet.

Hinc constat Lithotomos nonnunquam male accusari, cum in operatione, quamvis rite peracta, calculi franguntur, id quod in eorum manu non est: si enim calculi ex tenuibus lamellis sunt coagmentati, facillime rumpuntur in extractione.

A latere dicti Sceleti adstat Sceleton trium præter mensuram, una manu gerens tenuissimum Ramulum Arteriosum, ceraceam materiã rubrã ad extremum usque repletum; altera autem tenet fictitiam festucam tenerimam, confectam ex fibris Vesicæ urinariæ cujusdam mulieris, quæ fibræ tot undique à natura sunt obsitæ calculosis arenulis, ut nil fere, nisi Arenulæ calculosæ conspici possint.

Not. interim, quod Vesica urinaria, è qua desumptæ sunt dictæ fibræ, festucam tenerimam constituentes, tota quanta, conflata fuerit, ex ejusmodi fibris calculosis, ita ut integra Vesica, à nobis prima fronte visa, quasi lapidea, aut potius ex arenulis calculosis constituta, mihi videretur.

Hujus Vesicæ frustum satis magnum in liquore Balsamico conservo, ut naturalem conservaret constitutionem.

Dictum Sceleton exiguum festucã suã capitis constitutionem demonstrare videtur, ea enim sinciput tangens eorum Anatomicorum errorem detegere videtur, qui existimant sinciput, ut & cætera capitis ossa, eã ætate, esse cartilaginea, cum contra membranacea sint.

Præterea, in hoc parvo Sceleto luculenter videri potest, quibus in locis, ossea substantia primò visui sese offerat in capite; de his plura in sequentibus.

Ante dictum Sceleton positi sunt tres calculi humani figura, colore & substantia inter se differentes. Vid. Lit. B. C. D.

Sub dictis in conspectum venit calculus humanus ingens Lit. E. notatus, superficie æquali & splendens, colore & forma tam accurate Lapidem Bezoardicum Orientalem imitans, ut difficile foret visu ea discernere.

Sub eo cernere licet duos calculos summopere inter se discrepan-

pantes, ut Lit. F. & G. notant; horum alter à Lithomo extractus superficie est granulosa; alter verò æquali & quasi polita, in qua instrumenti, quo extractus est, vestigium comparet.

Pedamentum supradictum hujus rupis ornatur quoque pone Sceleton supremum, Splene vitulino nitide præparato, cujus Arteria ceraceà materià rubrâ est repleta, & loco Venæ, Sulci luculenter conspici possunt. Quanta autem sit differentia inter Splenem humanum & vitulinum, expressi in Respons. Epist. Anatom. Problem. 4. ad Doctiss. Campdomercum.

Circa Rupis basin cernere licet calculum humanum ingentem & pullum, loco Lit. H. puncto notatum; suntque tales calculi pessimi; observavi enim, quod inter illos pullos calculos, plurimi, (si non omnes) cortices exteriores habeant fragiles; imò successivè quoque frustulatim cum Urina ejiciuntur frequenter ejusmodi calculorum squammæ exteriores, nucleo remanente: cum autem à Lithotomo extrahuntur, rarò ægri vitant Libitinam.

Memini me olim observasse in quodam Juvene, qui sæpe per vias urinarias cortices nigros ejiciebat, imitantes cortices fabarum nigrarum, erantque jamjam per urinam ejecti, molles, & proinde sine magno incommodo aut dolore simul cum urina reddebat, brevi autem lapideam & fragilem substantiam adipiscabantur.

**I. Calculus ingens ex lamellis tenuibus compositus.**

Ad Rupis basin calculus reperitur Lit. K. notatus, prodigiosæ magnitudinis & formæ admirandæ, post mortem à filio meo vesicâ exsectus, componiturque ex senis calculis rotundis, cortice nigricante præditis, quorum unusquisque magnitudine Nucem Moschatam superat; supra hanc compositionem, septimum quoque reperit calculum, qui cum cæteris haud coälitus, at superimpositus erat, eadem cum cæteris magnitudine.

**L. Calculus magnus Moriformis.**

**E** Regione hujus Sceleti reperitur & tertium Sceleton foetus humani quatuor præter propter mensium, manu gerens intestinula foetus Ovini minimi, suntque repleta ceracea materià subnigrâ, meconium repræsentante, mesenterio coherencia arteriolisque repletis instructa: altero autem brachio continet Vasa Testiculorum humanorum Pampiniformia, ceraceà materià rubrâ repleta, hujus Inscripção talis est.

PRIMA, QUÆ VITAM DEDIT, HORA CARPSIT.

Con-

Considerandum circa omnia Sceleta, hanc & cæteras Rupes ornantia, quod nulla eorum fulcro ferreo, ligneo, aut æneo in-nituntur, uti facere solent Anatomici, aſt propriis pedibus in-nituntur.

M. M. Calculi duo combinati, ſupra quos reperitur calculus mediocriſ magnitudinis Lit. N. notatus.

O. Calculus magnus, maximi Mori fructum imitans.

P. — Afpera ſuperficie.

Ante rupis pedem quartum decumbit Sceleton, trium circiter menſium cum dimidio, cujus manu continetur *Hemerobium* Hoefnagelii, quæ *Ephemeriſ* vocatur Dortmanno, diciturque mane eſſe infans, juvenis meridie, veſperi ſenio confici & mori. Itaque ut vitæ noſtræ brevitæ exprimeretur, ejuſmodi infectum manu continet dictum Sceleton, cum hac inſcriptione.

QUASI HERBA SOLSTITIALIS PAULISPER FUI, REPENTE EXORTUS SUM, REPENTE OCCIDI.

Not. officula hujus Sceleti nitidiſſima eſſe, naturali geſticulatione haud neglecta.

Q. Q. Duo ex iſtis calculis angularibus, de quibus facta mentio in Theſ. I. Tab. I. Lit. D. D.

R. R. Duo calculi ſuperficie aſperata, quorum unus ad dicti Sceleti pedes, collocatus, alter vero capitis vertici præpoſitus.

Cæteri omnes aut per vias urinarias excreti, aut poſt mortem Veſica aut renibus exſecti ſunt.

Præterea hic conſpicere licet Teſticuli humani Tunicam Vaginalem, peculiari pedamento innitentem, ſupra pedamentum Rupem dictam ſuſtinens, eſtque dicta Tunica quaſi flatu diſtenta, nec non musculo Crematere, vaſiſque ſanguineis repletis prædita.

Ultimò à latere dictæ tunicæ Vaginalis occurrit quintum Sceleton foetus humani trium circiter menſium cum dimidio, gerens calculum parvum è pulmone humano tuſſi ejectum & a capillo dependentem; cum inſcriptione,

O, QUAM DURA PREMIT MISEROS CONDITIO VITÆ!

Hiſce

## THESAURUS ANATOMICUS III.

Hiscæ omnibus calculis interpositi sunt Rami arteriosi, foliis nudatæ arboris ramos repræsentantes; qui loco sanguinis, ceracea materia rubicundissima artificiose sunt repleti, & calculos inter se continent, rupemque firmiorem reddunt. Quam subtiles sint dictorum ramorum extremitates, ex figura annexa liquet.

A latere dextro dictæ rupis sequentia visuntur.

Nº. I. Phiala in liquore limpidissimo continens brachium & manum foetus humani jamjam nati.

Not. 1. Hoc objectum quantumvis à multis annis conservatum, adhuc vivere videtur, utpote naturali colore rubicundo præditum.

2. Manus, ut & digiti, ita sunt dispositi, ut naturalem actionem repræsentent, qualem formamus, quando indice digito hoc vel illud designamus; Indice itaque extenso, indigitat lamellas Cerebelli humani, cujus substantia medullaris veluti arboris Ramos repræsentat.

3. Ornamenti gratia, ut & averfationem omnem arcendi causa, brachium ornatur manica, ex linteo raro confecta, ornamentoque fimbriaceo instructa.

Nº. II. Fauces, Lingua, ut & portio Maxillæ inferioris infantis nitidissimè præparata & conservata; præbent enim omnia speciem viventium.

Not. 1. Ubi Arteriarum sublingualium trunci repant, & qua via incedant in sinistro latere, oppido quam bene videre licet, suntque eum in finem ceracea m. rub. repleti.

2. Epiglottidis naturalis constitutio, ut & ejus rima, quæ aditus est ad Asperam Arteriam, hic accurate potest conspici.

3. Ad Linguae radicem apparet rugosa quædam dispositio longitudinalis, ut & non solum series majorum papillarum, quæ rotundæ, planæ & foramine circuloque præditæ sunt, verum etiam cæteræ papillæ, quæ tamen in hoc objecto non tam distincte apparent, quam in linguis Thef. 1.

Nº. III. Phiala continens Venam Portæ Hepatis vitulini, cujus succosæ extremitates, non autem prætensæ glandulæ (quæ revera haud extant) sunt ablatae, & sic myriades extremitatum occurrunt ramusculorum.

Not. 1. Dicta vena oppleta est ceraceâ materiâ flavâ.

2. Variis in locis reliqui in dictis extremitatibus succosam sub-

stantiam, quæ non minus eadem ceraceâ materiâ est imbuta, & sic luculenter videre licet substantiam hepaticam nullo modo esse glandulosam: imò existimo, extremitates illas succofas Venæ Portæ illud præstare, quod Glandulis attribuere Veteres. Vide plura de hac re. Thef. II. fol. 27.

Nº. IV. Infantis caput, cujus superiore Cranii parte ablata, Cerebrum in conspectum venit: hujus corticali seu vasculari parte ablata, medullaris sese videndam exhibet.

Not. 1. Oculis clausis dormientis caput repræsentat, colore viventis præditum.

2. Ore aliquantulum aperto, labiisque nonnihil à se invicem deductis, extremitas cuspidis Linguae in conspectum venit, quæ, à tenuissimis & mucronatis papillis lingualibus, luculenter villosa apparet.

3. Latere sinistro Prolabium superius ab involucro destitutum, villosum quoque apparet, quæ villositas, mihi nil, nisi agmen papillarum Prolabiorum; de hisce plura in sequenti.

4. Duum generum pori in Labiorum cute, Gena & Naso videntur; nullæ autem in prolabiis, utpote cute neutiquam præditis; & sic Labiorum à Prolabiis facilius est discretio.

5. Vasa sanguinea Cerebri, in postica parte capitis, numerosissime conspiciuntur.

Nº. V. Pueri Penis cum annexo scroto, naturali colore præditus.

Not. 1. Urethra non per inferiorem, sed per superiorem Penis partem repit, contra naturæ leges: imò ad calculi extractionem ejusmodi objectum foret ineptum.

2. Non solum corpora nervosa, seu nerveo-spongiosa majora, Penis maximam partem constituentia, ut & corpus nervosum minus, rubicundissimo colore sunt perfusa à materiâ ceraceâ rubrâ, quâ repleta sunt, verum etiam muscoli laterales, Penem constringentes, idque à vasorum sanguineorum repletionem. Vid. Tab. 2. Fig. 1. hujus Thef. III.

Nº. VI. Foetus Æthiopiæ sex circiter mensium, dextra gerens ramulum Asperæ Arteriæ à substantia vesiculari, aut pulmonali tam dextre separatum, ut extremitates luculenter appareant; enimverò quanta differentia inter hoc objectum, & figuras ab aliis in lucem editas! Vide Tab. 2. hujus Thef. III.

Nº. VII. Placentula, quæ post Embryonem exclusum, aut

in

in colliquationem redactum, aliquot menses in utero fuit detenta, unde ab uteri insequente contractione & coarctatione (ut ad statum pristinum rediret) valdè induruit, & uteri formam adepta est.

Not. 1. Ejusmodi Placentulæ multoties ad manus meas pervenere, Uterum ipsum repræsentantes. Undiquaque enim clausæ, & non solùm duræ, verùm etiam, nil minus quam placentulæ formam præ se ferebant. Hanc à me apertam hic reservavi, ut facies non solum externa, verum etiam interna in conspectum veniat.

2. Ejusmodi placentulæ vulgò degenerant, & Molæ nomen adipiscuntur, à minus versatis, cum contra ita dictæ Molæ nil sunt, nisi placentulæ supradictæ, aut sarcomata uterina, à tenui pediculo dependentia, quæ utero excluduntur. Vide super hac re observationes meas Anatomico-Chirurg. fol. 74.

3. Phialam, in qua hoc objectum in liquore servo, obturavi, loco Vesicæ, Placentulâ inversa, & repleta ceraceâ materiâ rubrâ; hujus ramuli propullulantes Muscum arborum rubedine perfusum, exacte repræsentant.

Nº. VIII. Phiala, Placentulam humanam, in hydatides mutata, continens.

Not. Placenta constituitur ex meris vasis sanguiferis, Membrana Chorion coherentibus; Hæc vasa aliquando omnia, non raro quoque ex parte degenerant in hydatides, id quod in hepate humano quoque observavi. Vid. Thes. 2. Tab. 2. Fig. 1. II.

Nº. IX. Phiala, in qua portio Cerebri hydrocephali, 8 circiter annos nati.

Not. 1. Hoc malum contraxit (si bene memini) à prima natiuitate.

2. Hæc Cerebri portio in aliud esse videtur conversa, nil enim minus, quam Cerebrum naturale repræsentat, videtur potius substantia hæterogenea simillima illi, quam repræsentavi Thes. II. Tab. IV. Fig. 1. 2. 3. 4. 5.

\* Nº. X. Phiala continens duas portiones Penis Virilis, quarum una taleola transversim, altera secundum longitudinem secta.

Not. Hasce portiones nitidissime, & ita esse præaptatas, ut vera constitutio spongiosa luculenter appareat; nec non septum & meatus urinarius.

Nº. XI. Phiala in qua conservatur Ovum Gallinaceum, portionem intestini Coli, Cæci, ut & ejus progressum vermiformem exactè repræsentans. vid. Tab. 3. Fig. IV. Thef. III.

Nº. XII. Portio intestini Ilei foetus immaturi, cujus vasa sanguinea exinanita, intestini autem cavitas ceracea materia alba repleta est.

NB. Hujus lateri adstant portiones intestini infantis, ceracea materia rubra adimpletæ & asteriscis notatæ.

Nº. XIII. Epidermis totius manus infantis tam artificiosè à subjectis corpore reticulari, & cute separata, ut illibata compareat, & chirothecam repræsentet: conservatur autem, colore albicante in liquore transparente.

Not. 1. Unguiculi omnes Epidermi annectuntur, sicuti in corpore vivo, quamvis à Papillis cutaneis, è quibus ortum ducunt, exactissime sint separati.

2. Epidermem (quæ mihi, nil nisi expansio extremitatum papillarum cutanearum, quemadmodum etiam ungues,) in duas & plures lamellas separabilem esse Anatomici unanimiter quidem autumant; enimverò nusquam, nisi in vola manus & planta pedis illud demonstrare valent. Hic autem in dorso manus idem vobis exhibeo, id quod à nemine hætenus demonstratum mihi videre contigit; imò id non, nisi summa cum subtilitate & dexteritate, fieri potest.

Dixi in vola manus & in planta pedis Epidermem sæpius separari posse ab Anatomicis in duas & plures lamellas (sicuti aliquoties publice demonstravi) hujus vero rei nullam novi causam aliam, quam, quod Epidermis prodiens ex papillarum cutanearum extremitate, suo tempore recedat à corpore reticulari, aut simul cum ea, a cute vera, tanquam vieta & emerita, succrescente nova Epiderme: cum autem nova succreverit, & emerita non recesserit, duplicem, triplicem, imo quadruplicem offendimus Epidermem in vola manus & planta pedis.

Simile quid mihi videre videor, in corticibus nonnullorum fruticum, qui corticem exteriorem suo tempore abjicere solent, novo succrescente, ubi autem exterior à succrescente non recedit justo tempore, duplicatura conficitur corticis exterioris, qui tanquam emeritus, rimas facit & lacerus fit.

3. Epidermem Unguium quidem radices obducere, & tegere, in confesso est; Verum, quomodo res sese habeat circa capil-



capillos & pilos, de eo altum video silentium apud Anatomicos: Idem tamen observo in hisce, ac illis, idque circa capillorum exortum ad spatium aliquot linearum Mathematicarum: Quia autem isthæc epidermis non est inversa, nusquam hic apparet, aut in sequentibus exhibere conabor adjectis figuris.

4. Consideratione dignum cenfeo, quod hic unguiculi facilius separati sint à corporibus papillaribus, è quibus ortum ducunt, quam ab Epiderme, cui adhuc omnes cohærent. Hujus rei rationem esse puto, quod extremitates Papillarum, (quæ simul Ungues & Epidermem constituunt) admodum molles sunt; Epidermis autem tenacior, duriorque ab aëre externo.

5. Epidermem firmiter cohærere unguibus, non solum in hoc objecto denato, & conservato, verum etiam in corpore vivo luculenterprehendimus; succrescentibus autem unguibus, Epidermis unguium radices in sui extremo relinquit, utpote, cui excrescentia ulterius denegata à natura; si autem suo tempore Epidermem haud relinquit, cultelli cuspide solvenda Epidermis, alias rimas agit, unde dolores excitantur, Vide Tab. 3. Fig. 2. Thef. III.

Nº. XIV. Brachium Infantis naturali colore rubicundo præditum, sine ulla ruga: Hujus manus continet Vermem Guinensem, qui hominum pedes summopere infestat, in illa regione, hujus longitudo, ut & gracilitas, considerabiles, conservavitque naturalem crassitiem & colorem dictus vermis; utque manus Vermem contineret,

Digiti tam naturaliter sunt contracti, ut in viva constitutione accuratius quid nemo continere possit.

Dictum Brachium ornatum quoque manicâ ex linteo raro confectâ, cui annectitur ornamentum fimbriaceum & hoc ad arcendam averfationem, & brachii Vulnus tegendum.

\* Nº. XV. Puellæ partes Generationis omnes.

Not. Non solum Vulvæ Labia, Nymphæ & Clitoris in hoc objecto comparent, verum etiam membrana Hymen, quæ, utrum detur, nec ne, sub judice lis olim fuit, hoc autem tempore in Anatomia magis versatis nihil notius esse potest, quemadmodum in hoc ipso objecto distincte quoque repræsentatur.

2. Hic quoque in conspectum venit Anus, rugis contractus.

Nº. XVI. Phiala in liquore limpido continens infantis caput,

rubicundoque colore perfusum, cujus oculi sunt clausi, ut dormientis caput repræsentaret.

Not. 1. In Collo, ubi detruncatum caput, in conspectum veniunt Asperæ Arteriæ, & pone eam, Guiæ, nec non carotidum, & vertebraliū Arteriarum abscissiones.

2. Corpus primæ Vertebræ transversim sectæ rubicundissimum hic comparet, cujus ratio est, quod vascula sanguiflua circumfita materiâ ceraceâ rubrâ sunt repleta, (sicut sanguine in vivis) ex quorum extremitate dicta ceracea materia est effusa, quemadmodum fieri videmus in statu naturali in corpore vivo, tantum succi rubicundi effundi ex extremitatibus arteriosis, in partes alendas, quantum ad sui nutritionem necesse est, qui succus rubicundus, in arteriolarum extremo ex sanguine arterioso elaboratur.

3. Videri hic quoque possunt Medulla Spinalis abscissa, ut & ejus involucrum extimum & crassissimum.

4. Phiala nonnihil inversa, conspicienda sese exhibent Cerebellum, Glandula pinealis, & ita dicti Testes, Nates, nec non Anus.

5. Lamella una atque altera Cerebelli hic repræsentantur, ut vera ejus constitutio appareat, suntque ex alio capite desumptæ.

Nº. XVII. Supra dictam Phialam videre licet Pueri Cor, cum Pulmone, exsiccatum & ligni instar induratum.

Not. 1. Omnia Cordis & Pulmonis vasa sunt repleta ceracea materia rubra.

2. Cor & Pulmonis Lobi naturalem obtinent situm. Arteria pulmonalis è dextro cordis sinu erumpens luculenter in conspectum venit, ut & Arteriæ magnæ truncus cum suis tribus ramis sursum decurrentibus.

3. Nervus recurrens hic quoque sese videndum exhibet, ut & sequentia, sc: Truncus ascendens Venæ Cavæ, utraque auricula, Vasa coronaria, Loborum pulmonis divisio in utroque latere, Gula, Aspera Arteria, &c.

Nº. XVIII. Cor induratum cum annexo Pulmone Infantis pedamento innitens.

In hoc objecto, præter ea, quæ in jamjam descripto visuntur, cernere licet truncum Venæ Cavæ descendentem, ut & truncum ascendentem Arteriæ magnæ, & hoc in proprio situ inter loborum majorum divisionem.

Nº. XIX.

Nº. XIX. Phiala in liquore continens Cutem plantæ pedis, cum corpore reticulari Malpichii, ut & Epiderme, quæ partim à se invicem sunt separata, & à cute dependentia, partim adhuc cuti connexa, ut eò accuratius hæc omnia conspici possint.

Not. 1. In Epidermis portione magna dependente videnda sese exhibent facie interiore, extremitates papillarum cutanearum à potiore parte papillarum avulsæ & propullulantes.

2. Cute à latere visa, in conspectum veniunt Papillarum cutanearum extremitates.

3. Quamvis Cutis sit rubicundissima in hoc objecto, propter vasorum repletionem, corpus reticulare, ut & epidermis nulla rubedine sunt tincta, id quod satis indicare videtur Epidermem & Corpus reticulare vasis fanguiferis visibilibus esse destituta, ita ut hallucinati sint auctores illi, qui dictis objectis vasa fanguifera attribuunt.

4. Dictam Phialam (loco vesicæ) coöperui portione cutis capitis pueri, quæ innumeris scatet vasis fanguiferis.

Nº. XX. Foetus humanus sex circiter mensium.

Not. 1. Nitidissime est conservatus in liquore, sine rugis, colore albicante, dextra continet portionem piæ Matris infantis, quæ millenis Arteriolis est ditata. Vide de hac re ulterius descript. Thef. I. Pag. 53.

2. In dorso gerit portionem magnam Membranæ Amnios foetus ovini, præ copia Vasorum fanguiferorum, præsertim Arteriarum, rubicundissimam.

Inscriptio talis est:

NAVITA, QUO PACTO SÆVIS PROJECTUS AB UNDIS,  
SIC EGO NUDUS HUMI JACUI PUER INDIGUS OMNI  
AUXILIO VITÆ CUM PRIMUM IN LUMINIS ORAS  
NIXIBUS EX ALVO MATRIS NATURA PROFUDIT.

Nº. XXI. Foetus Ovini immaturi Aspera Arteria, materiâ ceraceâ flavâ repleta, & inversa, insitens pedamento, arboremque parvam suis ramulis, artificiose à Vesiculari substantia separatis, repræsentans.

ASSER SECUNDUS.

Nº. XXII. Phiala in liquore limpido continens Pueri colēm:  
cum

cum colliis suis, tam naturaliter condita, & conservata, ut jam-jam à corpore videantur abscissa.

Not. 1. Duo corpora nervosa majora non solum, verum etiam corpus nervosum minus Urethram infra ambiens, ceracea materia à me sunt repleta.

2. Musculi laterales Penem, ubi necessitas urget, constringentes, eadem rubedine, à dicta materia, sunt perfusi.

3. Meatus urinarius, qui inter duo corpora nervosa parte inferiore repit in corpore bene constituto, hic contra situm habet in Penis dorso, per quem iter facit, id quod nunquam antea observavi. Vide Fig. 1. Tab. 3. Thef. 3.

No. XXIII. Phiala in liquore limpidissimo continens partem faciei pueri vividissimo colore præditam, cujus fronte ablata, locus suppletur Arteriis Cerebri, ceracea materia rubra (loco sanguinis) repletis, & tanto quidem numero, ut exiguam sylvam repræsentare videantur.

Not. 1. Nasi, ut & Labiorum Epidermem abstuli, ut pori majores & minores luculenter sese exhiberent conspectui.

2. Prolabia sese invicem attingunt ore sc: clauso. Circa quæ considerandum, cujus sint substantiæ.

Altum enim silentium hic apud auctores, & nemo hæctenus illud nobis revelavit. Cum autem per aliquot tempus occupatus fuisset in explorandis partibus faciei, nova nostra methodo, abstuleram integumentum prolaborum, nullam sub eo cutem inveniens, id quod mihi ansam dabat penitus rem indagandi.

Primo mihi incidebat; nulla subest huic integumento cutis, ergo Epidermis dici nequit, quamvis Analogiam summam & connexionem cum illa habeat. Quid ergo? substantia prolaborum primò ulterius investiganda erat, & sic prolabia ab integumento, ut dixi, denudata, liquori immergebam, ut in posterum accurate examinarem; quid sit? cum paulo post prolabia adspicerem, mihi videbar videre sericum villosum rubicundum, (tale enim mihi videbatur) tandem re penitus examinata, comperi prolabia constituta esse ex merispapillis, non cutaneis, (cutis enim hic revera deest) sed papillis nervosis; itaque integumentum illud supradictum potius Epithelida dixerò, vel integumentum papillare prolaborum, quod revera nil est, nisi efflorescentia seu expansio extremitatum dictarum papillarum; id quod Epidermidi quoque proprium. Hinc illi dolores atroces in

pro-

prolabiorum fissuris ita dictis, ut & excoriatione (ut vulgo loquimur) sed potius recessione integumenti papillaris, dicendum foret.

Hinc difficilis curatio, si prolabia afficiantur ulcere, aut in-crasatione, &c.

Dixi prolabia mihi visa fuisse instar ferici villosi rubicundi; repleveram enim prolabiorum Arterias ceracea materia rubra, iisque repletis, dictæ papillæ rubedinem quoque induerunt, quemadmodum in corpore vivo & vegeto, à sanguinis affusione.

3. Quod prolabia in meis Thesauris nobis occurrant instar ferici villosi rubri, secus quam in corpore vivo, & perfectè sano, in causa est integumenti defectus; eo enim ablato & liquori immerso, dissolvitur papillarum nexus, & sic sese erigunt papillæ, quæ in vivo corpore ab dicto integumento coërentur & deprimuntur, aut inclinantur, quemadmodum arundo, gramina, &c. ab aëre ventoso.

Siquis hoc in corpore vivo investigare velit, eligat tempus æstivum, & quidem in objecto sano & juvenili, adhibito Microscopio; tempore autem hyemali in conspectum sese non dant, & hoc etiam locum habere in papillis cutaneis pollicis, unicuique notum: ne ullum autem dubium superesset in hoc invento, non in uno, sed in multis objectis, à me conservatis, hoc demonstro.

Scias interim velim L. B., prolabia hujus objecti tanta rubedine non esse prædita ac illa, quæ in sequenti quarto, & cæteris Thesauris inveniuntur.

Nº. XXIV. Phiala, continens portionem Arteriæ pulmonalis, materia ceracea flava repletam; suntque ramuli tam numerosi, ut fere incredibile fuerit omnibus, qui hoc objectum viderunt.

Not. 1. Hic ramus Arteriæ, tali artificio & manu tam suspensa, liberatus ab omnibus vesiculis pulmonalibus, nec non ab Arteria Aspera & Vena Pulmonali, ut sine ostentatione dicere auserim, nullum omnino ramum, paucissimos aurem ramusculos tantum esse abruptos. Hanc ramulorum numerositatem nusquam in auctorum figuris expressam inveni.

2. Non solum rami illibati, & ad unum omnes sunt conservati, verum etiam extremitates ultimæ, quæ vesiculis sunt continuæ. Hisce & similibus visis, fatis mirari nemo potest,

hominem per plurimos annos pancratice posse vivere, sine noxa, minimo enim ramusculo, minima cellula, obstructis aut læsis à sanitatis perfectione recedimus, ita ut cum *Apostolo Paulo* exclamare cogamur: *O profunditas divitiarum!* &c.

Nº XXV. Placentæ uterinæ portio magna, eadem supra dicta materia flava repleta, & in liquore conservata.

Not. I. Ne minima quidem Glandula, aut aliquid glandulosi reperitur in placenta uterina, ita ut hallucinati sint omnes, qui hoc statuunt in suis scriptis. Tota placenta constituitur ex vasis sanguifluis, quibus connectuntur membrana Chorion, Amnios, & Funiculus umbilicalis, quibus adde Membranosum noviter à me inventum, quod interiori superficiei placentæ connectitur, quæ affixa est utero: de hisce in sequenti plura, ubi pervenero ad illas placentas, quibus adhuc connexa est dicta membrana.

2. Quanta sit differentia inter vasa sanguinea pulmonalia, iamjam indigitata, & ea, quæ placentam uterinam constituunt, hic oculis lustrari potest: Estque hæc discretio magna, non solum ratione reptatus extremitatum, verum etiam constitutionis.

3. Analogiam habent hæ extremitates cum iis, quæ corticalem Cerebri substantiam constituunt. Vid. Thef. II. Tab. VI.

Nº XXVI. Phiala in liquore conservans portionem Mammæ muliebris morbosæ, tumefactæ & spongiosæ, in cujus medio observabam mollitiem quandam, qua, post extirpationem, liquori immersa, tam numerosa vascula à vinculo dissoluta sese videnda exhibebant, ut tota fere illa portio videretur vasculosa. Hæc & alia ansam mihi dedere Mammarum constitutionem ulterius investigandi, & quid observarim, in sequentibus The-saurorum descriptionibus palam facere conabor.

Nº XXVII. Pueri Thymus, nitidissime præparatus, & conservatus; hujus vascula sanguinea ceraceâ materiâ rubrâ sunt repleta, unde Thymus rubedine perfusus.

Nº XXVIII. Pulmonis humani portio, cujus Arteriæ ceracea materia flava repletæ, & partim à vesiculari substantia separata, ita ut denudatæ visui exhibeantur. Quam difficile autem sit illud negotium peragere, norunt illi, qui manus huic operi unquam admoverunt.

Nº XXIX. Phiala in liquore continens Cerebellum humanum ita induratum, ut casei recentioris instar secari possit.

Not.

Not. 1. Naturalem conservavit colorem, & in omni dimensione sese videndum hic exhibet, sine rugis.

2. Arteriæ innumeræ, ceraceâ materiâ oppletæ, per Piam matrem reptant, & hoc gratiam visui conciliat.

3. Tunica secunda Cerebelli, sc: Arachnoidea, luculenter hic in conspectum venit, motâ enim phialâ undulatim sese visui offert.

4. Principium spinalis medullæ, huic cerebello appensum, & membranis suis nondum destitutum; ita ut occasio hic suppetat videndi utramque Arteriam vertebralem, nec non ubi coeuntes, arteriam cervicalem constituunt.

5. Hic videri quoque potest, quam numerosi sint ramuli arteriosi, qui ex Arteria cervicali prodeuntes, per substantiam corporis annularis disseminantur.

Nº. XXX. Phiala liquore repleta, infantis Mammam continens.

Not. 1. Vivido, & admodum naturali colore, imbuta, conspiciendos sese exhibent pori cutanei, ordine confiti.

2. Papillæ cutaneæ, in ambitu papillæ mammæ, ut & in ipsa papilla denso agmine oculos incurrunt.

Nº. XXXI. Phiala liquore repleta, cui innatat cerebellum humanum nitide præparatum atque conservatum, suntque arteriæ repletæ.

Nº. XXXII. Portio magna Intestini jejuni, ita inversa, ut superficies interior hic facta sit exterior, & sic glandulæ spurix in conspectum veniunt, quæ in dicta superficie propullulant magnitudine capitis aciculæ; præterea vera constitutio jugorum rotundorum, quæ Valvulæ conniventes dicuntur, hic accurate conspici possunt.

Notandum interim, dicta juga in objecto recenti, aut liquore convenienti, visui esse exponenda, non autem in Intestinis inflatis, & exsiccatis, uti facere solent, & ego olim cum illis, Anatomici; mutant enim naturalem essentiam post inflationem, exsiccationemque.

Nº. XXXIII. Portio Cerebri humani, liquori immersa, cujus Arteriolæ sunt repletæ, unde substantia corticalis rubedinem induit, & sic medullari & albicanti infidet, ceu muscus ruber, qui ex solo emergit albo.

Not. 1. Corticalem substantiam neququam glandulosam, sed

vasculosam esse, hoc præsertim apparet in illa portiuncula, qua in fundo phiala visui apparet, ubi arteriolarum extrema in succosam substantiam seu pulpam degenerare, conspiciere licet. Hæc succosa arteriolarum portio extima, neutiquam cavitatem suam relinquit, nam in repletionem nostram, rubedinem æque induit, ac fieri videmus, supra dictam succositatem.

2. Arteriola subtilissimæ repletæ, quæ hic extra corticalem substantiam prominent, maxima parte, propagines sunt Arteriarum carotidum per Piam matrem disseminatarum, quarum extremitates descendentes, tandem in substantiam succosam degenerant, quæ corticalis dicitur substantia, quemadmodum in Liene & nonnullis aliis visceribus. Vide Resp. Epist. Probl. IV. & XII.

3. In supradicta portiuncula cernere quoque licet varias extremitates succotas à se invicem liquoris ope sejunctas; & hoc omnem dubitandi ansam auferet iis, qui invento nostro calculum huc usque apponere denegarunt.

Nº. XXXIV. Portio cutis Plantæ pedis, propter vasorum sanguineorum repletionem, rubicundissima.

Not. 1. Omnes arteriolarum extremitates ultimæ, tam artificiose sunt repletæ, ut nullus fere ramusculus intactus reperitur; corpus autem reticulare Malpighii, ut & Epidermis naturalem reservarunt colorem, unde satis constat, errasse eos, qui autumant & scribunt, per dicta integumenta vasa sanguinea disseminari.

2. Corpus reticulare, ut & Epidermis, maximam partem à cute sunt separata, ut in cute denudata Papillæ cutaneæ in conspectum prodirent, suntque innumerabiles, & nonnihil extra cutem propullulantes; hinc dolores intolerabiles, ubi Cutis plantæ pedis denudata est suis involucribus dictis.

3. Corpus reticulare, cuticulæ cohærens, reflexum hic reperitur, ut corpus reticulare conspici posset, estque coloris dilute flavi, Epidermis contra albicat.

Nº. XXXV. Fœtus Ovini immaturi Ren bissectus, in quo corpus papillare secundum longitudinem renis protrahitur, secus ac in homine: mirari interim subit nonnullos, haud infimi subsellii Anatomicos, ejusmodi renes Ovinos dissecuisse, eosque delineatos nobis obtrusisse, quasi humani fuissent renes, ad quos icones erant sculpti, id quod mihi & aliis olim imposuit.

Nº. XXXVI.



Nº. XXXVI. Foetus humani Os temporum, Membrana tympani illibati instructum, cui Malleus & Incus annectuntur.

Not. 1. Malleus & Incus perioftio investiuntur, per quod cerni potest Arteriolarum reptatus; suntque Arteriola materia ceracea rubra repletæ, sine qua non facile viderentur.

2. Membrana Tympani gaudet reptatu vasorum fanguineorum eodem modo repletorum.

3. Membranam Tympani duplici constare lamella, hic videre licet parte superiore, ubi una lamella ex parte separata.

4. Uterque Mallei musculus, qui Malleo adhuc sunt connexi, hic cerni possunt.

5. Unus ex Mallei musculis rubicundus apparet, propter vasculorum repletionem, tendo autem ejus albicat.

Nº. XXXVII. Infantis Os petrosum, cum annexo osse squammoso.

Not. 1. Membranam Tympani duplicem esse, hic quoque constat, partim enim una lamella est ablata, relicta secunda; ubi autem Os petrosum, à squammoso separetur, hic videre est.

2. Membranam Tympani gaudere vasculis fanguineis, peculiari cursu reptantibus, hic & in modo citato objecto, conspici potest: hunc cursum vasculorum delineavi. Tab. IX. Fig. IX. Epist. Problem. VIII.

Nº. XXXVIII. Placentæ uterinæ portio, in qua nil glandulosi apparet, quamvis hoc statuatur ab Anatomicis: tota enim quanta, vasculosa est, uti hic apparet. Considerandum interim aliquam analogiam reperiri inter hæc vascula, Placentam constituenta, & ea, quæ Cerebri corticalem substantiam conficiunt, quamvis extremitates minus pulposæ aut succosæ in Placenta existant.

Nº. XXXIX. Infantis stomachus inversus, ut rugæ naturales, ut & tunica Villosa conspici possint.

Nº. XL. Foetus humani recens nati Pia Mater, telæ araneæ tenuitate, vasa autem arteriosa innumera, unde licet conjicere dictas arterias alium in usum etiam esse destinatas, quam solummodò ad nutritionem dictæ membranulæ adeo teneræ, imo existimo illud membranofum præsertim inservire, ut vasa fanguinea loco naturali contineantur, ne dimoveantur; Arteriæ autem, ut in sui extremo corticalem Cerebri sub-

stantiam constituent. Dicta vasa sunt repleta ceracea materia rubra ad extremitates usque.

No. XLI. Ren humanus bissectus, ut interiora pateant, liquori immerfus.

Not. 1. Cum replem Arteriam renalem ceraceâ rubrâ, simul quoque replebantur ductus Urinosi Bellini, & hoc mihi ansam dedit dubitandi de Glandularum existentia in Renibus humanis: in brutis quidem non rarò observo corpuscula rotunda, Glandulas miliares æmulantia, verum illa pauca sunt, & nondum mihi persuasum habeo, ea corpuscula veras esse glandulas, ad urinæ secretionem destinatas, quandoquidem in corpore humano ea non satis aperte reperio, sed contra, vasculorum sanguineorum extrema tam mirifice sunt contorta & circumvoluta ut Fig. 3. Tab. VI. Thef. 3. demonstratur.

Has autem circumvolutiones vasculosas, si quis pro glandulis habere velit. Resp. hoc minus caute fieri, quandoquidem Glandulæ authoribus audiunt corpora vel corpuscula per se subsistentia, membranæ peculiari obducta, ad quæ vasa sanguinea alluunt. Si autem præter supra dicta vascula circumvoluta, alia quædam corpuscula rotunda quoque reperiantur in renibus humanis, quod non plane nego, quamvis non satis distincte inveniam; forsan in alium usum erunt destinata.

Dixi supra, cum replem Arteriam renalem hujus Renis, simul quoque repletos fuisse Ductus Urinosos Bellini: Noli autem existimare mihi hoc solummodo contigisse in hoc rene, ast in omnibus Renibus observari, dicta vascula simul repleri, ita ut credibile non sit, hoc ita fore, si ad urinæ secretionem, primo glandulas minutissimas alluere deberet sanguis, ut in hac repletionem nostrâ ceracea materia.

Præterea hic vobis conspiciendos offero Renes, in quibus continuationem arteriolarum cum ductibus Bellini videre licet, & hoc certe irrefragabile argumentum esse mihi videtur.

Quomodo jam sanguis venotus refluat, ubinam Venæ latitem suum refluxum fortiantur, an hoc per Anastomoses invisibiles, antequam in ramusculos exeant Arteriolæ, & in ductus Bellinos degenerant, an omnes extremitates Arteriosæ in ductus Bellinos mutantur, an secus? observare nequeo. Oculi mei non adeo Lyncei, ut hunc nodum solvere queam.

Hoc tantum existimo, haud frustra esse, quod vasa sanguinea

nea tam mirifice hic sint contorta & circumvoluta, ut nusquam reperire sit in toto corpore, ut hic Fig. 2. & 3. Tab. IV. Thef. 3. exhibetur, & domi meæ, coelo sereno demonstro, & sic puto totum illud negotium, quod Glandulis renalibus adscribitur, perfici & dependere à reptatu & constitutione peculiari extremitatum vasculorum.

Consideret quoque B. Lector in Testiculis humanis, nullas reperiri glandulas, totumque opus à vasorum constitutione dependere, idemque observari in noviter à me inventis vasculis Uterinis, succum, foetui alendum aptum, conficientibus, de quibus agere coepi in Thef. 2. ne dicam de chymericis Glandulis Lienalibus, Hepaticis, &c. quarum existentiam nusquam reperire licet.

Considerandum præterea, quamvis hic in Fig. 2. Tab. IV. Thef. 3. circumvolutiones vasculorum sanguineorum, in Renis dorso repræsententur, illas quoque densissimo agmine esse confitas parte interiore, imo ad Papillas ipsas, & hoc sculptor exprimere non potuit, sine obcuratione ductuum, qui in hac figura exhibentur; illud autem distincte repræsentabo, ubi devenero ad Thef. 4. in quo Renes humani bissecti, conditi, & exsiccati reservantur; in quibus luculentissime hoc apparet, & hoc est, quod sæpius dixi, præparata esse conficienda non solum liquida, verum etiam sicca, pro ratione objecti demonstrandi.

Nº. XLII. Phiala continens Foetum humanum, quatuor circiter mensium, decumbentem, loco pulvinaris, supra Placentam Uterinam, estque sexus masculini & coloris naturalis.

Inscriptio talis est:

O MIHI NUNC, OSSIBUS MOLLITER  
QUIESCENTIBUS!

Nº. XLIII. Ren bissectus humanus, ut interiora pateant.

Not. Multis in locis luculentiora apparent varia, quam statui in superiore Rene.

Nº. XLIV. Phiala continens portionem magnam intestini Jejuni humani, ita inversam, ut superficies interior jam facta sit exterior; & sic sese videndas exhibent Glandulæ intestinorum spuria & miliares, nec non juga rotunda, quæ aliis Valvulae conniventes dicuntur.

Nº. XLV.

Nº. XLV. Cerebellum humanum cum annexis inversum, unde principium spinalis medullæ in parte superiore sese videndum exhibet.

Not. 1. Hoc Cerebellum liquori innatans ad visum naturalem conservavit constitutionem, nec in ulla dimensione recessit ad ea, ne colore quidem naturali amisso.

2. Arteriæ omnes hic conservatæ & repletæ sunt ceracea materia rubra.

3. Plexus Choroideus, illæso Cerebello, extra superficiem ex parte prominens, hic in conspectum venit, & hoc in omni Cerebello demonstrare valeo, estque coloris dilute rubicundi, utpote cum Arteriarum extremitate, corpus continuum. Vide super hac re Epist. Resp. meam de Cerebro.

4. Dicitus plexus quatenus extra hemisphærium Cerebelli propullulat, tegitur & obducitur hic membrana Arachnoidea, non autem Pia Matre: an hoc in omni objecto?

5. Tunicam seu Membranam Arachnoideam luculenter hic videre est, ut & quo pacto Arteriæ per superficiem Cerebelli distribuuntur.

6. Arteriæ Cervicalis exortus ex Arteriis Vertebralibus, oppido quam bene hic conspicitur.

Nº. XLVI. Phiala in liquore conservans Mamillam infantis, nitidissime conservatam, in cujus papilla, cutaneæ papillæ luculenter videri possunt.

### A S S E R T E R T I U S.

Nº. XLVII. Phiala sicca continens portionem intestini Ilei foetus immaturi; suntque Arteriolæ Mesentericæ oppletæ ceraceâ materiâ flavâ.

Nº. XLVIII. Phiala continens in liquore Tunicam corneam humanam pellucidam.

Nº. XLIX. Phiala, in qua Testiculus foetus immaturi, per cujus superficiem Arteriolæ visuntur dispersæ, ut & per Parastatam; suntque materiâ ceraceâ rubrâ repletæ.

Nº. L. Phiala liquore referta, in quo natat Testiculus foetus immaturi, cujus vasa præparantia nitide sunt repleta ceraceâ materiâ, ut & vasa per Testiculum & Parastatem dispersa.

Nº. LI.

Nº. LI. Plexus Choroideus foetus humani rubicundissimus propter continuationem & repletionem Arteriarum ceraceâ materiâ rubrâ.

Nº. LII. Ren humanus Atrophia arefactus & magnitudine ita diminutus, ut nil minus videatur, quam Ren hominis adulti.

Not. Translucida substantia lateri annexa, est Pelvis cum portione ureteris.

Nº. LIII. Phiala in liquore continens tunicam Corneam humanam, cum adfito humore vitreo & crystallino.

Not. Humores dicti limpitudinem naturalem amiserunt à liquore, cui innatant.

Nº. LIV. Phiala eodem modo continens Renis Papillam humanam compositam. Vid. Tab. IV. Fig. 6. Thef. 3.

Nº. LV. Portiuncula Epidermidis digiti, cui unguiculus cohæret, superficies autem interior striis longitudinalibus pectinatim dispositis stipata.

Nº. LVI. Phiala liquore limpido repleta, cui innatat Epidermis manus foetus immaturi quatuor circiter mensium, chirotheculam repræsentans.

Not. Omnes Unguiculi adhuc adhærent.

Nº. LVII. Phiala in liquore conservans duo objecta Ocularia; quorum primum summa rubedine perfusum, ob vasorum sanguineorum repletionem, estque postica pars Scleroticæ, Choroideæ & Ruyschianæ, huic annectitur præterea Palpebra superior, cujus superficies admodum quoque rubra, præ copia vasculorum repletorum: sic etiam muscoli Oculares, proprio suo loco hic visuntur, qui non minus rubicundi apparent.

Secundum objectum est Oculus Infantis transversim bissectus & inversus, unde superficies interior jam facta est exterior.

Not. 1. In dextra portione videri potest Tunica Ruyschiana, è cujus medio propullulant reliquiæ Tunicæ Retinæ. In sinistra autem, portio Ruyschianæ non solum, verum etiam ligamentum ciliare cum suo processu ciliari conspicitur.

2. Arteriolas per Ruyschianam dispersas, ramusculos suos impertire Ligamento ciliari, ut & ejus processui; hic cerni potest.

3. Circumferentia nivea extra Ruyschianam, Tunica Sclerotica est.

No. LVIII. Portio placentæ uterinæ, in qua nihil glandulosi demonstrari potest, utpote tota vasculosa. Dicta portio ceraceâ materiâ repleta est.

No. LIX. Phiala continens Vesicam Gliris exsiccatam, in qua duo conspiciuntur calculi minores, qui affectus forsan familiaris Gliribus, quando quidem aliquoties mihi illud videre contigit.

No. LX. Phiala liquore referta, in qua à seta dependet una ex Colli Vertebris, in cujus foramine proprio & maximo hæret Spinalis medullæ portio, cujus substantia interior seu corticalis, rubicunda apparet, propter vasorum sanguineorum, corticalem substantiam constituentium, repletionem ceraceâ materiâ rubrâ: Exterior autem medullaris albicat.

Præterea hic quoque in utroque latere conspiciuntur Arteriæ Vertebrales abscissæ, quæ in foraminibus transversorum processuum vertebraliū hærent.

No. LXI. Lamella aut portio longitudinalis Nasi pueri, ut septum & interiora pateant.

Not. 1. Puerorum septum Nasi esse in totum cartilagineum.

2. Præter involucrum extimum & crassum gaudere septum peculiari membranulâ æque ac Ossâ, quâ immediate obducitur & perichondrium dicitur.

3. In posteriore & inferiore parte dicti septi, quini sexve visuntur sulci obliqui, de quorum usu altum silentium apud autores, attamen frustraneos esse haud existimandum Vid. Tab. IV. Thef. 3. Fig. 5. Lit. G.

4. In uno dente, secundum longitudinem dissecto apparet triplex substantia, extima sc: media, & intima.

5. In anteriore & inferiore parte septi juxta palatum, in utroque latere foramen apparet, seu osculum cujusdam ductus, de cujus usu & existentia nil apud Authores legi: inservire mucu excernendo existimo. Vid. Tab. IV. Fig. 5. Thef. 3. Lit. E.

No. LXII. Phiala liquore repleta, in quo continetur portio Intestini foetus ovini.

Not. 1. Dicta portio curiose repleta est ceracea materia sub-nigra, ut repræsentaret intestinum recens nati, mæconio refertum.

2. Vasa sanguinea per Mesenterium & intestina distributa, sunt nitide repleta.

No. LXIII.

Nº. LXIII. Pilorum aut capillorum, in Omento cadaveris hydropticæ, a me repertorum manipulus.

Not. 1. Quos hic repræsentato capillos, olim descripti & delineavi, nomine Tumoris pilosi in Observ. meis Anatomico-Chir. fol. 23. Tumore autem piloso jam dissoluto & extricato, hic pilos delinearum curavi, ut pilorum longitudo distinctius videri posset. Vid. Tab. III. Fig. III. Thes. 3.

2. Omentum dicti cadaveris erat tanquam carnosum, in quo dictus tumor pilosus repertus est, & digiti crassitiem obtinebat.

3. Tumor erat pugni majoris magnitudine & Atheromatis naturæ, eo enim aperto, primo pultacea materia visui sese offerebat, eaque ablata, glomus pilosus, ceu ex capillis intricatis & firmiter cohærentibus conflatus, nobis occurrebat.

5. Capilli digiti, imo spithamæ longitudinem superant, conveniuntque in totum cum capillis capitis, excepto, quod radicibus mihi videantur destituti. Vid. in Observat. figuram hujus glomi non extricati, & in hoc Thes. 3. Tab. III. Fig. 3. glomum extricatum.

Nº. LXIV. Fœtus hum: recens nati crus, cujus pinguedine in totum deficiente, aurâ replevi omnes cellulas adiposas, crureque exsiccato, cellulosam substantiam, sub cute sitam, lamellatim conscidi, ut cellulæ accurate conspici possint.

Nº. LXV. Cerebrum Ovinum, methodo Willisiana ita liberatum à fibroso & membranoso nexu, ut plurimæ in conspectum veniant particulæ.

Clarissimus Willisius de illa præparatione, ita loquitur:

*Ut Cerebri, ita proprie dicti, Anatome rite celebretur, haud vulgari sectionis modo procedendum esse, existimo; verum ubi totius ἐγκεφάλου calvaria exempti compages coram oculis sistitur, imprimis posterior Cerebri limbus, ubi Cerebello ac Medullæ oblongatæ connectitur, ac membranis undique discissis, aut avulsis, à cohæsiōne cum partibus subjæctis (quantum fieri potest) liberetur; tunc facile constabit, quod Cerebri substantia corporibus istis, haud quaquam unitur, verum per se, nisi quod membranarum nexu superficie tenus conjungitur, ab iis omnino libera ac independens fuerit: Quin etiam hæc Cerebri puppis à vicinis partibus eo ritu divisa, si antè reclinetur, Medullæ oblongatæ crura prorsus nuda, ac à Cerebro & Cerebello (nisi in quibus*

*bus locis hæc illi appenduntur) omnino distincte apparebunt. Porro cum Cerebri limbus à cohæsione solutus elevatur, tres ventriculi, ita vulgò dicti, in unum inane spatium (seu vacuitatem meram è complicatione Cerebri resultantem) evadent, &c.*

Hanc demonstrandi methodum laudabilem esse cum Wilifio existimo, sic enim, uti hoc in Cerebro apparet, sine Cerebri sectione comparent, parte superiore Testes, Nates, Glandula pinealis, Ventriculi anteriores, Crura Medullæ oblongatæ, Processus vermiformis, Cerebellum, Plexus choroideus, Thalami nervorum opticorum, &c.

Notandum præterea, hoc Cerebrum lapidis instar esse induratum sine rugis, colore tamen haud reservato.

Nº. LXVI. Phiala continens in liquore portionem Intestini Coli, cujus vasa sanguinea sunt repleta, quemadmodum etiam ea, quæ per Mesocolon sunt disseminata.

Not. Interim, dictam portionem tam nitide esse præparatam & conservatam, ut videatur jamjam corpori exempta.

Nº. LXVII. Phiala, in qua occurrit Sceleton Aviculæ minimæ Indiæ Occidentalis, Ourussia dictæ.

Nº. LXVIII. Phiala continens in liquore portionem Piæ Matris, cujus vascula sanguinea repleta ad extremum usque.

Not. 1. Vascula dicta tanto esse numero, ut totum objectum ex meris vasculis videatur fere conflatum; membranofum autem perpaucum & admodum tenue.

2. In statu morbofo membranofum Piæ Matris non rarò quoque incrassatum reperi.

3. Si objectum dictum oculis lustretur, sine præcedenti vasculorum repletionè, multò crassius esse nobis videtur; cujus ratio est, quod vascula minima semper inanita nobis occurrunt, & sic concurrere videntur ad Piæ Matris crassitiem.

Nº. LXIX. Placentæ muliebris portio, ceracea materia repleta, idque ad extremitates omnes usque, unde tota illa portio rubicundissima.

Not. 1. Placentam, nullis gaudere Glandulis, imò totam Placentam ex meris Vasis sanguiferis constare, luculenter hic apparet.

2. Quali reptatu extremitates vasorum hic repant, & quam diversus ille sit ab aliis vasculorum sanguineorum extremis, hic oppidò quam benè conspici potest.



3. Ultimæ extremitates tam subtiles sunt, ut tomenti instar nobis occurrant.

4. Si hæc & similia domi meæ inspicere dignetur B. Lector, facile calculum adjiciet assertioni meæ, sc: haud frustraneam esse tantam discretionem extremitatum vasorum sanguineorum, imò totum illud negotium, quod adscripsere Authores Glandulis Placentæ, illud prorsus chymæricum esse, utpote ab illis neutiquam visis, aut demonstratis.

Hiscæ & similibus discussis, quis negabit in confesso esse, perutile orbi literato fuisse extremitatum vasorum sanguineorum investigationem tot annis, tanto labore, & tot impensis à me institutam. Rejiciant itaque laborem meum cavillatores illi, qui nil nisi quod ipsi faciunt, rectum putare solent; ego interim haud desinam in usum publicum persistere in eodem labore.

Nº. LXX. Phiala in liquore continens Os Petrosum, cum annexo meatu auditorio.

Not. 1. Meatus dictus apertus est, ut naturalis situs & constitutio Membranæ Tympani videri queant.

2. Membranæ Tympani situs obliquus in meatus auditorii extremo, ut & Valcula sanguinea per dictam Membranam dispersa, hic luculenter videri possunt.

Nº. LXXI. Principium Spinalis Medullæ, cum annexa portione Cerebelli.

Not. 1. Objectum ovinum esse, & in eo conspici tertium ut & quartum Ventriculum, Glandulam Pinealem, Testes, Nates, duo Crura Medullæ oblongatæ, ut & Processum vermiformem.

2. Hanc præparationem & balsamationem ante triginta annos à me factam, longe differre ab ea, quam nunc in usu habeo. Instar lapidis quidem durum est hoc objectum, verum à naturali constitutione & colore diversum.

Nº. LXXII. Phiala continens portionem Arteriæ splenicæ, ceracea materia rubra repletam, in qua luculenter conspiciuntur extremitates fasciculosæ, penicillo detricto similes. Glandulas autem hic quærere, otium & operam esset perdere.

Not. Variis locis dictæ extremitates angulosæ, imò rotundæ quidem apparent, id quod studio factum, ut repræsentarent Glandulas fictitias, si autem acus cuspide à se invicem deducuntur luculenter abusus apparet.

Nº. LXXIII. Portio Arteriæ Splenicæ Vitul : ceracea materia alba repleta, in qua haud minus distincte visuntur extremitates fasciculosæ.

Nº. LXXIV. Portio Intestini recti hominis, in qua non solum Glandulæ spurix, verum etiam myriades pororum (si ita loqui liceat) conspiciuntur.

Not. Poros tam dense esse confitos, ut ne quidem cuspis acus interponi possit.

Nº. LXXV. Phiala continens in liquore Pulmonem foetus ovini, cujus lobulorum subdivisiones innumeras non solum, verum etiam subtilissimas extremitates vasorum sanguineorum, conspiciere licet.

Nº. LXXVI. Phiala liquore referta, in qua continetur Os petrosum foetus recens nati, in quo distincte apparet Membranam Tympani in foetu obductam esse peculiari integumento, Membranæ analogo, dico analogo, quia nullis vasculis sanguineis gaudet; Membrana autem Tympani innumeris superbit arteriolis, uti in hoc & aliis objectis videre est.

Not. 1. Dictum integumentum in aliquibus crassum, in hoc vero objecto Membranæ tenuioris instar tenue est.

2. Perpendendum jam cujus sit propago dictum integumentum, quomodo post nativitatem Membranam Tympani denuo relinquat, & cujus sit usus?

Quod primum attinet, sc: cujus sit propago, cum foetui hærenti in utero materno meatus auditorii pars ossea in totum deficiat, Membrana Tympani superficiem capitis magis appropinquat, & sic puto Epidermen ibi loci tam fertilem esse, ut tegat quoque Membranam Tympani, & quod per consequens hoc integumentum nil sit, quam epidermis.

Secundum quod attinet, sc: quomodo post nativitatem denuo relinquat Membranam Tympani. Existimo, quod, succrescente meatu auditorio osseo, ut & cartilagineo, recedat, quia Epidermis extensilis non est.

Ultum jam quod attinet, non est cur dubitemus, quin destinatum sit, ut Membranam Tympani, quæ ea ætate tenerrima, defendat ab injuria, quæ illi facile afferri posset, ab humore, cui innatat, dum hæret in utero materno, qui humor aliquando acrior fit, & sæpe foetore imbuitur, unde noxam contraxisset Tympani Membrana; adde quod post nativitatem,

tem, ad tempus dictam Membranam Tympani defendat ab aëris injuriis.

Dixerit forsan aliquis, si supra dictum integumentum propago sit Epidermidis, unde fit, quod (uti statui) aliquando crassissima nobis occurrat, cum Epidermis naturalis admodum sit tenuis. Resp. In confesso quidem est, Epidermem natura sua admodum esse tenuem; sed dictum nostrum integumentum in statu naturali quoque minus crassum existit: In statu autem morbofo incrassatur & præsertim quidem à succrescente nova Epiderme, quemadmodum fieri observamus in vola manus & planta pedis.

Nº. LXXVII. Portio Æsophagi humani, liquori limpido innatans, in qua distinctissime videri possunt fibræ carneæ tam longitudinales seu externæ, quam circulares, seu internæ.

Nº. LXXVIII. Phiala sicca, continens Intestini Ilei humani, secundum longitudinem dissecti, portionem.

Not. Vasa sanguinea tanto numero per dictam portionem sunt dispersa, ut tota rubicundissima appareat, suntque vasa ad extremitates usque repleta ceraceâ materiâ rubrâ.

\* Nº. LXXIX. Phiala sicca continens Lamellam Penis virilis.

Not. 1. Hujus præparatio talis est. Repleveram aura Penis Membranam cellulofam, sub cute sitam, (quæ continuatio Membranæ Dartos Scroti) corpora autem Nerveo-spongiosa non inflaveram, & sic Penem exsiccabam: exsiccatum Penem in lamellas dividebam, cujus lamellam hic repræsentò.

2. Hæc lamella deprehenditur plane cellulosa, quamvis nulla pinguedo in pene, & hæc cellulofitas (si ita loqui mihi liceat) per totum corpus sub cute reperiri potest: Verum ubique fere, excepto pene, cellulæ dictæ obfitæ sunt pinguedine, unde invisibiles occurrunt, diciturque Membrana adiposa, aut pinguedo sub cute sita.

3. In publicis dissectionibus & demonstrationibus Professores cum Malpichio quidem loquuntur de cellulis adiposis, cellulas autem demonstrare negligunt: studiosis interim curiosis & has cellulas videre desiderantibus, nulla dabatur eas videndi occasio. Hac autem præparatione facta, facilis est earum demonstratio. Imo sub cute ejusmodi cellulæ ubique demonstrari possunt, modò sarcinâ suâ destituantur cellulæ, & flatu repleantur.

Nº. LXXX.

Nº. LXXX. Phiala in liquore continens Polypum Nasi à Chirurgo me præfente extractum.

Not. In fundo Phialæ reperitur portio Cartilaginea, quæ simul cum polypo fequebatur, illud tamen laudabile non eft, fatius eft Polypum extrahere cum portione integumentis interioris.

Nº. LXXXI. Phiala liquore referta, in qua confpiciuntur luculentiffime Epidermis humana, ut & corpus reticulare Malpighii.

Not. Epidermis foris candidior apparet, corpus reticulare autem, interius colore dilute flavo, comparet.

Nº. LXXXII. Crus dextrum cum extremo pede ejufdem foetus, cujus mentio facta antea: Præparatio cellulofa eadem eft cum illa.

*In dicto Thesauro varia adhuc funt Loculamenta ex ligno Cedrino confecta, in quibus fequentia reperiuntur.*

#### IN LOCULAMENTO I. refervatur.

Nº. I. Arteria fplenica vitulina ficca, ceraceâ materiâ rubrâ repleta, cujus extremitates funt numerosiffimæ, fummoque cum labore in præparatione confervatæ.

Nº. II. Portio Inteftini Coli infantis ceraceâ materiâ rubrâ repleta.

Not. 1. Mefocolon cum fuis arteriis repletis nitide confervatum.

2. Quomodo arteriæ mefentericæ inferiores ramos impertiant Colo intefino, hic diftincte videre licet.

Nº. III. Pueri magna portio Coli cum portione ilei, integro Cæco, cum annexo processu vermiformi.

Not. 1. Quo pacto fe fe habeant valvulæ Coli, aut fi mavis Cæci, in intefino inflato & exficcato, & quomodo vafa fanguinea per dictas valvulas diffeinentur, hic luculenter videri poteft.

2. Ufus valvularum Coli accuratius concipi poteft in inflato & exficcato, quam in recenti intefino.

3. Coli cellulæ minus confiderabiles in tenera ætate, quam in adulto.

Nº. IV.

N<sup>o</sup>. IV. Coli intestini portio magna cum annexo mesocolo è puero desumpta, & ceracea materia rubra repleta, vasis sanguineis non minus infarctis.

Not. Cæci intestini extremitatem successive angustari, & tandem in processum vermiformem degenerare, distinctissime hic videre licet.

N<sup>o</sup>. V. Furca & Culter, quorum manubria sunt confecta ex osse Tibiæ humanæ, in quo nulla cavitas (quæ, in ossibus perfecte sanis, destinata, ut medullam reciperet) à me fuit reperia, & hoc semel tantum mihi videre contigit. Ex dicto osse tibiæ confecta quoque sunt manubria cultelli & furcæ, de quibus mentionem feci in Theauri 2. descriptione.

Not. 1. Vagina, loco corii Piscis Carchariæ, obducta est corio infantis, vasculis sanguineis tanta copia ditato, ut vagina summa rubedine sit perfusa.

2. Cum e cute dicti infantis corium ipsemet facerem, summam cautelam debui adhibere, ut vascula ceraceam materiam retinerent.

IN LOCULAMENTO 2. continentur.

N<sup>o</sup>. I. Infantis pars Cranii superior, fontanellâ illæfâ.

Not. Ossa sincipitis in hoc objecto non multum à se invicem distant.

N<sup>o</sup>. II. Infantis superior Cranii pars, in qua ossa sincipitis calami scriptorii vulgaris latitudine à se invicem dehiscunt, sicuti etiam Os frontis & occipitis à dictis ossibus sincipitis: Hæc autem dehiscentia melius apparet in Craniis exsiccatis, quam in objecto recenti; difficillime autem isthæc distantia conservari potest in Craniis tenellorum infantum: nam in exsiccatione vulgari illa amittitur. Hanc distantiam partum faciliorem reddere, non est dubium.

N<sup>o</sup>. III. Fœtus humani portio superior Cranii, in qua ossa dicta minus dehiscunt.

N<sup>o</sup>. IV. —, in qua dehiscunt calami scriptorii tenuioris latitudine.

Not. In hisce & aliis, fontanellam adhuc esse extensam & planam sine rugis, uti in vivis.

N<sup>o</sup>. V. —, cujus ossa arctissime cohærent.

E

Not. 1.

Not. 1. Fontanella admodum exigua, per quam innumera vascula sanguinea sunt dispersa.

2. Pericranium præ copia vasorum repletorum rubicundum.

Nº. VI. —, cujus Pericranium, eandem ob causam rubicundum.

Nº. VII. — in hoc objecto remansit dura mater firmiter objecto cohærens.

Not. Hic sinus Falciformis, aëre repletus, distincte oculos incurrit, vasculis sanguineis ditatus.

Nº. VIII. —. Hoc objectum obducitur propria cute, cujus arteriæ ceraceâ materia sunt repletæ, ut earum reptatus & numerus videri possint.

Nº. IX. Infantis superior portio cutis capitis.

Not. 1. Arteriæ ceraceâ materiâ rubrâ sunt repletæ, quæ tanta copia sunt, ut tota cutis sit facta rubicundissima.

2. Cutis formam naturalem retinuit, fornicis instar.

Nº. X. — cutis, multa pinguedine obsita, arteriis non minus repletis.

Nº. XI. Cutis capitis fornicata capillata rubicundissima, cujus pars anterior valde prominet.

Nº. XII. Cutis capitis fornicata & pilosissima.

Cætera verò loculamenta humana ossa continent albissima, præsertim fœtuum humanorum.

### EXPLICATIO FIGURARUM.

**T**abulæ Primæ facta est explicatio fol. 2. 3. & sequentibus.  
Tabulæ secundæ explanatio, facta fol. 13.

### TABULÆ TERTIÆ Expositio.

FIG. I. Penis cum Scroto pueri adumbratur.

A. Penis portio interna.

B. Meatus Urinarius per penis dorsum, contra naturæ leges, decurrens.

C C. Duo corpora nervosa five nerveo-spongiosa majora.

D. D. Musculi Penem constringentes ab origine abscissi.

E. Corpus spongiosum seu nerveo-spongiosum minus, urethram, contra naturam, parte superiore ambiens.




F. Septum Penis.

G. Ar-









C. Huguertus ad vivum. sculpsit.









Fig. 4.

Fig. 5.



G. Arteriarum portiones per dorsum decurrentes.

H. Scrotum.

I. Penis portio extra corpus pendens.

K. Pinguedo, qua scatet portio scroti superior.

FIG. II. Denotat Epidermem manus pueri, ita à subjecto corpore reticulari & cute separatam, ut illibata nobis occurrat, instar Chirothecæ albæ.

A. Dorsum epidermis.

B. Portio exigua duplicaturæ Epidermidis in dorso hic separata.

C.C.C.C.C. Unguiculi, Epidermidi adhuc cohærentes, qui in separatione à cute quidem, non autem ab Æpiderme recessere.

FIG. III. Demonstratur fasciculus seu glomus pilorum in omenti humani Atheromate repertus.

FIG. IV. Exhibet ovum gallinaceum cortice vulgari, duro, & albo oblitum, perfecte repræsentans intestinum cœcum cum annexo processu vermiformi.

FIG. V. Ostendit Ovum Gallinaceum parvum in ovo gallinaceo repertum.

FIG. VI. Adumbratur Ovum gallinaceum Pueri Penem, cum scroto repræsentans, ne præputio quidem excepto.

TABULÆ QUARTÆ expositio.

FIG. I. Exhibet infantis faciem, fronte ablata.

A. Arteriarum fasciculus adumbrans & tegens vulnus, à me factum in ablatione frontis, ut averfationem adimerem, suntque arteriæ, quæ per cerebrum erant dispersæ, & hic repletæ ceracea in: rub.

B. Prolabia, ab integumento seu Epithelide, privata, ut Papillæ nervosæ, Prolabio constituentes, sese erigerent & in contactum venirent.

FIG. II. Renem humanum, facie exteriori visum, denotat.

A. Renis superficies, per quam innumera vasa sanguinea disseminantur vermiformia.

B. Arteria renalis abscissa.

C. Vena Renalis abscissa.

D. Portio pelvis ureteris extra corpus renis propullulans, per quam plurimæ arteriolæ sunt disseminatæ.

FIG. III. Exhibet Renem humanum bissectum, ut interiora pateant.

A. Indigitat arteriolarum plurimarum extrema, serpentino ductu in ductus Bellinos degenerare, & continua esse cum illis.

Not. Interim, ut antea monui, talem vermiformem reptatum arteriolarum non solum in superficie renis observari, sed in interiore renis substantia numerosissime quoque reperi, sicuti in Thef. IV. repræsentare decrevi; in hac autem figura præcipue studui continuationes arteriolarum cum ductibus Bellini exhibere; circa hæc continuationes considerandum quoque (id quod in descriptione Fol. 40. omisi) has arterias, antequam in ductus Bellinos degenerant, ceu porosas hic apparere, sicuti Tab. IV. Fig. 3. demonstratur, de his plura in Thef. IV. descriptione.

B. Exigua portio superficiæ externæ.

C. C. Papillæ renales plurimis foraminibus aut osculis pertusæ, pro urinæ transitu.

D. Ureter.

E. E. Pelvis aperta.

FIG. IV. Adumbratur tenuis nervi fibra, in innumeras fibrillas subdivisa, suntque tales subdivisiones tam tenues atque teneræ, ut telam aranearum adæquent.

FIG. V. Portio Nasi, secundum longitudinem dissecta, cernitur ex infante.

A. Portio ossis Frontis.

B. Crista Galli cartilaginea, ob teneram ætatem.

C. Nasi portio.

D. D. Setæ, canalibus nasalibus inditæ.

E. Unus ex Canalibus nasalibus.

F. Vascula sanguinea per integumentum crassum septi Nasi distributa, suntque præsertim Arteriolæ.

G. Sulci obliqui.

H. Unus ex dentibus incisoriis.

I. Perichondrium, septum Nasi cartilagineum immediate cingens.

FIG. VI. Exhibetur papilla Renalis ramosa, ex tribus papillis composita.

FREDERICI RUYSCHII

*Anatomicæ & Botanices Professoris*

THE SAURUS  
ANATOMICUS  
QUARTUS

*Cum Figuris aeneis.*



AMSTELODAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.  
MDCCXXIV.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
3107 EAST 57TH STREET  
CHICAGO, ILL. 60637



UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
3107 EAST 57TH STREET  
CHICAGO, ILL. 60637



# T H E S A U R U S ANATOMICUS

Q U A R T U S.

*Ex ligno Juglandis confectus, in quo sequentia sunt  
reposita.*

A S S E R P R I M U S & infimus.

N<sup>o</sup>. I. **P**Hiala in liquore continens Os squammosum infantis, in quo videre est, Ossiculum orbiculare, cui undique annectitur membrana Tympani.

Not. 1. Dictam membranam esse geminam, id quod in summitate liquet, ubi portionem unius lamellæ, Vasculis sanguineis refertæ, separavi, & abstuli; altera autem lamella, quæ illibata remansit, nullis, in hoc objecto, gaudet vasculis sanguineis, ita ut pellucida hic nobis occurrat.

2. Hanc Tympani membranam nusquam esse liberam ab Ossiculo orbiculari.

3. Processum Mammillarem in totum adhuc deficere, ea ætate, hic constat; ita ut dictus processus vera dicenda sit Apophysis.

N<sup>o</sup>. II. Infantis portio faciei, cujus Prolabia, Epitheliâ ablatâ, Villosa apparent. Vid. fig. à me editam in Thesauri descript. 3. fol. 68.

Not. 1. Hoc objectum in liquore conservatum esse, ut villositas dicta appareat.

2. Hanc portionem naturalem habere colorem, nullisque rugis esse oblitam, ita ut vitâ non videatur privata.

N<sup>o</sup>. III. Pueri caput, in liquore conservatum; cujus cranii pars superior est ablata, ut omnium Nervorum transitus per cranii partem inferiorem videri possit, quam in finem cerebrum exemptum.

Not. 1. Nervorum par primum f. Olfactorium maxima parte supra os cribrosum est relictum, & sic distincte apparent eorum productiones, quæ per foramine ossis cribrosi tendunt ad membranam narium, ejusque papillas.

2. Nervos Opticos, ubi in Cranio adhuc continentur, integumento haud esse destitutos, hic videre licet.

3. In conspectum venit Infundibulum, pone dictorum nervorum conjunctionem; nec non utraque Arteria Carotidis, ceracea materia referta, & sub iis tertium par nervorum, secundum Willisii computationem, cujus opinionem sequar in recensendis nervorum paribus, cranium perforantibus.

Sub dictum tertium par, quartum occurrit Patheticum, filorum tenuium instar dependens.

Ut & quintum, nec non sextum par lateraliter situm, Septimum par, f. Auditorium, ut & sequens octavum par f. Vagum.

Cæteri nervi, propter principii medullæ oblongatæ reliquias (quæ hic in foramine maximo ossis occipitis adhærent) videri non possunt.

4. Prolabia, ab Epithelia f. integumento decorticata; in conspectum venit eorum villositas papillaris, de qua in Thef. III. egi.

5. Facies rubicunda, vivæ speciem referens.

Nº. IV. Phiala continens portionem intestini Ilei, ita dissectam, & præparatam, ut omnes quatuor tunicæ in conspectum veniant.

Not. Tunicam Villosam f. quartam ubique adhuc esse connexam Tunicæ Nerveæ, ita ut facies posterior Nerveæ, anterior Villosa sit; ab his dependent Tunica Carneæ, quæ fibris rotundis, & Tunica communis, quæ fibris longitudinalibus, gaudent.

Considerandum præterea, quam luculenter, & distinctè hic cerni possunt omnes quatuor intestinorum Tunicæ, quæ tali modo præparatæ, liquori innatant: imò hæc demonstrandi methodus in publicis Theatris, olim fuit inusitata; quam cum primò in usum revocarem, plures vituperabant, dicentes, hoc insolitum & absurdum esse; jam autem comperio vituperatores eandem incedere viam, videntes impossibile esse, ut innumerae corporis particulae in conspectum producantur, nisi liquori innatent.

Nº. V.

Nº. V. Piæ matris portio, quæ Cerebrum immediate investit cum processibus suis, qui serpentino reptatu sese insnuant inter circumvolutiones Cerebri.

Not. Hanc portionem liquori innatare, & nisi hæc ita fiat, impossibile est tam luculenter veram constitutionem Piæ matris demonstrare, suntque Arteriæ nitide repletæ ceraceâ materiâ rubrâ.

Nº. VI. Pia mater Cerebelli cum suis processibus falciformibus, qui distincte apparent, liquori quoque innatantes. Rubet hoc objectum præ copia vasorum sanguineorum repletorum.

Not. præterea supra dorsum s. faciem exteriorem fluctuare tunicam Arachnoideam, idque parte inferiore.

Per hanc tunicam hic nulla repunt vasa sanguinea, quamvis Pia mater illis superbiat.

Nº. VII. Phiala in liquore continens Lienem humanum, cujus Arteria in totum, Vena autem ex parte repleta, materia ceracea, unde variis in locis particulæ cinerea apparent, sc: ob defectum repletionis Venæ. Membrana Lienem succingens ex parte relicta est.

Not. 1. Lienes tam hominum, quam brutorum, nullas habere glandulas, sicuti hic videre est.

2. In Lienis humani constitutione, quæ in totum vasculosa, considerandum; Vasa Lienem humanam constituentia, in extremitate longè esse tenaciora, quam in brutis. Ita ut, extremitates succosæ vasorum non adeò molles, minime in aqua simplici, dissolvi possint, quemadmodum in variis brutis.

3. Texturam fibrosam, quæ in Liene vitulino reperitur, nequam extare in Liene humano, hic cerni potest: de prætensis cellulis Lienalibus idem judicandum. Vide ulterius de hac re Resp. Epist. IV.

Nº. VIII. Testiculus humanus bisectus cum annexis vasis spermaticis repletis, ut & tunica vaginali.

Not. 1. Quam numerosæ sint Arteriolæ, per Testiculum & jam dictam Tunicam, disseminatæ, hic videre licet.

2. Vasa spermatica per Testiculos repentia, trunculis suis per interstitia vasculorum feminalium decurrunt, sobolesque lateraliter impertiunt vasculis feminalibus, cum quibus, (ut suspicor) uniuntur, imò opinor ultimas arteriolarum extremitates degenerare, aut mutari in vascula feminalia dicta.

3. In Testiculi medio varia oscula hiantia conspicerè licet, quæ mihi sunt portæ, per quas semen, in Testiculis elaboratum, deferatur ad Parastatas.

Nº. IX. Puellæ partes generationis, in liquore conservatæ.

Not. 1. Vagina secundum longitudinem est aperta, ut interiora pateant.

2. Spina superior demonstrat, imo replet, exitum meatus urinarii.

3. Clitoris & Nymphæ supra dictum exitum conspiciuntur.

4. Spina inferior incrusa est in Os uteri internum, ex cujus superficie propullulant innumeræ papillæ nervosæ, unde pars illa adeo sensibilis.

5. Dictæ Papillæ non minus numerosæ per vaginæ rugas sunt disseminatæ. Parte infima Uterum ipsum, & Phialâ inversâ Vesicam conspicerè licet.

6. A latere parte inferiore occurrunt quoque Ovaria, quæ valde exilia, ut & ductus ovarii cum suis fimbriis.

Nº. X. Phiala in liquore continens ovis asperam Arteriam ceraceâ materiâ repletam.

Hic considerandum quam distinctè extremitates asperæ Arteriæ videri possint in liquore.

Nº. XI. Phiala liquore referta, continens Venam Portæ, ex vitulo desumptam, quæ tam artificiose est repleta, ut ne ultimæ quidem extremitates vacuæ sint relictæ, & hic conservatæ.

Not. 1. Quod variis locis extremitates succosæ Venæ Portæ hic sunt superatæ, variæ autem relictæ.

2. Ramuli Venæ Portæ adeo numerosi, & in extremitate ita tenues sunt, ut nemo hoc facile crederet, cui nunquam hocce objectum videre contigit, nulli enim sunt ablati.

3. In quantum autem differant Fig. ab Authoribus in Tabulis suis expressæ, ab hoc subjecto, unicuique videre hic licet.

Nº. XII. Phiala in liquore continens Brachium Infantis, colore vivido præditum, in cujus manu continetur Testiculus humanus dissolutus, repræsentans fasciculum filorum intricatorum.

Nº. XIII. Infantis Caput in liquore conservatum, cujus pars cranii superior est ablata, Cerebrumque exemptum, relictis arteriis per Piam matrem & Cerebrum dispersis.

Not. 1. Facies admodum venusta & formosa, naturali colore imbuta.

2. Arteriæ ad ultimas extremitates sunt repletæ & conservatæ; suntque tam numerosæ, ut nemo sine admiratione illas perlustrare queat.

3. Ultimæ extremitates dictarum arteriarum, non solum capillorum instar tenues sunt; verum etiam tomenti tenuitatem obtinent, imo dubitandum non est, quin illud tomentosum, arteriis sit continuum, & cavum, quoniam eadem rubedine est perfusum, & repletum, in hoc objecto.

Nº. XIV. Phiala continens hominis Intestini Ilei portionem, in qua, naturali colore perfusa, sese videndam exhibet susceptio, id est, portio Intestini, quæ in subsequenter portionem sese insinuat, unde intestinum, eo loco, plane obstructum, affectum producit, qui minus recte *Volvulus* dicitur, & non sine ratione, *Miserere mei*, audit, propterea quod homines, qui in hoc malum inciderunt, intolerabili quidem dolore cruciantur, & in mortis periculo versantur, at verò intestina neutiquam contorquentur, sed portio una intestini insinuat sese in alteram intestini portionem.

Notandum interim dictam portionem susceptam, repletam esse vermibus circulariter positis.

Nº. XV. Oculus Gallinæ in liquore contentus, in quo membrana nictitans cum suo musculo Trochleari videri potest.

Nº. XVI. Placentula humana, quæ, suo Embryone liquefacto & abolito, ita ab utero compressa est, ut nil minus quàm placentulam repræsentans, pyri formam acquisiverit.

Nº. XVII. Ren foetus immaturi, nonnihil dissolutus.

## A S S E R S E C U N D U S.

Nº. XVIII. **G**allinæ Caput osseum, ossea corona in summitate præditum, in cujus medio peculiaris ampla cavitas reperitur, quæ communicat cum cavitate capitis naturali.

Nº. XIX. Phiala in liquore continens foetum humanum immaturum, iv circiter mensium, decumbentem sub portione membranæ Chorii foetus ovini, per quam innumera vasa sanguinea, repleta ceracea materia, sunt disseminata, estque sexus masculini, hujus inscriptio est:

PRI-

## PRIMA, QUÆ VITAM DEDIT, HORA CARPSIT.

Nº. XX. Infantis Os petrosum, in quo stapes situm naturalem occupat.

Not. 1. Hoc ossiculum quod stapes dicitur, membranula, seu perioftio, esse obductum, per quam vascula sanguinea hic videntur dispersa.

2. Dicitum ossiculum loco suo continetur peculiari ligamento, id quod hic luculenter apparet.

Nº. XXI. Thymus humanus nitide in liquore conservatus, cujus bifurcationem hic videre licet.

Nº. XXII. Offis Petrofi humani Cochlea & Canales Offei, artificiosissime præparata, & in liquore conservata.

Nº. XXIII. Phiala in liquore conservans viri adulti Mammam cum Papilla.

Not. 1. Quam exigua illa sit, ubi omnis pinguedo est adempta, hic videre est.

2. Ductus lactiferi post pinguedinis, ademptionem, ita sunt contracti, incrassati & in se convoluti, ut ipsa Papilla, Mammæ molem non raro superet, id quod hic videre licet.

Noli quoque credere Lector Benevole, Mammas vetulæ macilentæ aliter esse constitutas, nam si ductus lactiferi maximam Mammæ molem constituentes pinguedine destituantur, eodem modo in se contrahuntur, sicuti hic videmus in Mamma virili. Hi ductus lactiferi tempore graviditatis & lactationis in magnam molem sese extendunt. In Vesica urinaria hominis sani sæpissimè observamus, fibras ita contrahi, ut Vesica urinaria, post redditam urinam, nucis juglandis molem haud superet, hæc autem ab urinæ affluxu in tantam denuò sese extendit capacitatem & magnitudinem, ut urina reddita matulam fere repleat, ita ut adeò mirum non sit, ductus lactiferos ita contrahi, cum otiosi sint.

Nº. XXIV. Phiala in liquore continens hominis Membranam Tympani, cui cohæret & annectitur malleolus.

Not. Per dictam membranam multa corpuscula rotunda sunt disseminata, quæ Glandulas mentiuntur, & mihi nil sunt nisi vascula sanguinea obstructa, quemadmodum fieri videmus in aliis corporis partibus.

Nº. XXV.

Nº. XXV. *Officulum Incus cum annexo Officulo quarto & rotundo; illa sunt conservata in liquore, ut distinctius appareat, dictum quartum officulum, peculiare esse officulum, inter stapedem & incudem situm, quibus officulis membranularum ope connectitur.*

In *Offibus exsiccatis hæc & innumera alia non possunt luculenter demonstrari, & hæc est ratio, quod tanto labore & sumptu, susceperim à multis annis objecta millena in liquore conservare.*

Nº. XXVI. *Auricula hominis adulti, in liquore reservata, vitæ speciem referens.*

Nº. XXVII. *Phiala continens intestinula foetus immaturi; horum vascula per intestina dispersa, variis locis sunt repleta ad ultimas usque extremitates.*

Nº. XXVIII. *Foetus nuper nati Os squammosum, cum annexis Membrana Tympani & involucro extimo, de quo in præcedentibus Thesaur. mentionem feci.*

Not. 1. *Involucrum extimum à Tympani Membrana hic esse separatum, excepto uno loco, ubi adhuc cohæret.*

2. *Ab hoc involucro, ope capilli, dependet totum objectum.*

Nº. XXIX. *Placentula superstes per aliquot tempus in utero, post Embryonis exclusionem vel liquefactionem, unde temporis successu ita est compressa & indurata, ut *mola* speciem referat; sicuti & olim pro *mola* habita fuit, ast perperam.*

Nº. XXX. *Foetus recens nati Vesica urinaria, in liquore conservata, & aperta. Hujus facies interior, hic facta est exterior, ut interiora pateant: parte superiore, munita est spina, quæ indigitare videtur foramen, quod in fundo Vesicæ foetuum, ut plurimum, si non semper, reperitur, & urachi osculum cœcum dici possit.*

Dico foramen cœcum, quia Vesica inflata aërem non admittit ad peculiarem, ita dictam, membranam Urinariam, nunquam revera in homine demonstratam, quantumvis in variis figuris ad nauseam usque expressam. Multoties experimentum feci in foetu humano, nunquam autem admisit aërem ultra digiti minimi transversæ altitudinem.

Nº. XXXI. *Portio Pinnæ Balenæ, in qua Papillæ cutaneæ luculenter visuntur.*

B

Nº. XXXII;

Nº. XLIII. Foetus humani Lingua cum faucibus.

Not. 1. Hic luculenter conspici possunt viæ ad stomachum, ut & ad Pulmonem, & quo ritu, in cibi & potus deglutitione, Epiglottis introitum ad Pulmonem claudat, ne pulmonem intrent.

2. Dicitæ partes tam rubicundi coloris sunt, ac si jamjam è corpore vivo excisæ essent.

Nº. XLIV. Cor & Pulmo foetus humani, in liquore conservata, & naturali colore perfusa.

Not. 1. Hic oppido quam bene lustrari possunt rami Arteriosi per Pericardium distributi, maximâ parte oriundi ab Arteria Medialtina.

2. Quo modo dicitæ Arteriolæ ulterius disseminentur per portionem Diaphragmatis, quæ hic superstes est, in hoc objecto, videri quoque potest.

Nº. XLV. Phiala in liquore retinens foetum humanum, sex circiter mensium, dextra ferens ramulum *Murucujæ* Pisonis, & in dorso gerens Placentam uterinam; Caput autem loco capitii tegitur membranâ Chorii porci, in qua nonnulla acetabula videntur, capitis aciculæ magnitudine,

Hujus inscriptio est:

CHARONTIS UNDA SCILICET OMNIBUS, QUICUNQUE  
TERRÆ MUNERE VESCIMUR, ENAVIGANDA, SIVE  
REGES, SIVE INOPES ERIMUS COLONI.

Nº. XLVI. Phiala sicca, in qua videre licet intestinula tenuia foetus vitulini, proprio mesenterio cohærentia, & inflata: suntque vascula Arteriosa artificiose repleta ceraceâ materiâ flavâ.

Nº. XLVII. Oculus humanus in liquore conservatus, hujus autem musculi separati sunt, vasaque Arteriosa repleta.

Nº. XLVIII. Phiala sicca, & in ea Ovulum gallinæ, ex Ovo gallinaceo, exemptum.

Nº. XLIX. Tumba parva, ex ligno juglandis confecta, cui incumbit foetus humanus, septem circiter mensium, abhinc annis circiter quadraginta Balsamo conditus, & lapidis instar induratus, ut multa per secula conservari possit.

Not. 1. Hanc balsamandi methodum ante quadraginta annos esse inventam, antea enim neminem noveram qui tali methodo corpora conservabat. Postea vero nobiliorem inveni methodum,



dum, qua corpora humana (ut domi non solum, verum etiam publice aliquoties visui exposui) viventis speciem referunt. Hoc autem corpusculum lapidis instar quidem induratum, ast rugis in totum non est destitutum, neque viventem repræsentat foetum.

2. Veste nocturna indutum hoc corpusculum, tegitur præterea membrana Amnios foetus vitulini, cujus Arteriæ sunt repletæ, & hoc, loco alicujus integumenti fericei fimbriati.

Inscriptio talis est.  
AB UTERO AD TUMULUM.

Huic foetui adstant duo sceleta foetuum humanorum, suntque gemellorum sceleta, septem circiter mensium.

Horum unum capiti corporis balsamati adstant, sinistra gerit loco stropholi portionem Omenti, quasi lachrymans oculi orbitæ admovet.

Ea inscriptione:  
NEQUE ULLA EST, AUT MAGNO, AUT PARVO, LE-  
THI FUGA.

Alterum autem, ad pedes situm, sinistrâ portionem intestini pueri gerit, dextrâ verò Ramum Arteriosum repletum, artificiose è Liene exemptum.

Cum hac inscriptione:  
POST FUNERA PROSUM!

Nº. L. Phiala ficca continens Plicam Polonicam veram.

Nº. LI. Phiala ficca, in qua continentur pluri calculi in Vesica urinaria vaccæ reperti.

Notatu dignum censeo, vesicæ dictæ tunicam interiorem lapideam esse factam, cujus fig. Vid. Tab. II. Fig. I. Thes. IV.

Nº. LII. Foetus humanus immaturus, coloris nivei, 6 circiter mensium, in liquore conservatus, dextrâ continens ramum Ciceris Rubri, brachio autem sinistro retinet portionem membranae Amnios.

Nº. LIII. Uterus humanus, cum omnibus annexis, scilicet Ovariis, Ovi-ductibus, suisque fimbriis, &c.

Not. Os uteri naturaliter constitutum, in ambitu gaudet plurimis lacunis minutissimis.

Nº. LIV. Phiala liquore repleta, in quo serpens rarus Africanus, ore continens Embryonem humanum magnitudine digiti articulum vix attingentem.

Inscriptio est :

AH FATA, AH ASPERA FATA!

Not. Manus & Pedes hic lustrari possunt, suntque inflar corpusculorum rotundorum capitis aciculæ formâ & magnit. nulli autem digiti adhuc discerni possunt. Quis igitur non admiretur Anatomicos reperiri, qui Embryones multò minores pingi curarunt in suis libris, brachiis, pedibus & digitis instructos, talique situ incurvato positos, ac si tres quatuorve menses attigissent foetus; cum contra ea ætate semper obtineant situm longitudinalem, nullo modo incurvatum. O dementiam & audaciam! sic enim studiosi imbuuntur erroribus, imò decipiuntur.

Multoties me rogarunt homines, quare tantis sumptibus, & tanto labore conservem tot conclavia, Anatomicis rebus instructa, quibus semper refero, ne quis diceret figuras me publice editas male esse confectas, nam si quis de ea re dubitet, dabitur semper occasio domi meæ expiscandi, an cum natura conveniant nec ne, & si omnes ita fecissent aut ita facere coacti fuissent, non obtrusissent nobis tot figuras fictitias, aut ex aliis auctoribus desumptas.

Nº. LV. Caput Foetus ovini sine ore nati, uteroque excisi.

Not. 1. Oculi extra situm naturalem positi, caputque deforme, nasoque instructum, sine ullo oris vestigio. Vid. Thef. IV. Tab. II. Fig. 4. Omnia autem membra bene erant conformata, itaque hallucinantur illi, qui dicunt foetum non per funiculum umbilicalem nutriri, id quod luculenter apparet falsum esse. An autem solummodo per Venam umbilicalem, an vero humor in Amnio contentus simul quoque alimentarius sit, nec ne, res nondum satis explorata. de hisce plura in posterum.

Nº. LVI. Foetus recens nati lateralis portio Pectoris, cujus Arteriolæ Intercostales exteriores, à me nuper detectæ, in conspectum veniunt; nec non ramuli, ex dictis Arteriolis oriundi,

di, qui perpendiculariter, ut & oblique, per Perioftium Costarum diffeinantur; ramuli autem per mufculos intercoftales diftrati, curfum fibrarum mufculorum infequuntur.

Nº. LVII. Phiala ficca, in qua Os Æthmoides integrum confervatur.

Nº. LVIII. Portio Piæ matris, cujus Arteriolæ funt repletæ.

Not. Nil fere difficilius, quam Piam matrem à Corticali fubftantiam feperatam, in planum extendere & fic exficcare, quemadmodum à me hic factum effe conftat.

## A S S E R Q U A R T U S.

Nº. LIX. **P**hiala in liquore continens Testiculum humanum diffolutum.

Luculenter hic apparet fubftantiam ejus nil effe, nifi vasculorum fasciculos varios, coloris cyanei.

Nº. LX. Vituli parvi Hepar excarne, ut vulgo loquimur, affperperam.

Not. I. Præter membranam ambientem nihil abftuli, tamen omnia vafa, Hepar conflituentia, in confpectum hic veniunt, ceraceâ materiâ flavâ repleta. Vid. ulterius de hac re in Thefaur. II. descriptione.

2. Ductus membranofus repletus hic etiam feffe videndum exhibet.

Nº. LXI. Phiala liquore referta, in qua continetur portio membranæ Chorii ex fue, utero gerente defumpta, quæ facie exteriore, villofa, inftar Tunicæ villofæ inteflinorum.

Not. Acetabula pauca per eam, difperfa, admodum effe exilia, & ne caput quidem aciculæ eas fuperare.

Nº. LXII. Puellæ partes generationis, in quibus Labia, Nymphæ, Clitoris, Caput Clitoridis, Membrana Hymen, ductus Urinarius diftincte videri poffunt, funtque hæc omnia coloris naturalis.

Nº. LXIII. Phiala, & in ea, Portio Spinæ dorfii foetus humani, per medium, fecundum longitudine diffecta, ut interiora pateant.

Not. I. Corpora Vertebrarum rubedine effe perfufa, ab aluente

fluente ceracea materia rubra, quâ Arteriæ, per Spinam disseminatæ, erant repletæ.

2. Videri hic possunt cavitates notabiles (quas nondum ab aliis hætenus vidi demonstratas) sitæ in interstitiis corporum vertebrarum; suntque in corpore vivo, ut & recens denato, lim-pido & tenaciori humore repletæ, quemadmodum in cæteris juncturis.

3. Corpora vertebrarum, præter exteriora & satis nota liga-menta, gaudent quoque ligamenti internis brevissimis sibi in-vicem adstantibus numerosis. Hæc autem circulariter sita, lon-gitudine culmi crassitiem non æquant, & si cultello transversim, inter juncturas, incidantur & separentur vertebræ, dicta liga-menta (quæ mihi interna dicuntur) nobis occurrunt, instar Ce-pæ, transversim incisæ, & lamellatim dispositæ.

4. In eadem phiala videre licet vertebram lumb: ejusdem fœ-tus humani à feta dependentem, in qua dicta ligamenta videri possunt.

Nº. LXIV. Fœtus humanus, sequioris sexus, sex circiter mensium, coloris nivei, à plurimis annis ita in liquore conser-vatus, ut nil præter animam amisisse videatur. Hic suo situ, dormientis speciem præbet,

Ea inscriptione :

NEC MORS, NEC VITA RELICTÆ.

Nº. LXV. Phiala in liquore continens Testiculum humanum.

Not. 1. Tunicam albugineam seu propriam, haud esse ablatam.

2. Arteriam spermaticam in utroque latere in duos ramos di-vidi, quorum unus ad Testem, alter verò ad Paraastatam ex-currit.

3. Dictas Arterias, non, uti in canibus in circinnos, pampi-nos vitis imitantes, contorqueri.

4. Vas Ejaculatorium colore suo albicante facile discerni hic posse à vasis sanguineis, ceraceâ materiâ rubrâ repletis.

5. Tunicam vaginalem à latere hic esse apertam, ut dicta vasa conspici possint.

Nº. LXVI. Phiala in liquore retinens Testiculum humanum dissolutum.

Nº. LXVII.

N<sup>o</sup>. LXVII. Pueri Intestinum rectum cum podice , ita inversum , ut superficies interior , jam facta sit exterior.

In eo nobis occurrunt innumeræ , ita dictæ , Glandulæ , quæ instar fovearum hic sese videndas exhibent. In podice extremo plurimas quoque lacunulas videre licet.

N<sup>o</sup>. LXVIII. Talpæ sceleton , nitide præparatum , ceu scandens arteriam ceraceâ materiâ repletam.

N<sup>o</sup>. LXIX. Portio maxillæ humanæ , in qua videre est , quod inter processum condili-formem , & ejus locum infertionis membrana dura intercedat ; forsan , ne masticando sonitum ederet junctura , id quod auditui nocuisset.

Not. dictum objectum in liquore dependet à seta , quæ affixâ est dictæ membranæ , quæ adeò crassa , ut ferè videatur cartilaginea.

N<sup>o</sup>. LXX. Vesica vaccina inverfa.

Not. 1. Membranam internam valde esse incrassatam , variisque locis lapidescentem factam , imò & quasi in monticulos plurimos exaltatam , quorum plurimi in lapideam substantiam sunt mutati , pluresque ab origine , temporis successu , separati , in cavitatem vesicæ prociderunt , uti videre licet in Phiala supra citata , & N<sup>o</sup>. LI. notata.

2. Quamvis autem hoc objectum à me sit desumptum è corpore vaccino , dubitandum tamen non est , quin idem aliquando contingat in corpore humano , unde Lithotomi forsan aliquando fuerunt decepti , cum cathetere introducto , calculum sese sensisse autumaverunt , factaque incisione , nullum calculum invenerunt.

N<sup>o</sup>. LXXI. Gliris sceleton nitidissimum , in cujus Vesica urinaria calculum reperi.

Not. Ore detinet , & quasi devorat portionem intestini jejunii hominis , per quam innumera vasa ceracea materia rubra referta sunt disseminata , id quod feci propterea quod carnem humanam non fuerit aversatus dictus glis , cum enim ante plures annos institutiones Anatomicas haberem , separaveram pridie musculos brachii , in sequente die demonstrandos , cum autem publice exhiberem præparatos musculos , dictus Glis devoraverat non solum illos , verum etiam partem faciei.

Hoc viso , operam dare jussi capiendi furem ; quod ex voto

successit, & sic publice aperiebam furem, idque supra corpus, quod ita devastaverat, in cujus Vesica hunc calculum detexi, dependetque hic à capillo in phiala ipsa, sceleton continente.

Nº. LXXII. Phiala in liquore retinens unum ex Acetabulis seu Placentulis vaccinis, repletum ceraceâ materiâ rubrâ ad ultimas extremitates succosas usque, ubi notandum.

1. Nullas hisce corporibus inesse Glandulas, aut quid Glandularum simile.

2. Totum hoc corpus constare ex meris vasis sanguifluis, quorum extremitates exeunt in formam penicillorum, qui Belgicè nominantur *Trek-penceelen*, in eo tamen ab istis penicillis differunt, quod dicti *Pincilli* constant ex innumeris pilis, hi contra ex singulari trunculo admodum ramoso.

Nº. LXXIII. Foetus hepar ex carne, ut vulgo loquimur, cui adsitæ sunt duæ portiones membranæ Hepatis hominis adulti, quæ digitum annularem crassitie adæquant. Hoc ortum duxisse credo à præcedente inflammatione.

Nº. LXXIV. Phiala continens in liquore pueri portionem Intestini recti, in qua videre est Tunicam carneam separatam esse à nervea.

Not. 1. Perpaucas arterias esse distributas per carneam Tunicam, myriades autem per Nerveam; de hisce plura antea dixi.

2. Hic distinctè videre licet, ita dictas glandulas intestinorum, nil esse nisi fasciculos vasculosos, præsertim si lumen candelæ pone objectum teneatur.

3. Facie anteriore, per Nerveam Tunicam illibatam, innumeræ ita dictæ Glandulæ apparent tumefactæ, & in sui medio sinuosæ.

Nº. LXXV. Chamæ-psittaci minimi ex Guinea, vulgo *Peroquet* dicti, sceleton.

Nº. LXXVI. Portio Intestini jejuni è corpore humano desumpta, & liquori immersa.

Not. 1. Tunica Carneæ dependens à Nervea separata fundum phialæ tangit.

2. Tunica Villosa à Nervea ex parte quoque est separata & dependens: Hoc factò jugorum (s. valvularum conniventium) vestigia tantum relicta sunt. Vid. ulterius de hac re resp. meam ad *Epist. problem: undecimam*.

## ASSER QUINTUS.

Nº. LXXVII. **P**Hiala sicca, continens Calculum, qui ante exsiccationem mollis erat, nec calculi duritiem obtinebat; mollis enim erat & limo-calculosa, jam verò per exsiccationem lapideam acquisivit duritiem.

Nº. LXXVIII. Portio corticalis cerebri humani substantia, in cujus parte infima, distincte videre est, Cerebri substantiam Corticalem nil esse, nisi vasorum sanguineorum extrema.

Not. 1. In parte superiore non tam distincte hoc videri potest, quoniam Cerebri Arteriolæ ibi non satis bene sunt repletæ: Imo hactenus mihi impossibile fuit integram Corticalem Cerebri substantiam ita replere, ut nulla pars relinquatur intacta.

2. In Objecti medio hic relicta quoque portio subst. medullaris Cerebri, quæ albicat, cum corticalis rubedine dilutiore sit perfusa.

Nº. LXXIX. Phiala in liquore continens, pueri Intestinum rectum ita inversum, ut superficies interior hic nobis occurrat exterior. In eo hic cernere licet juga nonnulla, quæ in dicto intestino raro reperiuntur in pueris. Hæc autem non solum transversim, verum etiam secundum intestini longitudinem excurrunt, id quod admodum familiare in tenuibus intestinis vitulorum.

Observari hic quoque possunt ita dictæ Glandulæ, ut & myriades pororum, qui Pori tam dense sunt stipati, ut ne quidem cuspis acus inter illos inferi possit.

Nº. LXXX. Phiala sicca, in qua reservatur hernia gutturis vera, idque ex anate.

Nº. LXXXI. Phiala sicca, in qua reservatur pueri portio Duræ matris, cujus Arteriæ ad extremitates usque sunt repletæ. Id autem magis liquet, si objectum ad candelæ aut solis lucem, lustretur.

Hæc repletio adeò difficilis mihi olim fuit, ut vix invenire potuerim methodum hoc præstandi; Extremitates enim sunt ceu tomentosæ, & tamen hic repletæ.

Nº. LXXXII. Infantis Pes extremus, in liquore conservatus, in quo varii tendines sunt denudati, & primo quidem Pollicis

**Tenfor**, qui ad tria pollicis internodia vadit, ut pollicem recte extendat.

2. Hic quoque videre licet **Tendinem Musculi pedem abducentis**, qui sub malleoli extr. per sinum, eum in finem exsculptum, & ligamento transverso involutum, oblique decurrit per plantam pedis, inseriturque in os pedis, quod pollicis prostat.

3. Occurrunt hic quoque quatuor tendines albicantes, musc. dig. extr. membranæ ope conjuncti, quæ membrana hic accurate in conspectum venit cum suis arteriolis repletis: Hæc omnia, ne loco suo dimoveantur, ligamento transverso, nec non peculiari quodemi ligamento detinentur, sicut hic prope cutis abscissæ marginem videri potest.

4. **Tendo Musculi pedem abducentis**, hic etiam est denudatus.

5. **Conjunctiones tendinum Musculorum Suralium**, prope **Os calcis**, sunt quoque denudatæ. Nec non

6. hic lustrari potest **Vagina**, in qua latent **Tendines musculorum**, qui pedem flectunt, & extrorsum movent.

Nº. LXXXIII. Phiala in liquore conservans tres musculos Fallopianos, ex uno subjecto, id quod nunquam antea observavi: aliquando quidem unus deficit, & non admodum rarum, si ab utroque destituatur homo, tres autem semel tantum offendi.

Nº. LXXXIV. Phiala liquore referta, in qua reservantur **Pueri Ren** uterque, horum alter à seta dependens, **Rene succenturiato** adhuc instructus est.

Not. 1. **Renem succenturiatum** instar cupulæ **Glandis**, **Reni** incumbere, hic palam est. Alter verò bifectus fundo accumbit phialæ, in quo videre licet papillas renales naturali colore imbutas; harum una spinula demonstratur.

Nº. LXXXV. **Portio Vermis lati**, & articulati, liquori innatans ex homine.

Nº. LXXXVI. **Portio Vermis lati & articulati**, aut alius speciei, ex homine tamen.

Nº. LXXXVII. Phiala, liquore referta, in qua conservatur **Hepar fœtus humani**, substantiâ vasculosâ adeo durum, ut non admiserit vasorum dissolutionem vel excarnationem, uti vulgo loquimur; in eo observari potest, **Arteriam Cysticam** plurimos ramusculos largiri **Hepati**, qui è fundo vesicæ felleæ emergentes,



tes, olim pro radicibus Vesicæ felleæ fuerunt habitæ, per quas crediderunt fel deponi in vesiculæ fundum. Tales autem aliquoties dari radices circa collum & meatum Cysticum, satis mihi notum, ast non è vesiculæ fundo.

Nº. LXXXVIII. Phiala in liquore continens Papillam mulieris, ex cujus superficie varie propullulant Papillæ cutaneæ, quæ ab integumento externo papillari denudatæ, dolores excitant atroces. Vide super hac re plura in descriptione Thesauri I. ubi figuræ sunt additæ.

Nº. LXXXIX. Os uteri int: mulieris in liquore conservatum, ab una parte apertum, ut conspiciendam sese daret Interior constitutio Cervicis interni uteri, quæ variis lacunis ut & sulcis prædita est.

Nº. XC. Phiala continens portionem crassissimam Peritonæi hydropici, quæ stipatur hydatidibus.

Nº. XCI. Placentæ uterinæ portio, cujus Arteriæ tam artificiose sunt repletæ, ut ne ultimæ quidem extremitates materiâ ceraceâ sunt destitutæ, & sic patet Placentæ constitutionem nil esse, nisi vasorum sanguineorum congeriem, per quam nullæ omnino Glandulæ sunt disseminatæ, uti voluere authores.

Decreveram in hocce Thes. IV. figuram integram placentæ uterinæ inferere, cum omnibus suis membranis, quas inter, involucrum aut membrana est, quæ eam investit placentæ faciem, quæ utero annectitur, sed verò sculptor me per tres menses detinuit; ita ut V. Thes. inferere mihi animus sit.

Nº. XCII. Phiala continens Stomachum humanum, cujus aliqua portio rubicundissima, propter arteriarum repletionem.

Not. 1. Arteriæ in dicta portione rubicundissima, ita sunt repletæ, ut Tunica villosa ipsa summa rubedine sit perfusa. Hinc conjicere licet, Arterias in corpore vivo, latice suo valde irrigare dictam tunicam villosam, quemadmodum hic factum à repletionem ceraceæ materiæ.

2. In duodeno hic multæ, ita dictæ, Glandulæ, comparent, instar fovearum: in alio objecto a me conservato apparent tanquam corpuscula rotunda propullulantia ex superficie interna duodeni, quæ videntur constitui ex multis extremitatibus vasorum sanguineorum: hoc locum etiam habere in cæteris intestinis expertus sum, sc: quod aliquando ita dictæ Glandulæ

compareant propullulantes, aliquando fovearum instar excavatæ.

3. Pylori vera constitutio, sese hic videndam quoque exhibet, quandoquidem Stomachus inversus est.

Nº. XCIII. Trunculus ramosus Polypi, tussi ex pectore ejectus, cujus figura existat in responsione mea, in epistolam problem: VI. Tab. VII. Interim hic observandum, hocce objectum tantam habere affinitatem cum ramo aliquo Venoso, aut arterioso pulmonis, ut difficilis sit discretio, & mirum non sit, nonnullos authores ejusmodi objecta habuisse, descripsisse, imò delineasse pro vasis sanguineis, quæ referebant tussi esse ejecta.

Nº. XCIV. Phiala in liquore conservans Infantis Pancreas cum annexo splene.

Not. 1. Pancreatis & Lienis vasa ita esse repleta, & hinc pancreas adeò rubicundum factum, ut nullum superfit dubium, quin non solum Lienis, verum etiam Pancreatis constitutio nil sit, nisi vasorum manipulus.

2. Hic videre quoque est, quomodo vasa sanguinea Lienem & Pancreas adeant.

Nº. XCV. Phiala in liquore continens anteriorem Penis virilis portionem.

Not. 1. Per glandis superficiem innumeræ papillæ nervosæ disseminari, hic constat, præsertim inter Præputium & Glandem: suntque hæ Papillæ quæ voluptatem in coitu adferunt, dolorem autem intolerabilem scortatoribus, ubi ulceribus infestantur dictæ Papillæ: Sunt enim hæ Papillæ, quæ sæpe in scortatoribus, ubi in Gonorrhæam incidunt in coitu cum fordida meretrice, veneni naturam primo assumunt & corpori nervoso communicant.

Hinc etiam sæpissime ulcere infestantur dictæ Papillæ, quæ ulcera, belgico idiomate, vocantur *Chankers*.

Haud equidem nego, dictam malignitatem in coitu etiam per Poros posse intrare ex meretricis vagina, in Penem virilem, & sic ulterius ad alias partes; ast verò dictas Papillas sæpissime affici, experientia docet.

2. Quia hæ Papillæ in conspectum non producuntur nisi in æstro percitis & Pene rigido, ea de causa hæcenus visum fugisse, credibile est, neminem enim authorum legi, qui hæc descripsit, aut delineavit, ea propter modeste delineari curabo brevi.

Quid

Quid præterea circa has partes observaverim, postea manifestare animus est.

Nº. XCVI. Cor humanum balsamo conditum & exsiccatum, decumbens super fericum villosum in arcula ex ligno Indico pretioso confecta, suntque vasa sanguinea totius Cordis ita repleta materiâ ceraceâ rubrà, ut eorum extremitates, non solum capillares nobis obveniant, sed ad tomenti tenuitatem accedentes, & tamen materia ista rubra repletæ: & si quis microscopium adhibeat cœlo sereno, videre facile poterit materiam ceraceam ex illo tomentoso instar fumi aut nubecularum dispergi per Cordis substantiam; similique modo existimo sanguinem Arteriosum, illud, quod nutritioni aptum est, ex arteriis per Cordis substantiam disseminari; sanguis enim ineptus esset nutritioni, quamdiu in claustris continetur.

Not. I. Utamque Auriculam, nec non utrumque Ventriculum esse repleta, & sic utriusque Auriculæ constitutionem veram, hic videre licet, quæ non parum variat ab ea, qua per figuras olim expresserunt authores; per hæc auriculas vasa sanguinea innumera sunt dispersa, quemadmodum videre est. Tab. III. Fig. I. & II. Thesaur. IV.

2. Trunco descendenti venæ cavæ exigua portio Diaphragmatis cohæret, ut videri possit, quam brevis sit illa portio trunci descendenti venæ cavæ, inter Cor & diaphragma in homine, in vitulis & ovibus verò longior, quia in illis Cor longius distat à Diaphragmate, unde etiam Cor brutorum pyramidem repræsentat plane rotundam, in homine contra; facies enim ejus, diaphragma respiciens, plana est, altera vero gibbosa.

Notand: interim Corda humana in cadaverum apertione nobis non semper tali facie occurrere, præsertim in cadaveribus hominum à morbo extabefactorum, in quibus Cor flaccidum, sed in corpore vigoroso, sanguine referto, semper talem observat figuram, idque ab incubatione Cordis super Diaphragma.

Dixi supra Cor talem habere figuram vel formam in corpore vigoroso, jam autem hic habemus Cor, cujus uterque Ventriculus, ut & utraque auricula ceraceâ materiâ sunt repleta, id quod in corpore vegeto à sanguine fit, ea tamen distinctione, quod in homine vivo ventriculi cordis, ut & auriculæ non simul

repleantur, nam in repletione auricularum, inaniuntur ventriculi.

3. Hoc in corde occurrit quoque Arteria magna, ex cujus trunco ascendente, vel potius arcuata incurvatione, supra Cor emergunt tres rami, sursum spectantes, caput petentes, imò brachiis, Collo, & faciei quoque prospicientes. Præterea hic adsunt Trunci Arteriæ & Venæ pulmonalis.

4. Cordis cuspis in duos mucrones exit, quorum interstitium in homine obeso repletur pinguedine.

5. Corda meo modo balsamata, per æva conservari possunt sine corruptione, idque colore vivido & odore gratissimo: ea propter in condiendis cadaveribus neque Corda, Cerebra aut intestina aufero, id quod fatius est, quam viscera seorsum sepelire, uti facere assolent.

Magnatibus in Anglia mos est, ut ex uxorum denatarum capillis artificiose contextis, conficiantur annuli, idque in perpetuam memoriam, potius vero Cor ita balsamatum in pyxide aurea aut argentea conservarent & sic ars mea vigeret.

Nº. XCVII. Penis virilis portio inflata, exsiccata & in lamellas dissecta, ut corpora nerveo-spongiosa majora, ut & corpus nerveo-spong: minus, nec non meatus urinarius in conspectum venirent.

Nº. XCVIII. Foetus ovini Stomachus inflatus, exsiccat, ut quatuor partes Stomachi inter se valde discrepantes egregie videri possint.

Not. Quia in quatuor partes dividi potest Stomachus ovinus, & cibus ex prima, in secundam, si sic porro propellitur: ea propter dicit Clar: Bartholinus, ut & alii, oves bovesque quatuor habere ventriculos.

In dicto Thesauro varia adhuc sunt loculamenta, in quibus animalcula, ex India orientali allata, reposita sunt, de quibus jam nil dicam, quoniam mihi animus est, separatam catalogum animalium conficere.

Præter dicta loculamenta minora, reperitur in infima hujus Thesauri parte, loculamentum maximum, in quibus repositæ sunt minores arculæ, ex Ligno Indico confectæ, in quibus conservantur varia Anatomica.

A. A. Mullei ex Corio humano confecti.

B. Tho-

B. Thorax ex corio humano confectus, in cujus dorso figmatum vestigia visuntur superstitia.

Arcula I. Continet varios Uteros humanos lapidis instar duos.

Nota quod horum cavitas solida materia est repleta, ut naturalem conservaret formam, sine rugis, horum primus Litt. C. notatus, uterus est muliebris, quem descripsi in observat. meis Anatomico-Chirurgicis. Observ. LXXXV. superscriptione: *Vero similis eruptio Menstruorum per Tubam Fallopianam in Petrovim.*

Not. I. Hunc Uterum esse mulieris menstruatæ, in cujus uteri cavitate inventus est cruor coagulatus, quò Tuba s. Oviductus unius lateris etiam erat obsessus, nec non Ovarium ipsum, in cujus superficie coagulatus sanguis fatis copiose adhærebat. Cùm dictus Uterus, cum annexis, ad meas pervenirent manus, operæ pretium esse duxi, illum balsamo condire & sic conservare, id quod feci.

2. Sanguinem coagulatum in uteri cavitate, ut & in ovarii superficie conservavi, sicuti in hunc usque diem hic videre licet.

3. Ovorum vestigia hic quoque videri possunt in Ovariis, ut & Ligamenta lata, nec non Ligamenta teretia, Os uteri internum, &c.

Secundus autem Uterus Litt. D. notatus, Uterus est muliebris, tribus Ligamentis teretibus peditus, id quod semel tantum me vidisse memini.

Huic Utero Ovaria, Oviductus cum suis fimbriis annexa sunt.

Tertium objectum Litt. E. notatum, Ovarium est muliebre, cum suo Ligamento lato, per quod innumeræ arteriæ repletæ repunt.

Arcula II. & in ea,

Nº. I. Ren humanus, propter vasorum sanguineorum repletionem rubicundissimus, & bisectus, ut interiora pateant.

Not. I. Quod dictus Ren lapidis duritiem acquiverit post exsiccationem. Hæc autem exsiccatio tam necessaria est, post vasorum repletionem, ut nemo, nisi hoc fiat, tam clare conspiciendam præbere valeat veram constitutionem. Hunc Renem

D

in

in Thefauro III. descripsi, ubi figuram ejus adjeci, fide data, me in hoc IV. Thefauro nonnulla adhuc additurum, sed promissis stare non potui, præ inopia objectorum hum:

Observandum præterea, si quis hic velit vermicularem vasorum reptatum mirabilem videre, quod debeat objectum Ol: caphuræ, vel spicæ, oblinire; Ol: Caphuræ tamen præfero, idque non sine ratione; præterea eligendus est dies serenus, nec non radii solares.

Nº. II. Dimidia pars Renis humani eodem modo præparata.

Arcula III. Ex ligno juglandis confecta, in qua continetur ramus Arteriæ splenicæ, ceraceâ materiâ repletus & tam artificiose expansus, & exsiccatus, ut sine ostentatione dicere ausim, me neminem adhuc offendisse, qui simile quid sese vidisse, dicere ausus fuerit; extremæ enim extremitates capillorum instar tenues sunt, & tamen ceraceâ materiâ repletæ, expansæ, & exsiccatae, ramulisque à ramo majori haud sejunctis, suntque ramuli ramulis impositi; ut autem distincte extremitates oculos incurrerent, fundus arculæ tegitur serico villoso nigro.

Ultimò considerandum hunc ramum, Pedamento ex ligno juglandis nitide confecto, insidere.


In Arcula IV. ex ligno Indico confecta, conservatur Epidermis Pollicis pedis sinistri, & digiti insequentis.

Considerandum hæc objecta ita esse præparata & exsiccata, ut videantur digiti hominis viventis; albat Epidermis, nullæ visuntur rugæ, & Ungues cohærent Epidermidi, tanquam in corpore vivo.

Arcula V. ex ligno Cedrino fabricata, continet Lienes Vitulinos aliquot, quorum 1. Litt. A. notatus excarnis, uti perperam loquimur, inflatus & ante quadraginta annos, exsiccatus, postea ablata membranâ ambiente, distincte lustrari possunt perforationes, quæ in Vena splenica visuntur. Hoc tamen incassum quis in Liene humano quæreret.


Not. 1. Quamvis Vena foraminibus sit referta, tamen expansa & oblongo-rotunda nobis occurrit, id quod jucundum visu. Noli tamen credere Lect. Benev. dictam venam, per totum Lienem ita esse constitutam; contrarium enim nobis olim demonstravit Exercitissimus D. Higmorus: vix enim digiti longitudinem sic excurrit, postea vero, nullis ramis productis,

eva-




TAB. I.


TAB. IV.







*Fig. 2.*



*Fig. 1.*



*Fig. 3.*



evanescit, & loco ramorum Venæ Splenicæ, fulci formantur ramosi, (si ita loqui liceat) per totum Lienem vitulinum.

2. Fibræ transversales hic quoque occurrunt, situm naturalem observantes.

Lien secundus Litt. B. indigitatur, per cujus partem gibbosam, innumera vasa lymphatica repunt inflata. Cum enim Lienem exsiccarem, flatu illum replebam, hoc facto, vasa lymphatica eodem flatu replebantur.

Tertius & Quartus Litt. C. C. notati. Horum Arteriæ ceraceâ materiâ sunt repletæ.

## EXPLICATIO TABULARUM

### TABULA PRIMA.

Fig. I. **E**Xhibet Rhenis humani dimidiam partem, ita dissectam, ut reptatus vasorum, præsertim sanguineorum, luculentius, quam in præcedenti Thesauro Tab. IV. Fig. III. videri possit; ubi magis inhærebam, ut conjunctiones arteriolarum cum ductibus Bellini exhiberem, in hac autem figura distinctissime vasorum sanguineorum cursum vermicularem per interiorem Renis partem, exprimere volui.

A. Facies Renis exterior, per quam vasa sanguinea reptatum observant vermicularem, pro ut luculenter quoque expressi in Thesauro præcedente.

B. Facies Renis interior, ubi vasa sanguinea, non minus cursum vermicularem observant, quam in facie exteriori.

Not. 1. Tam subtiliter dictus vasorum reptatus, in hac figura, est expressus, ut ni oculi sint muniti, vix videri possit.

2. Nulla hic foramina, de quibus in præcedenti Thesauro mentionem feci comparent, quia in Renis exsiccatione perierunt.

C. Papillæ Renales.

D. Pelvis Renis.

E. Cavitas pelvis, in quam papillæ urinam stillando expriment.

FIG. II. Testiculus humanus dissolutus, qui nil nisi fasciculus vasculorum tenuissimorum.

FIG. III. Plica Polonica vera.

FIG. IV. Caput foetus ovini deforme, & ore destitutum, vel sine ore formatum.

### TABULA II.

Exhibet vesicam urinariam bovinam ita inversam, ut facies

D 2

ejus

ejus interior, hic facta sit exterior, tuberibus referta.

FIG. I. A. A. Tubera dicta lapidefacta.

B. Tubera mollia.

FIG. II. Demonstrat IV. calculos, qui in dictæ vesicæ cavitate prociderant.

FIG. III. Calculos aliquot indigitat, qui partim digitis meis, partim sponte, ab interna tunica vesicæ prociderunt.

### TABULA TERTIA.

Exhibet Cor humanum ceream materiâ rubrâ in totum repletum, ut verus reptatus vasorum, vera Cordis & Auricularum figura videri possint.

FIG. I. A. Cor facie planâ visum, qua diaphragma incumbit.

B. Truncus venæ Coronariæ cum suis ramis.

C. C. C. C. Rami Arteriæ Coronalis, cujus extremitates, ceu tomentum, subtiles, tamen ceraceâ materiâ repletæ.

D. Portio Auriculæ dextræ, (tali enim situ integra auricula oculos non incurrit) per quam vascula sanguinea innumera sunt dispersa.

E. Portio diaphragmatis superstes.

F. Truncus venæ cavæ descendens, diaphragma perforans.

G. Sacculus membranofus

qui Venæ Pulmonalis quasi basis est, & cum ipsa auricula sinistra, communem cavitatem constituit.

H. Truncus Arteriæ magnæ, ex cujus dorso tres prodeunt rami, sursum ascendentes.

Not. Interim dictos ramos nobis tali modo occurrere (Corde ita posita) ut facies plana oculos incurrat.

I. I. I. Tres rami Arteriæ magnæ sursum ascendentes.

K. Truncus ascendens Venæ Cavæ.

L. Portio Auriculæ sinistrae.

M. M. Rami Venæ pulmonalis.

N. Unus ex ramis Arteriæ pulmonalis: cæteri rami hic in conspectum haud veniunt, corde ita proposito.

FIG. II. A. Idem Cor humanum facie gibbosa, & situ naturali visum.

B. Rami Venæ Coronariæ.

C. Rami Arteriæ Coronariæ.

D. Auricula dextra.


E. Rami venosi, prodeuntes ex Auricula dextra.

F. Auricula sinistra.

G. Truncus arteriæ magnæ.

H. Truncus arteriæ pulmonalis.

I. Truncus ascendens Venæ cavæ.



Weyberts.

ad vivum sculpsit



FREDERICI RUYSCHII

*Anatomie & Botanices Professoris*

THESAURUS  
ANATOMICUS  
QUINTUS

*Cum Figuris aeneis.*



AMSTELÆDAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS. 1725.





# T H E S A U R U S A N A T O M I C U S

## Q U I N T U S,

*Quinos continens asseres : quorum primo imposita sunt sequentia.*

### A S S E R P R I M U S.

N<sup>o</sup>. I. **P**hiala in liquore continens Infantis Caput, cujus pars Cranii superior est ablata, ut Cerebri portio videri posset.

Not. 1<sup>o</sup>. Dictam Portionem Cerebri, in Capitis cavo relictam, Pia matre obductam esse, hic licet cernere : per eam plurima vasa sanguinea repleta repunt, nec non innumeræ particulæ rotundæ, & albicantes, per eam sunt dispersæ, quæ mihi sunt pinguedo ; aliis autem perperam dicuntur Piæ matris Glandulæ.

2<sup>o</sup>. In utroque latere, supra dictam Cerebri portionem, Plexus Choroideus sese videndum exhibet, estque coloris albicantis, quia ceraceâ materiâ non est repletus.

3<sup>o</sup>. Sub Cute, in orbem dissecta, pinguedo apparet, eadem formâ & colore, sicuti in suprascripta Pia matre.

N<sup>o</sup>. II. Phiala in liquore conservans brachium pueri, recens nati, coloris vividi, cujus manus continet portionem Epidermidis humanæ : in ea portione, quæ digito annulari proximè adjacet, luculenter visuntur productiones Epidermidis, quæ investiunt pilos, è cute erumpentes, idque ad altitudinem aliquot linearum.

Hæ autem productiones hic jam comparent in superficie interiore Epidermidis, quia in Epidermidis separatione invertuntur, sicuti videmus fieri in chirotheca, cum eam extrahentes

parte superiore arripimus, sic enim chirothecæ productiones, digitos tegentes, simili modo invertuntur.

Nº. III. Brachium pueri ejusdem notæ, in liquore conservatum: in hujus manu continetur Corpus reticulare testudinis.

Not. In hoc animali foramina Corporis reticularis esse admodum capacia, iisque lustratis, facilius in subjecto humano in conspectum producuntur.

Nº. IV. Brachium pueri, vitæ speciem referens, in cujus manu continetur portio Linguae vitulinæ, ita dissectæ, ut sequentia luculenter videre liceat, &

1º. quidem, quomodo papillæ nervosæ, Corpus reticulare linguae transeunt, in linguae area desinant.

2º. Videndas sese exhibent in hoc objecto innumeræ papillæ nervosæ, ab integumentis denudatæ, idque in superficie hujus objecti.

3º. Dictas papillas nervosas in suis extremitatibus crassiores fieri, videri hic potest, & verosimile quoque est, integumenta linguae productiones & expansiones dictarum papillarum esse.

Nº. V. Foetus humani, jamjam nati, manus, in liquore continens portionem Epidermidis humanæ, ut & Corporis reticularis Malpighii.

Not. 1º. Cuticulam hic esse coloris cineracei, Corpus reticulare contra coloris subflavi.

2º. Papillas in Corpore reticulari microscopii (pe videri posse, scilicet portiones, quæ abruptæ, in Corpore reticulari relictae sunt.

3º. Papillas extra Epidermidem non nihil hic propullulare, idque propter diutinam macerationem in liquore.

Nº. VI. Brachium infantis, viventis speciem referens, & manu tenens Duram matrem hominis, per quam plurimæ Arteriæ, ceracea materia repletæ, sunt disseminatæ. Quam dura, crassa, tenax & veluti tendinosa sit dicta membrana, hic videre est.

Nº. VII. Infantis Brachium, viventis instar rubicundum, & nullis rugis contractum; inter digitos manus continetur ramus floris passionis, fructu præditus, in quo fructu, quamvis mollis sit, nulla ruga; imo in extrema ejus parte floris clavi conservati.

Nº. VIII. Foetus recens nati portio stomachi, à cujus fundo  
magna

magna Omenti portio dependet, quæ in præparatione illibata, nulla contraxit foramina, quantumvis nonnulli existiment, Omenta in naturali statu esse foraminulenta, id quod à vero alienum; si autem suspensa manu non tractetur, facillime Omentum foramina contrahit.

Not. Præterea stomachi portionem rubicundissimam esse propter Arteriarum repletionem, & præsertim quidemunicam V illosam & Nerveam.

Nº. IX. Placenta Uterina humana integra, rubicundissima, propter vasorum sanguineorum, Placentam constituentium, repletionem.

Not. in Variis locis superesse integumentum, quo superficies Placentæ, Uterum respiciens, integitur: ut autem hoc magis visui constaret, liquori innatat Placenta. De hac re plura referam, cum pervenerim ad Asserem tertium hujus Thesauri.

Nº. X. Phiala in liquore continens Vasa arteriosa Cerebri humani, ceraceam materiam flavam referta.

Nº. XI. Phiala, in qua continetur Pia mater, cujus vasa arteriosa ad extremum usque sunt repleta.

Not. Extremitates ultimas tomenti instar esse tenues, & tamen ceraceam materiam repletas.

Nº. XII. Arteria splenica vitulina, in liquore conservata, & repleta materiam ceraceam rubram, cujus extremitates præbent speciem penicillorum, ex parte detritorum.

Nº. XIII. Phiala in liquore conservans hominis Piam matrem integram, & quidem fere illibatam; hujus Arteriæ ad extremum usque mirum in modum sunt repletæ, ita ut tomentum rubrum repræsentent vasculorum extrema.

Not. præterea 1º. Piam matrem in hoc, ut & aliquando etiam in aliis objectis humanis, pinguedine variis locis esse ditatam.

2º. Processus Piæ matris, qui sese inlinuant inter interstitia circumvolutionum Cerebri, hic oppido quam bene posse conspici.

Nº. XIV. Portio Intestini jejuni hominis, ita inversa, ut superficies interior hic facta sit exterior, & sic juga (valvulæ conniventes Kerkringio dictæ) ut & ita dictæ Glandulæ luculenter conspici possint: hæ autem Glandulæ solitariae & miliares dictæ, extra superficiem propullulant, cum contra in Intestino

recto , ut & in iis , quæ dicuntur in agmen confitæ , inftar fovearum feſe videndas ut plurimum exhibeant.

Nº. XV. Fœtus humanus quinque fere menſum , liquori innatans , quem aggreditur Serpens Africanus exiguus , admodum elegans & rarus , unde , quaſi pavefactus , caput poſteriora verſus refleçtit , içtumque fugere videtur.

Hujus Inſcriptio talis eſt:

#### MUNDUS LACHRYMARUM VALLIS.

Nº. XVI. Brachium Infantis , vitæ ſpeciem referens , cujus manus continet Cerebri portionem , cujus parte corticali ablata , fulci & circumvolutiones ſubſtantiæ medullaris egregie conſpiciuntur. In Phialæ fundo vaſa Arteriota , per Piam matrem diſperſa , copioſe videri poſſunt.

Nº. XVII. Phiala in liquore continens Ramos Venæ Cavæ , per Hepar diſperſos , aut potius Hepar ex parte conſtituentes ; ſuntque eorum ramuſculi longe pauciores non ſolum , verum etiam aliter conſtituti ac ramuſculi Venæ Portæ , ſicuti hoc diſtincte videri poteſt in præmiſſis & ſequentibus Jecinoribus , ubi Vena Portæ & Vena Cava ſibi invicem adhuc cohærent.

Nº. XVIII. Pueri Inteftina , inſarçta ceracea materia rubra , horum vaſa ſanguinea quoque ſunt repleta.

Nº. XIX. Hominis Veſicula fellea aperta , in qua viſuntur duo calculi nucis Moſchatæ magnitudine.

Not. 1º. Hoſce calculos forma non convenire cum iis , quæ ſæpe reperiuntur in Veſicula fellea : Hi enim ſunt inftar nucis Moſchatæ rotundi , colore nigricantes , illi autem anguloſi , parvi & ſinuoſi , ſuperficie æquali & quaſi politi & colore ſubflavo.

2º. In interiore ſuperficie dictæ Veſiculæ reperiuntur innumeræ foveæ minutæ , ceu Glandulæ Inteftini recti , quæ etiam fovearum inftar ſæpe ſeſe videndas exhibent.

Nº. XX. Fœtus humani novem circiter menſum Caput , cujus parte Cranii ſuperiore , ut & Cerebro ablatis , videndas ſeſe exhibent Nervi olfactorii cum ſuis productionibus , per Os Cribriforme ad Naſi tunicam , ejuſque papillas , iter facientibus.

Not. Præterea Cerebellum proprium adhuc occupare locum.

AS.

## ASSER SECUNDUS.

N<sup>o</sup>. XXI. **P**Hiala sicca, in qua conservatur portio membranæ Chorii vaccini, per quam disseminantur rudimenta plurima Placentularum minutissimarum; in iis oppido quam bene videri potest Placentulas nil esse, nisi vasorum sanguineorum compages, absque ullis glandulis

Considerandum, dictas Placentulas nonnullis Authoribus antiquis dici Acetabula: cum autem alii reperiuntur, qui per Acetabula intelligant sinus quosdam in uterinis protuberantiis Vaccarum, dum utero gerunt; fatius fore existimavi nomine Placentularum uti, quæ denominatio omnibus magis nota.

N<sup>o</sup>. XXII. Phiala in liquore conservans portionem Cerebri infantis, cujus corticalis substantia est ablata, & sic longe distinctius sulci & circumvolutiones conspici possunt.

N<sup>o</sup>. XXIII. Hominis adulti Auricula, in liquore conservata, quæ vitæ speciem refert: in ea videre licet innumeros poros cutaneos hiantes.

N<sup>o</sup>. XXIV. Phiala liquore referta, in qua conservatur portio Piæ matris, Cerebellum investientis, è fœtu humano.

Not. 1<sup>o</sup>. Quod Processus, qui sese insinuant inter Cerebelli lamellas, luculenter, variis locis, hic videre liceat.

2<sup>o</sup>. Dictam membranam admodum esse tenuem & vasculosam, ita ut maxima parte constituatur ex vasis sanguiferis, quæ, ne loco suo dimoveantur, continentur membranacea substantia, telæ Araneorum crassitiem, in ea ætate, vix excedente. Rem ita esse constabit, si quis vasa sanguinea, aut solummodo Arterias hujus Membranæ repleverit ceraceâ materiâ tinctâ, idque ad ultimas extremitates usque; tum enim id, quod membranosum est, albicante colore nobis occurrit.

Si quis autem de crassitie Piæ matris vellet judicare, quatenus sese videndam exhibet sine repletionem vasorum, facile falleretur; tunc enim crassior apparebit, propter vasa sanguinea, quæ post mortem, ut plurimum maxima parte, inanita sunt, & sic ad crassitiem Piæ matris multum conferre videntur.

N<sup>o</sup>. XXV. Acetabulum ossis innominati fœtus immaturi, sub cujus medio ligamentum nerveo-cartilagineum in conspectum venit, in liquore.

Not.

Not. 1<sup>o</sup>. Difti ligamenti basin ad robur articuli , admodum effe latam , & expanfam , acetabuloque affixam , donec pervenerit ad marginis partem inferiorem , ubi ab acetabulo recedens inferitur in caput offis femoris.

2<sup>o</sup>. Diftum ligamentum rubedine effe perfufum , propter arteriolarum repletionem.

N<sup>o</sup>. XXVI. Inteftinula foetus immaturi , ceraceâ materiâ nigra referta ; & fic apparent tanquam in corpore vivo , ubi Meconio nigro funt repleta.

Not. Arterias dictorum inteflinorum egregie effe repletas.

N<sup>o</sup>. XXVII. Phiala in liquore continens unam ex Placentulis Ovinis , ceraceâ materiâ flavâ repletam.

Hoc objectum tam nitide hic nobis occurrit , ut nemo fine admiratione illud adfpicere poffit. Arteriolarum enim repletio , ramufculorum divifio , & extremitatum fuccofitas vifum allicere debent.

N<sup>o</sup>. XXVIII. Ren foetus ovini , cujus Arteriæ non funt repletæ , ita ut omnia admodum confufa nobis occurrant : cum autem arteriæ funt repletæ , veram constitutionem cernere licet , ficuti hoc apparet in objectis præcedentibus.

N<sup>o</sup>. XXIX. Phiala liquore referta , in qua confervatur portio Pulmonis serpentis.

N<sup>o</sup>. XXX. Portio Venæ Cavæ , per Hepar difperfæ , aut potius , quæ Hepatis partem gibbofam conftituit. Hæc autem Vena quantum differat à Vena Portæ , per fig. expreffa in præcedente Thef. 2.

N<sup>o</sup>. XXXI. Phiala ficca , & in ea Calculi , in Vefica biliaria humana reperti ; quamvis autem hi ceu politi , flavi & splendentes , imo angulofi funt , non raro tamen reperi eos rotundos , fuperficie inæquales , nuces Mofchatae magnitudine , & nigros , uti fupra innui N<sup>o</sup>. XIX.

N<sup>o</sup>. XXXII. Phiala ficca , in qua refervantur Calculi , ex eodem loco ad Inteftina propulfi , & per anum excreti.

Circa hosce calculos obfervari poteft , eos adeo effe leves , ut , in aquam pofiti , aquæ innatent.

N<sup>o</sup>. XXXIII. Phiala in liquore confervans Oculum Gallinæ , ita præparatum , ut Mufculus nictitans cum fuo tendine videri poffit : hujus tendo fub alio Mufculo , tanquam per trochleam , repit.

N<sup>o</sup>.

Nº. XXXIV. Pueri vera Intestini susceptio , quæ , post cruciatus varios , mortis fuit causa.

Not. Phiala , dictum objectum continens , obturata est , loco vesicæ , cute humana , tam artificiose præparata , ut vasa sanguinea repleta , cutim summa rubedine imbuant.

Nº. XXXV. Phiala sicca , continens portionem Venæ jugularis , ex caballo.

Not. parte superiore , ubi ramulum promit , duas reperiri valvulas , sanguinis regressum præpedientes.

Nº. XXXVI. Thymus infantis rubicundissimus præ copia vaporum sanguineorum , ceraceâ materiâ repletorum.

Nº. XXXVII. Phiala in liquore conservans Os petrosum infantis , in cujus capsâ , quæ hic aperta , conspici licet officulum Stapedem in suo situ naturali , membranula tenuissima obductum , per quam plurima vascula arteriosa repunt.

Not. Præterea , membranulam , dictam capsam cingentem , rubicundissimam esse , propter Arteriolarum repletionem.

Nº. XXXVIII. Hepatis tertium Ligamentum tenuissimum , robustum tamen , cujus ope Hepatis limbus connectitur Diaphragmati , idque in sinistro latere , circa cartilagineum ensiformem ; hoc Ligamento Hepar continetur , ne nimis fluctuet in dextrum latus.

Not. 1º. Huic Ligamento cohærent portio Hepatis , ut & Diaphragmatis , idque in liquore.

2º. Plurimis vasculis sanguineis ditatum dictum Ligamentum.

Nº. XXXIX. Phiala sicca , continens Penem pueri ; cujus membrana Cellulosa flatu repleta ; de qua materia videri potest Respons. ad Epist. Problem. XV. ubi per figuras hanc membranam delineandam curavi.

Nº. XL. Phiala , in cujus fundo videre licet Pulmonem Embryonis recentem & bene constitutum.

Not. In fundo Phialæ , liquore repletæ , dico reperiri Pulmonem : nunquam enim liquori supernatabit Pulmo bene constitutus , si foetus in Utero materno moriatur , ante suum exitum ; ita ut , vel ex ignorantia , vel ex malevolentia contrarium sustinerint , qui mihi olim adversabantur , tanta cum astutia ; id quod illis condono.

Nº. XLI. Phiala in liquore conservans portionem membranæ

B

Chorii

Chorii foetus humani, quam in duas partes, maxime inter se discrepantes, separavi; harum altera tenuissima & pellucida, foetum respiciens, Pseudo-Alantois à me vocabitur nomine in posterum, propterea quod vera Alantois in homine non reperiatur; altera autem, quæ opaca, crassior, non extensilis, & utramque faciem Placentæ obducens, Chorii nomen retinere poterit, (illa enim inservit fulciendis vasis sanguineis) modò illam portionem, quæ recedit à Placenta, & per quam rarissime vasa sanguinea visuntur dispersa in homine, mihi liceat nominare membranam Placentæ Villosam: usum enim peculiarem obtinere existimo; scilicet, quod sit ceu Tunica Villosa intestinorum tenuium, in quam Chylus sese insinuat, ut eò facilius radices vasorum lacteorum chylum recipere possent; sic quoque succus nutritivus, in extremitatibus Arteriarum Uteri confectus, & in dictam Tunicam Villosam sese insinuans, à Venarum Placentæ extremitatibus suscipitur, & ad foetum per funiculum Umbilicalem deducitur.

Dixi foetus succum nutritivum in extremis Arteriolis uterinis confici, id quod auctores olim Glandulis Uterinis, nunquam visui exhibitis, adscripsere; tale quid nemo unquam demonstrare poterit; jam autem dubitandum non est, dictas extremitates Arteriolarum Uterinarum in sui extremo aliam subire mutationem, ut aptæ natæ sint ad succi nutritii confectionem, ex sanguine arterioso. In ovibus dictæ extremitates Arteriolarum Uterinarum in vasa vermicularia, nullis intercedentibus Glandulis, mutantur, quemadmodum depingi curavi in Thefauri II. descriptione; utrum hoc etiam locum habeat in corpore humano, nondum satis exploratum habeo: sed ad viam, unde digressus sum.

Dicta portio Tunicæ Chorii, quæ mihi Villosa aut succosa, uteri cavitatem non solum, verum etiam Placentæ uterinæ faciem, quæ uterum respicit, obducit, id quod absurdum, & tanquam Chimæra plurimis quidem videbitur, attamen veritati consentaneum esse reperient, qui debito modo per Arteriam umbilicalem Placentam ad extremum usque ceraceâ materiâ rubrâ repleverint: nam hoc facto, tota Placenta, (quæ nil aliud nisi vasa sanguinea,) summa rubedine perfunditur, & sic in conspectum venit dicta Tunica Villosa aut succosa, cinereo colore



lore prædita, quam si accurate perscrutatus fueris, Lector Benevole, reperies illam esse continuam cum Tunica Villosa, mihi dicta. Vid. Tab. I. Fig. I. Thef. V.

Dixerit forsan aliquis, si illa portio Chorii, quæ mihi succosa seu Villosa, continet cum ea portione, per quam Vasa sanguinea repunt, quare diverso nomine insigniri velim? Resp. hoc à ratione non esse alienum, quoniam diversum usum obtinere mihi videntur; illa enim portio, per quam myriades vasorum sang. sunt dispersæ, vasa continet, ne loco dimoveantur: altera vero, quæ mihi succosa, rarissime vasis sang. superbit, villosior quoque, & minus tenax. Intestinum jejunum continuat quoque cum Duodeno & Ileo, attamen in totum haud conveniunt inter se, & ea de causa diversis insigniuntur quoque nominibus. Mesenterium membrana est, quæ continuat cum Mesocolo, diversa tamen habent nomina, quia portio illa connectit tenuia, hæc autem crassa intestina.

Nº. XLII. Phiala in liquore conservans Testiculum humanum dissolutum.

Nº. XLIII. Phiala sicca continens Intestinula foetus immaturi, ceraceâ materia referta.

### ASSERTIUS.

Nº. XLIV. **P**hiala in liquore conservans portionem substantiæ corticalis Cerebri humani dissolutam, quam à capillo dependentem nil esse, nisi vascula sanguinea, ex hoc subjecto luculenter apparet: suntque dicta vascula sanguinea, corticalem Cerebri substantiam constituentia, tam subtilia, ut, prima fronte visa, nobis occurrant tanquam tomentum rubicundum, propter vasorum repletionem ceraceâ materiâ rubrâ.

Nº. XLV. Phiala in liquore continens Cerebri humani portionem, cujus cortex non dissolutus, præ copia vasculorum sanguineorum repletorum, rubicundus apparet, medullaris verò albicat.

Not. 1º. In medullari substantia plurima puncta reperiri rubicunda, quæ nil, nisi vascula sanguinea repleta, & transversim scilla.

2°. Quamvis substantia medullaris Corticalem mole superet, variis tamen locis in Cerebri peripheria, corticalem substantiam medullarem superare mole sua, hic constat.

N°. XLVI. Phiala in liquore conservans portionem substantiæ Cerebri, cujus substantia Corticalis, in totum non repleta ceraceâ materiâ rubrâ, minus distincte repræsentat, qualis sit vera ejus constitutio.

N°. XLVII. Portio Placentæ Uterinæ muliebris, ceraceâ materiâ flavâ repleta, cujus facies (ut supra dictum) Uterum respiciens, vel quæ Utero connectitur, membranâ succosâ adhuc est obducta.

N°. XLVIII. Fœtus humani Cerebellum cum annexa protuberantia annulari, bisecta, & liquori immersa.

Not. 1°. Ut interiora distinctius nobis occurrant, à seta dependet in liquore dictum objectum.

2°. Corticalis substantia in totum rubicunda, propter repletionem supra memoratam, Medullaris contra albicat.

3°. Hoc objectum tam distincte & luculenter demonstrat, Corticalem substantiam esse vasculosam, ut, hisce visis, nemo de rei veritate diutius anceps hæere possit.

N°. XLIX. Portio Cerebri humani, in quo Nervorum Opticorum coalitio, ut & eorum proventus ex Thalamis distincte videri possunt.

Not. Præterea Cerebelli processum, Vermiformem dictum, substantiâ non esse distinctum à reliqua Cerebelli substantia, hic videre est.

N°. L. Hepar vitulinum excarne, uti vulgo (ast minus caute) loquimur.

Not. Dictum objectum in liquore conservatur, ut luculentius ramorum divaricationes in conspectum veniant.

N°. LI. Phiala liquore repleta, in qua conservatur fœtus humanus, quinque præter propter mensium cum dimidio, dextrâ ferens portionem Piæ Matris, quæ scatet Arteriolis repletis, ejus inscriptio talis est:

VITA QUID EST? FUMUS FUGIENS,  
ET BULLA CADUCA.

Not. Hunc fœtum situm habere talem, qualem obtinet in Utero materno.

N°. .

N<sup>o</sup>. LII. Portio Cerebri, cum integro Cerebello.

Not. 1<sup>o</sup>. Reptatus Arteriolearum per Cerebelli superficiem, hic luculenter videri potest, quia repletæ sunt dictæ Arteriæ.

2<sup>o</sup>. Arteriæ Cervicalis unionem cum Arteriis Vertebralibus, earumque ramificatione, distincte hic videre licet, nec non portionem Tunicæ Arachnoideæ, præsertim supra processum Vermiformem, ubi fluctuans apparet, Phiala nonnihil mota.

3<sup>o</sup>. Processus Vermiformis cum duobus processibus Cerebelli, ad ejus latera siti, longe distinctius hic videri possunt, quam in objecto recenti.

4<sup>o</sup>. Quid sit de subdivisione substantiæ Corticalis Cerebelli, in millenas particulas quadrangulares, de quibus egi, & quas depingi curavi in Respons. Epist. Problem. XII. ad Clariss. Virum Ettmullerum, hic quoque videre licet.

5<sup>o</sup>. Loco vesicæ, dicta Phiala obturata est Membranâ, myriadibus Arteriolearum repletarum superbiente, id quod observavi quoque in omnibus fere Phialis, de quibus egi, & in posterum agere decrevi, & hoc non solum, ut visui gratiam conciliarem, verum etiam, ut diversitas vasorum sanguineorum reptatus videri possit.

N<sup>o</sup>. LIII. Phiala in liquore conservans ossium Tarsi humani portionem, hæc ossa in unum coalita, & in aliam substantiam mutata, nil minus, quam ossa illius loci repræsentant, idque ex muliere, cujus pes extremus Spina Ventosa fuerat obsessus.

N<sup>o</sup>. LIV. Intestinula foetus immaturi tenuia, nitidissime repleta & conservata, per quæ distribuuntur vasa sanguinea, ceraceâ materiâ flavâ repleta.

N<sup>o</sup>. LV. Phiala, & in ea foetus humanus trium circiter mensium cum dimidio, cujus caput decumbit, loco pulvinaris, super Placentulam, tali inscriptione:

## LIBER AB OMNI MALO, IN PACE QUIESCO.

N<sup>o</sup>. LVI. In medio hujus Afferis reperitur Pedamentum magnum, cui insidet rupes naturalis, instructa non solum Calculis humanis membranisque, per quas repunt vasa sanguinea repleta, verum etiam Renibus humanis, Ureteribus, &c. ita ut rupes naturalis immediate haud videri possit.

Præterea dicta rupes obfessa est ramis vasorum sanguineorum, qui, repleti ceraceâ materiâ rubrâ, repræsentare videntur Corallia rubra.

In fastigio hujus rupis sese videndum exhibet sceleton foetus humani, sex circiter mensium, tali situ & corporis incurvatione, ut capite antrorsum adacto, quasi alloqui velle videatur sceleton foetus humani ejusdem ætatis (sunt enim gemellorum sceleta) quod in fundo pedamenti pedibus insistit, tali inscriptione:

DECIPIMUR VOTIS, ET TEMPORE FALLIMUR, ET MORS  
DERIDET CURAS; ANXIA VITA NIHIL.

Not. Secundum sceleton pedes figit in fundo Pedamenti, talique situ corpus contorquet, ut, capite sursum adacto, quasi auscultare, & alterum sceleton aspicere velle videatur, cum inscriptione:

ET VIX DUM CÆPI VIVERE, VITA FUGIT.

Dictum sceleton, pedes figens supra Pedamentum, sinistra continet partes generationis infantis, quas more antiquo à 40 annis præparaveram; ante Vulvæ introitum videri potest membrana Hymen.

Ante pedem dictæ rupis reperitur quoque sceleton foetus humani trium circiter mensium cum dimidio, dextra gerens ramos Arteriosos è pulmone, repletos & artificiosissime exsiccatos, quorum extremitates valde tenues & capillares sunt, hujus inscriptio est:

NIL VOLENTIBUS ARDUUM.

Nº. LVII. Phiala in liquore conservans Placentam uterinam, cujus Fig. I. Tab. I. continetur.

Not. 1º. Hanc Placentam, ea superficie, qua connectitur Utero, illibatam esse, unde non in multos globulos à se invicem separatos est subdivisa, sicuti illa nobis ut plurimum occurrit, ob rudiorum extractionem, sed integra, ita ut Tunica Villosa, seu succosa, de qua supra egi, hic fere illæsa nobis sese videndam exhibeat.

Dicta

Dicta superficies semper, & quidem in statu naturali, fulcosa nobis occurrit, illi verò sulci operiuntur dictâ membranâ Villosâ, nisi Placenta à rudiori manu in varias particulas disjungatur.

2°. Dictam Tunicam Villosam continuari cum ea parte Chorii crassiore, quæ Placentam obducit, ea facie, quæ foetum respicit; hæc oppidò quam bene hic cernere licet, & sic constabit, ut antea dixi, Chorii partem crassiorem, quæ mihi succosa & villosa, utramque superficiem Placentæ obducere.

Longe itaque à veritate recedit, quod dixerint olim Anatomici, scilicet vasa sanguinea Placentæ inofculari vasis sanguineis uterinis.

Quid præterea sit considerandum circa hanc materiam, supra innui, & in gratiam eorum, qui me olim sæpius rogarunt, quid sentirem de ita dicta Tunica Alantoide, nonnihil hic addere animus mihi est. Quid statuendum sit de Alantoide brutorum & de ejus contento humore, hæctenus mihi satisfacere non potui, multo minus quid dicendum de ita dicta Alantoide humana, quandoquidem nunquam illam invenerim, & objectorum inopia, temporis penuria, imo impensæ incredibiles, quas intra 40 annos feci, & adhuc facio, me detinuerunt hæctenus: hoc saltem in medium proferam, quid observarim temporis successu.

Nunquam Urachum humanum inveni ita pervium, ut flatum aut liquorem ex Vesicæ cavitate adigere potuerim in peculiarem, ita dictam, Alantoidem; Urachus quidem apertus est, ad digiti transversi præter propter longitudinem, sed non ulterius.

Tunica Chorium, ut supra dictum, in duas lamellas separabilis, quas inter in statu (ut puto præternaturali) aliquando quidem inveni paucillum liquoris; sed hoc ubique in corpore non raro contingit, scilicet liquores colligi inter membranarum duplicaturas, & hoc imposuisse Anatomicis exillimo, qui Alantoidis existentiam statuerunt in corpore humano, id quod nunquam me statuisse memini.

3°. In dicta Phiala reperitur quoque frustum Placentæ, à dicta Tunica Villosa seu succosa separatum, ut vasorum constitutio accurate videri posset.

4°. Funiculi umbilicalis vasa sanguinea, ceraceâ materiâ repleta, hic luculenter conspiciuntur.

Nº. LVIII. Infantis Pes, naturali rubedine perfusus, & in liquore conservatus.

Not. 1º. Omnes Musculi Tibiam flectentes, & in postica parte femoris siti, hic nitide sunt separati, sc. Sartorius, Gracilis, Semi-nervosus, Semi-membranosus, & Biceps, quos inter sub genu Nervi, Os sacrum transeuntes, & per femur decurrentes, luculenter videri possunt, nec non eorum ramificationes sub genu, quarum exterior gracilior, per Musculos, Fibulæ infratos, decurrit, alter verò & crassior, inter Tibiam & fibulam decurrens, ramum largitur, qui inter duo capita Musculi Gastrocnemii externi decurrit ad Calcaneum.

2º. Parte anteriore conspiciendas quoque sese exhibent portiones Musculorum Tibiam extendentium sc. Musculi lati tendinis, Recti, Vasti interni, & Vasti externi. Suntque omnes hi Musculi naturali rubedine perfusi.

Nº. LIX. Phiala in liquore conservans Cor foetus humani & Pulmonem.

Not. 1º. Pulmonis vesiculæ ceraceâ materiâ sunt repletæ, unde totus Pulmo rubicundus, & naturali expansione præditus est.

2º. Inter duos Pulmonis lobos majores Cor in conspectum venit, naturali colore præditum, situmque naturalem retinens.

3º. Arteria Pulmonalis, Arteria magna cum tribus suis ramis abscissis, sursum spectantibus, nec non ductus Arteriosus, & Cordis auriculæ luculenter hic videri possunt, tanquam in corpore vivo.

Nº. LX. Phiala liquore repleta, in qua offertur sutura tendinis Musculorum suralium.

Nº. LXI. Phiala in liquore continens hominis Os petrosum, in quo distincte videri possunt tres Canales ossei, Cochlea, cum sua lamina spirali, tenuissima membranula succincta.

Nº. LXII. Arteria splenica vitulina, ceraceâ materiâ flavâ repleta, & in liquore conservata, ut extremitates succosæ, penicillorum detritorum modo constitutæ, videri queant.

Nº. LXIII. Phiala sicca, continens tria corpuscula à capillo dependentia, ab aliis habita pro calculis, quæ mihi sunt ossicula, reperta in Glandula Pineali, quæ mihi dono dedit Excel. Vir, Collega & Dominus Quina, Practicus apud Amstelodamen-

mensis felicissimus, qui hæc objecta in Glandula Pineali cujusdam foeminae invenit.

Nº. LXIV. Phiala, liquore repleta, & in ea foetus humanus trium circiter mensium, nitide conservatus, cujus inscriptio talis est:

NAVITA, QUO PACTO SÆVIS PROJECTUS AB UNDIS;  
SIC EGO NUDUS HUMI JACUI PUER, INDIGUS OMNI  
AUXILIO VITÆ, CUM PRIMUM IN LUMINIS ORAS,  
NIXIBUS EX ALVO MATRIS, NATURA PROFUDIT.

Nº. LXV. Phiala liquore repleta, in qua occurrit portio Cerebelli, ut & Medulla oblongata.

Not. 1º. Processus Vermiformis hic luculenter videri potest, ut & duæ portiones Cerebelli, à lateribus processus Vermiformis siti, & magnam analogiam cum dicto Vermiformi processu habentes.

2º. In Medulla oblongata corpora Pyramidalia & Olivaria visui sese exhibent, idque non solum parte inferiore, quæ ab Anatomico Excellentissimo Vieussen sunt inventæ, descriptæ & depictæ, verum etiam parte superiore, quas ego descripsi, & depingi curavi in Respons. Epist. Problem. XII. Tab. XIV. Fig. 5.

Nº. LXVI. Portio Cerebelli humani cum Medullæ oblongatæ portione.

Not. 1º. Medulla oblongata circa principium spinalis medullæ, ubi corpora Olivaria & Pyramidalia reperiuntur, tractus medullares sunt duplicis ordinis, scil: 1º. Circulares & sub iis longitudinales, quas ego detexi, & depingi curavi in Respons. Epist. Probl. supra citata.

2º. Fissura antica & postica principii spinalis medullæ hic etiam exactissime conspiciuntur, ut & processus duo, à Cerebello ad protuberantiam annularem tendentes.

Nº. LVII. Foetus Hepar excarne, uti vulgo, ast minus caute, loquimur.

## A S S E R Q U A R T U S.

N<sup>o</sup>. LXVIII. **P**lexus Choroideus infantis, in quo nullæ Glandulæ, ab auctoribus ita decantata, comparent, huic in Phialæ fundo connectitur Glandula Pinealis.

Not. 1<sup>o</sup>. Hunc Plexum Piæ matri quoque esse connexum, per quam Piam matrem plurima quoque vascula sanguinea sunt disseminata.

2<sup>o</sup>. Huncce Plexum nil esse, nisi Arteriolas, ad visum succofas, à naturali constitutione Arteriosa nonnihil recedentes, mirumque in modum contortas, serpentinoque modo reptantes, Glandulasque repræsentantes. Vid. Resp. in Epist. Probl. XII. Tab. XV. Fig. 3.

N<sup>o</sup>. LXIX. Phiala liquore repleta, in qua videre licet portionem Ossis sacri ex infante, quam secundum longitudinem secui, huic, parte superiore, relicta lamella ultimæ vertebræ lumborum, ut & parte inferiore integrum os caudæ.

Not. hoc objectum ita secundum longitudinem esse dissectum, ut videri possit differentia, quæ reperitur inter interstitia corporum vertebrarum Spinæ dorsi, & interstitia corporum vertebrarum Ossis sacri.

In interstitiis corporum vertebrarum Spinæ dorsi cavitas reperitur exigua, & in illa humor, ut in aliis juncturis; dicta cavitas hic apparet inter ultimam lumborum vertebram, & primam Ossis sacri vertebram.

Contra, inter primum & secundum corpus vertebræ Ossis sacri, vix ac ne vix quidem vestigium cavitatis reperitur, inter sequentes autem nulla omnino videri potest cavitas, neque ejusmodi cavitates isthic loci necessariæ erant, quandoquidem corpora vertebrarum inter se per Synchronrosin sunt conjuncta, & ab omni motu destituta: Spinæ autem dorsi conceditur motus, & per consequens indigebant corpora vertebrarum interstitiis, cavitatibus, & dicto humore, in omnibus juncturis reperiendo.

In fundo hujus Phialæ Testiculus humanus, nonnihil dissolutus, reperitur. Vid. Theaur. V. Tab. III. Fig. 2.

N<sup>o</sup>. LXX.



Nº. LXX. Phiala in liquore continens Pudendum Infantis, cujus labia naturalem constitutionem sine rugis retinuerunt.

Not. Horum labiorum alterum rubedine est perfusum, propter vasorum sanguineorum repletionem, præterea, Epidermide ablata, dum generum Pori sese conspiciendos exhibent. Nymphæ vero nulla cute obducuntur, eapropter talibus poris cutaneis destituuntur.

Nº. LXXI. Lactes foetus balænæ, cujus dimidia pars rubicunda, propter vasorum sanguineorum repletionem.

Nº. LXXII. Arteria splenica vitulina ceraceâ materiâ repleta, cujus extremitates succosæ, variis locis relictæ, videri hic possunt, diversis autem locis abstuli eas, & sic penicillorum detritorum instar nobis occurrunt.

Nº. LXXIII. Pia mater, cum suis processibus, inter anfractus Cerebri sese insinuantibus, idque in liquore.

Not. 1º. Vasa arteriosa ad extremitatem usque esse repleta, unde totum objectum rubicundissimum.

2º. Per Piæ matris substantiam variis locis pinguedinem esse dispersam.

Nº. LXXIV. Æthiopissæ foetus, septem præter propter mensium, cujus capitis pars superior non solum, verum etiam frons ad Palpebras usque, undique capillis nigris stipatur, habetque situm talem, qualis sæpius observatur in foetu, uterum maternum occupante.

Nº. LXXV. Ante dictum objectum conspiciendum sese exhibet Corbiculus Indicus, in quo continetur pueri Cor cum Pulmone.

Not. Cordis vasa, Ventriculi, ut & Auriculæ repletæ sunt materiâ ceraceâ rubrâ, situmque naturalem retinuit Cor: Pulmonis vesiculæ etiam sunt repletæ ceraceâ materiâ albâ; & sic dictæ partes constitutæ sunt, ac si superstites essent in corpore vivo.

Nº. LXXVI. Phiala in liquore continens Placentam Uterinam cum suo funiculo umbilicali, quæ sunt repleta ceraceâ materiâ rubrâ. Tunica villosa aut succosa maxima parte ablatâ, luculenter videri potest, totius Placentæ substantiam nil esse, nisi vasa fanguinea, nullis interjectis, ita decantatis, Glandulis.

N<sup>o</sup>. LXXVII. Phiala repleta liquore, in quo videre licet portionem magnam Piæ matris, cujus vasa sanguinea optime sunt repleta.

N<sup>o</sup>. LXXVIII. Hominis inferior Cerebri pars, cum integro Cerebello, parte inferiore visa.

Not. 1<sup>o</sup>. Inter duas Cerebelli portiones conspiciuntur duæ Cerebelli prominentiæ, & inter illas processus Vermiformis.

2<sup>o</sup>. Duo corpora Olivaria, ut & Pyramidalia inferiora, à Domino Vieussens delineata & descripta, luculenter hic videri possunt, ut & nervi Olfactorii, Visorii, &c.

3<sup>o</sup>. Hujus Cerebri vasa non sunt repleta, ita ut totum hoc objectum colore albo præditum sit.

N<sup>o</sup>. LXXIX. Phiala continens portionem Cerebri, scilicet fornicem cum ejus ita dictis duobus brachiis. Cavitates laterales sunt Ventricle anteriorum partes superiores Cerebri. In postico aut opposito latere in eadem Phiala occurrit portio Cerebri, ut & Piæ matris infantis, cujus vasa sanguinea repleta sunt ceraceâ materiâ rubrâ.

N<sup>o</sup>. LXXX. Phiala in liquore conservans Papillam Mammæ balænae, per medium sectam.

Hoc objecto parte anteriore viso, occurrit spina, demonstrans ductum lactiferum sulcatum non solum, verum etiam fimbriatum.

Phialâ inversâ conspicienda sese exhibent sequentia:

Spina lævi lateris indigitare videtur Papillæ integumentum; dextri lateris spina demonstrat Papillas nervosas, quæ, à se invicem dissolutæ, fasciculos pilosos præ se ferunt. Vid. hac de re Thesaur. I. Tab. 4. Fig. 1.

N<sup>o</sup>. LXXXI. Phiala sicca, in qua continetur albissimum Muris sceleton, unico pede insistens, ceteris à terra remotis, peculiari modo saltare videtur; inter pedes posteriores fructus spinosissimus Opuntia reperitur.

N<sup>o</sup>. LXXXII. Phiala in liquore continens Intestinula foetus balænae.

N<sup>o</sup>. LXXXIII. Phiala liquore repleta, in qua foetus Vena Portæ videri potest, cujus extremitates mirum in modum sunt repletae & conservatae.

N<sup>o</sup>. LXXXIV. Portio Cerebri humani, cujus cortex rubicun-

cundus, propter repletionem vasorum, dictam substantiam constituentium: hujus figura delineata est in Respons. Epist. Problem. XII. Tabula XIV. Fig. 2.

## ASSER QUINTUS.

Nº. LXXXV. **H**ominis Auricula Cordis dextra, cujus superficies interior hic à me facta est exterior, ut columnæ carneæ distinctius conspicerentur.

Not. interim dictas columnas variis locis auriculæ esse connatas, & diversis locis ab illa in sui medio esse disjunctas, id quod fetæ, quæ hic sub columnis transeunt, ceu indicare videntur.

Nº. LXXXVI. Phiala in liquore fervans lamellam Cerebri humani, cujus cortex à repletionem rubicundus, medullaris vero albicans.

Not. In parte medullari media observatur hic quoque corticalis substantia.

Nº. LXXXVII. Phiala sicca, & in ea rami arteriosi, ceraceâ materiâ repleti. In fundo Phialæ sceleton Muris quoque reperitur, mira gesticulatione positum.

Nº. LXXXVIII. Phiala, in cujus liquore videre est portionem intestini Coli humani, cum annexo Cœco, & processu Vermiformi.

Not. Hoc objectum vitæ speciem præ se ferre.

Nº. LXXXIX. Hominis Nasus, in liquore conservatus, cum suis interruptionibus cartilagineis, non quinque, uti voluere auctores, sed pluribus, scilicet octo, Vide Resp. Epist. Problem. VIII. Tab. IX. Fig. 5.

Nº. XC. Testiculus humanus, cujus Tunicam Vaginalem aperui, ut vasa præparantia in conspectum venirent.

Not. Per Dictæ Tunicæ dorsum innumera vasa sanguinea repleta dispergi; musculus autem suspensorius, per superficiem decurrens, colore albicante hic etiam in conspectum venit, quia vasa sanguinea inania sunt.

Nº. XCI. Phiala in liquore reservans duos Lienes foetuum humanorum, quorum vasa, Lienem constituentia, sunt repleta

ceraceâ materiâ rubrâ, hisce connectuntur Pancreata rubicundissima propter eandem rationem.

Nº. XCII. Hominis dimidia pars Nasi, viventis speciem referens, in cujus ala vestigium variolæ remansit, stellæ figuram præ se ferens.

Not. 1º. In cute, ab Epidermide liberata, videri posse duo pororum genera, majora scilicet, ut & minora. Prolabium integumento obductum, & sic villositas (de qua in Thefaur. IV. egi) non apparet.

2º. Ductus lachrymalis continet portionem pennæ anserinæ, ut sic demonstrarem, ubinam loci sit ejus terminus in nasi cavitate.

Nº. XCIII. Phiala in liquore continens Fœtus Intestinula, quorum vasa sanguinea sunt repleta.

Nº. XCIV. Portio Cutis frontis fœtus humani, cum Palpebra vitæ speciem referens.

Not. in Limbo palpebræ oscula visuntur, per quæ humor excernitur, quo palpebræ oblinuntur.

Nº. XCV. Infantis facies, vivido colore prædita, cui circumposita sunt vasa sanguinea Piæ matris.

Nº. XCVI. Phiala sicca, in qua reservatur portio Corii, in filamenta dissoluta.

Nº. XCVII. Phiala liquore repleta, continens portionem Arteriæ pulmonalis, ceraceâ materiâ artificiosè repletam.

Nº. XCVIII. Cerebellum Infantis, eodem modo conservatum.

Nº. XCIX. Oculus humanus cum suis palpebris, qui, ut rotunditatem conservaret, repletus est.

Nº. C. Phiala sicca, & in ea Scrotum humanum inflatum, exsiccatum, ut, eo aperto, videri possit Septum, ut & Cellulositas (si ita loqui liceat) Tunicæ Dartos. Vide ejus figuram in Resp. Epist. Problem. I. Fig. I. Tab. I.

Nº. CI. Pueri portio intestini Coli inversi, ut in conspectum venirent rugæ, ita dictæ Glandulæ, Tunica Villosa, nec non Pori, qui luculenter in conspectum veniunt, & cribrum repræsentare videntur.

Nº. CII. Phiala sicca, continens portionem Coli intestini, cum annexo Cœco, processu vermiformi, & portione Ileii.

Not. Valvula (aut si mavis Valvulæ) Coli accurate hic videri potest, idque ex puero.

Nº. CIII.

Nº. CIII. Pars Renis dimidia, secundum longitudinem divisa, ut interiora videri possint, de quibus in præcedent. The-saur. egi.

Nº. CIV. Vesica humana aperta, ut superficies interior, quæ valde inæqualis, videri possit.

Not. hæc inæqualitas haud solum, verum etiam crassities con-sideratione dignæ sunt; crassitie enim digito non cedit, idque à calculo, qui in dicta Vesica est repertus.

Nº. CV. Phiala sicca, in qua duo sceleta Murium, nitidissi-me præparata, reservantur, horum alterum pede sinistro conti-net Anguillæ caudam, ita præparatam, ut non solum ossicula, verum etiam pinnarum conjunctiones inter se nitidissime con-spiciantur.

Nº. CVI. Stomachus foetus humani cum annexo intestino Duodeno, in liquore conservatus, cujus Arteriæ ad extremi-tatem usque sunt repletæ.

Nº. CVII. Membrana Chorion, cum suis acetabulis, seu pla-centulis, aciculæ caput magnitudine non superantibus, idque ex sue. Horum vascula sanguinea perfectissime sunt repleta.

## LOCULAMENTUM

*magnum sub dicto*

## THESAURO QUINTO

*Continet quasdam Arculas, in quarum*

Prima, ex ligno Cedrino confecta, reperitur Infantis Caput osseum nitidissimum, in duas partes divisum, in quarum parti-um superiore, facie interiore, conspiciendum sese exhibet du-ra Mater cum suis Arteriis, artificiosissime repletis.

Not. 1º. Sinum falciformem remansisse apertum, ut constitu-tio ejus distincte videri possit.

2º. Fontanellam esse tensam & naturaliter constitutam, sine ulla ruga.

In altera & inferiore hujus Ossis parte conspicienda sunt:

1º. Pa-

1°. Palati involucrum, vasis sanguineis repletis refertum, unde palatum rubro colore nobis occurrit.

2°. Utraque membrana Tympani, præ copia vasorum sanguineorum repletorum, rubicundissima.

3°. Os occipitis, in ea ætate ex quatuor ossibus constare, conspiciere licet.

4°. Maxilla inferior, quæ membranæ & cartilaginis ope, ex duobus ossibus constituitur in hoc objecto, ossiculum supernumerarium habet, dictæ conjunctioni interpositum.

In ARCULA Cedrina II. reperiuntur Veticulæ seminales caballinæ, quæ, geminas vesiculas felleas humanas mentientes, nullis cellulis gaudent

In ARCULA Cedrina III. sequentia reperiuntur, &

1°. quidem, Tunica intima vaccina, Lit. A. notata, cum suis protuberantiis, quæ in vaccis, uterum gerentibus, reperiuntur, & à nonnullis Cotyledones dicuntur, ab aliis vero, sed minus recte, dicuntur Placentularum pars altera,

Placenta enim, quam Placenta, in duas dirimi haud potest partes, cum Placenta proprie pars foetus sit, non uteri; atque illa uteri pars protuberans, nil nisi efflorescentia Uterina, quæ tempore graviditatis eo loco, ubi connectitur placentulis, in tumorem attollitur, multisque cavitatibus seu foveis profundissimis ditatur, in quas sese insinuant vasa sanguinea, placentulas constituentia.

Quamvis autem in mulieribus non dentur tot protuberantes partes uterinæ, dum uterum gerunt; tamen eo loco, ubi placenta sese utero applicat, uteri Tunicam interiorem nonnihil sese in tumorem quoque attollere, experior.

Not. præterea, hanc Tunicam innumeris vasis sanguineis superbire, præsertim circa dictas protuberantias.

Tunica extima uteri vaccæ, Lit. B. notata, gaudet vasis sanguineis, multum discrepantibus ab iis, de quibus supra dictum est.

ARCULA Cedrina IV. continet Omentum, omni pinguedine destitutum, sericum repræsentans.

ARCULA Cedrina V, in qua reperiuntur duo Renes humani indurati, prodigiosæ magnitudinis, suntque eorum vasa ceraceâ materiâ rubrâ repleta.

Not.

Not. 1°. Quod rarissime (si unquam) contingit, Venas renales hic prodire ex Vena Cava, paulum supra divisionem in duos ramos Iliacos.

2°. Ureteres ceraceâ materiâ albâ sunt repleti, & sic naturalem cursum tortuosum reservarunt, suntque justo ampliores.

3°. Uterque Ren gaudet duabus Arteriis Renalibus, quarum una ex superiore, altera ex Renis inferiore parte prodit.

4°. Ex Arteriâ magnâ trunco descendenti hic prodeunt arteria Cœliaca, & sub ea, Mesenterica superior; ab iis, ut dixi, Renales etiam prodeunt, item arteria Mesenterica inferior, arteriæ Lumbares, Iliacæ, &c. Vena spermatica sinistra, ut & dextra, ex Venis renalibus hic prodeunt.

ARCULA Cedrina VI. continet pueri Diaphragma, cum suis tendinibus numerosis, Aortæ portione, & Pericardio, ita præparato, ut luculenter videri possit unio Diaphragmatis cum Pericardio.

In ARCULA Cedrina VII. continetur Infantis Thorax apertus, ut vertebrarum corpora, costarumque cursus rite videri possint.

Not. 1°. Arterias intercostales non solum prodire ex arteriâ magnâ trunco descendente, verum etiam ex arteriis Mammariis, luculenter hic videri potest, utpote ceraceâ materia rubra refertis.

2°. Costas superiores sursum, inferiores deorsum spectare, hic videre licet.

3°. Quomodo arteriæ Ossis sacri in utroque latere repant, ortumque ducant ex ramis Iliacis, hic cerni potest.

In ARCULA Cedrina VIII. reperiuntur duo Renes repleti & indurati, cum annexa portione Venæ Cavæ, utraque Vena Spermatica sinistra, prodeunte ex Vena renali, & Vena spermatica dextra, ex trunco Venæ Cavæ emergente, nec non uterque Ren, cum suis pelvibus, ut & Vena sinistra Capsulæ renalis hic in conspectum quoque veniunt.

Supra dictum Loculamentum magnum, quinque minora reperiuntur in dicto Thef. V. suntque instructa Conchyliis, aliisque rebus, ex utraque India ad nos delatis, de quibus in sequentibus.

Explicatio

## T H E S A U R I Q U I N T I .

## T A B U L A I .

FIGURA. I. Secundinæ humanæ figuram ostendit.

A. Placentæ uterinæ facies, qua uterus respicit, & involucre obducta est.

B. Chorii portio villosa, à Placenta dependens.

C. Chorii portio tenuior, à crassiore & tenuiore portione separata, & pro Alantoide (minus tamen caute) habita.

D. Placentæ portio dissoluta, luculenter ostendens, ejus constitutionem mere vasculosam esse, nullis intercedentibus, ita decantatis, Glandulis.

E. Funiculus umbilicalis.

F. Chorii portio villosior, illam Placentæ partem obducens, quæ Uterum respicit, & cum eo connectitur.

G. Tunicæ Amnii portio.

FIG. II. Exhibet Iconismum Secundinæ uterinæ Embryonis, præter propter bimestris, quæ, post annihilationem aut liquefactionem Embryonis, aliquanto temporis spatio in utero remansit, unde ab utero, temporis successu, magis magisque compressa, induruit, & sic nil minus quam Secundinam repræsentat.

A. Placentulæ facies externa.

B. Apertura à me forcipe facta, ut cavitas in conspectum deveniret.

C. Portio sanguinis coagulati, quæ in uteri collo hæsit, & pedunculum repræsentat.

Not. Interim Embryone eo tempore in nihilum redacto, aut resoluto, Placentulam ut & membranas ejus sæpe multo sanguine obduci, unde Secundina justo major esse videtur, pro ratione Embryonis.

## T A B U L A II.

FIG. I. Exhibetur Caput ossis femoris, ferra divisum.

A. Pars





J. Hübner's. ad vivum sculpsit.









Fig. 1.



A. Pars glabra, exterior, cartilagine incrustata.

B. Pars interior osseo-spongiosa.

C. Pars exterior sinuosa, nulla cartilagine obducta.

D. Lamella ossea, quæ admodum tenuis, & ab una parte vix  
apparens.

FIG. II. Monstratur juvenis portio ossis femoris superior, du-  
abus Apophyseis (mihi Apophyseis spuris) seu Trochanteribus,  
destituta.

A. Dicti ossis portio superior, ferra divisa.

B. Pars eminens minor, à qua, coctione, recessit, Trochanter  
minor.

C. Cervix ossis femoris, à qua caput dicti ossis ferra est divi-  
sum, ut interius osseo-spongiosa substantia ejus, ut & lamellæ te-  
nuitas optime appareant.

D. Lamella ossea, quæ ab uno latere perquam tenuis & fra-  
cturis ansam præbet eo loci.

E. Osseo-spongiositas cervicis ossis femoris.

FIG. III. Exhibetur Trochanter minor, qui coctione recessit  
à vera ossis parte.

FIG. IV. Repræsentat partem superiorem Cranii infantis, in  
cujus cavitate relicta est Dura mater, cum suis Arteriis, ceraceâ  
materiâ rubrâ repletis.

A Portio superficiæ exterioris Cranii.

B. Arteriarum cursus per Duram matrem.

C. Earum cursus à latere, processus falciformis sub Fontanella.

D. Sinus processus falciformis.

E. Falx.

T A B U L A III.

*Exhibet IV. Figuras, quarum*

FIG. I. Indigitatur infantis Ossis Sacri, Caudæ & ultimæ ver-  
tebræ, portio, suntque in duas partes divisa & lateraliter hic visa.

A. Portio corporis vertebræ infimæ Lumborum.

B. Pars interior osseo-spongiosa.

C. Cavitas inter corpus ultimæ vertebræ Lumborum & primæ  
Ossis sacri.

D 2

D. Spa-

D. Spatia inter corpora vertebrarum ossis Sacri, cavitates mentientia & successive magis magisque diminuentia.

FIG. II. Lit. A. demonstrat portionem Spinæ dorsæ, in duas partes secundum longitudinem divisam, & à latere visam, idque ex infante.

Litt. B. B. Corporum vertebrarum interior substantia osseospongiosa.

C. C. Cavitates inter corpora vertebrarum sitæ.

D. Spinalis Medullæ portio.

E. Ejusdem integumentum, continuans cum Dura matre.

F. F. Processus spinosi cartilaginei.

FIG. III. Lit. A. designat corpus vertebræ ejusdem spinæ, superiorum visum.

B. Ligamenta, inter gemina vertebrarum corpora sita, & lamellatim disposita.

FIG. IV. Repræsentatur portio degenerationis ossium Tarsi in substantiam ossis molliorem, idque propter spinam ventosam, unde totus Tarsus, sine ulla ossium divisione, unum corpus repræsentat.

FIG. V. Exhibentur tria ossicula, seu Calculi in glandula Pineali humana reperti. Hæc ossicula à capillo dependent.

F I N I S.




Fig. 4.



Fig. 5.







FREDERICI RUYSCHII

*Anatomie & Botanices Professoris*

THESAURUS  
ANATOMICUS

S E X T U S

*Cum Figuris æneis.*



AMSTELODAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.  
MDCCXXIV.

THE MEDICAL RESOURCES

THE WAR

AND TOMORROW

BY J. W. L. S.

NEW YORK



THE MEDICAL RESOURCES

OF THE ARMY AND NAVY

IN THE PRESENT WAR

## LECTORI BENEVOLO.

**S**exto Thesaurò jam ad finem perductò, in quo, ut & in cæteris præcedentibus & sequentibus plurima reperiuntur, quæ planè sunt nova, & notatu digna, mihi animus est, Collegium privatum domi meæ in illos instituire, idque per totum anni decursum, sine temporis interruptione, ab hora duodecima ad primam, vel semisecundam usque. In hoc Collegio exhibiturus sum omnes totius corporis partes, ut & particulas minutissimas, quæ maxima parte hærent in Phialis, liquore limpidissimo repletis, in quibus illa longe distinctius & luculentius demonstrantur, quam extra liquorem. Cum autem nonnulla contra distinctius videri possint, post illorum exsiccationem, hæc omnia in capsis conservata, visui quoque exhibebo, brevemque sermonem de omnibus istis præparatis habebò. Cum porro plurima inter illa reperiuntur, quæ extra situm naturalem sunt posita, in uno cadavere partium situm demonstrabo; & cum nonnulli encheiresin dissecandi desiderent, in eorum usum semel atque iterum partes corporis dissecabo. Hisce peractis, ad incudem revocabo, idque in usum eorum, quibus tempus diutius commorandi suppetit, demonstrationes quadrupedum, Piscium, Conchyliorum, Papilionum, Avium, Marinorum, &c. quæ omnia, præsertim ex utraque India ad nos delata, tanta sunt numero, ut circiter mille & quingentas phialas conservem, exceptis iis quæ in forma sicca in thecis reservantur: ita ut multum temporis requiratur, si quis cum attentione singula perlustrare velit, idque per horam singulis diebus: quæ autem corpus humanum spectant, & in XVI Thesauris sunt reposita, illa absolvere conabor intra IV. vel V hebdomadas.

F R E D E R I C I R U Y S C H I I  
 A N A T O M I Æ P R O F E S S O R I S  
 P R O D R O M U - S  
 T H E S A U R I A N A T O M I C I S E X T I ,

**I**N quo demonstratur neququam CL. Dm. Vieuffens, sed me, primum inventorem esse variarum novitatum in corpore Humano, quas sibi vindicat Cl. Vieuffens in suo tractatu, nuper admodum edito, nomine *Novi systematis Vasorum sanguineorum in corpore humano.*

Cum abhinc annos circiter quatuordecim præter vulgarem præparandi, dissecandi, & demonstrandi, methodum invenerim aliam, quâ corporum humanorum partes, ut & particulæ minutissimæ in conspectum producantur, & sine qua ut hæc omnia demonstrarentur impossibile esse reor.

A<sup>o</sup>. 1696. Epistolas Anatomico Problematicas, ad me à variis Doctis Viris missas, cum responsionibus, Figuris adornatis, publici juris facere incepti.

In illis plurima nova inveniuntur, quandoquidem, eò tempore inveneram methodum, quâ corpora humana post mortem, oculis objiciuntur, tanquam in vitam revocata essent, sicuti omnes testantur, qui illa quotidie in ædibus videndi causa conveniunt, quos inter quòque fuit è Societate Jesu, Reverend. Dns. G. Papin, ex India Orientali tunc temporis redux, qui cadavera illa sic à me præparata condecorabat variis versiculis, inter quos sequens quoque erat;

*Mortuus, arte Tua, Ruyschi, vivit, docet, infans,  
 Elinguis loquitur, mors timet ipsa sibi.*

Præterea usitatum non erat in illo tempore, ut Professores Anat: cum exhiberent demonstrationes Anatomicas, adducerent præparata, in liquore suspensa, & sic tunc temporis visui exhiberent,

berent, uti ego facere incipiebam; existimabam enim Anatomicas demonstrationes, quæ instituuntur in corporibus jamjam denatis, minus esse utiles, si non talibus præparatis, in liquore suspensis, jungerentur; sic aliquoties dissectiones publice institui in corporibus juvenum à multis annis denatorum, uti liquet ex programmatibus in lucem editis, inter quæ, hoc sequens quoque fuit.

## P R O G R A M M A

L. S.

**Q**uandoquidem singulis annis, semel aut bis, Anatomicas demonstrationes publicas facere soleo; jamque integro anno, ne unum quidem subjectum humanum recens obtinere potui; mihi in animo est, prima die Martis, Mensis Augusti. 1703, Anatomiam publicam auspiciari in Theatro Anatomico; idque in cadaveribus illorum trium Juvenum, qui abhinc annos ferè decem, vitam cum morte commutarunt, annoque 1695. Mense Julio, ut & Anno 1696. Mense Octobri publicè à me demonstrati fuerunt.

Hæc autem cadavera naturalem formam hominis vivi, arte nostra, recuperarunt, & quod plus est, temporis successu formosiora sunt reddita, quemadmodum dicto tempore patebit.

Horum primum dormientem repræsentat Juvenem, facie venusta, malis & protubiis rubicundis, cute glabra, sine rugis, & nullo prorsus pigmento, aut colore tincta, quemadmodum anno 1696 visum fuit, cum rogatus à Viro quodam Nobilissimo, coram omnibus spectatoribus, qui demonstrationes istas suâ præsentia condecorabant, faciem hujus fricare sale, aquâ, arenâ, sapone, & linteo, ad excoriationem fere usque.

Hujus Cerebrum, Stomachus, Intestina, Hepar, Lien, Renes, Cor, Pulmo, cæteraque Viscera, huc usque tam nitide sunt conservata, ut videantur partes multorum viventium saperare.

Hoc cadaver, uti soleo, vestibis indutum, visui exponere mihi est animus, absque ulla incisione aut laceratione, & sic illibatum conservare decrevi.

Alterum autem Cadaver contra à me supradictis annis publice est dissectum, Musculis separatis.

*Tertium autem ita dissectui, ut singulas partes seorsim demonstrare, & iis qui non adstabant proximi, exhibere potuerim.*

*Circa dicta cadavera considerandum, quod omnia multo distinctius & accuratius in illis demonstrabuntur, atque videbuntur, quam quidem fieri potest in recens denato; quandoquidem notissimum est, quicquid externe in corpore humano vivo oculis gratiam conciliat, illud morte adimi, & à statu naturali recedere. Non minus etiam verum est, partes internas, post mortem, à naturali constitutione multum recedere, imo particulas minutissimas visum nostrum aufugere.*

*Hac autem arte nostra restituitur denatis id, quod moriendo amiserunt, sc: naturalis constitutio, quam tam pulchre denuò recuperant, ut iterum vivere ac dormire videantur: Omnia quoque membra, quæ in mortuis rigida facta sunt, in hisce tam mobilia existunt, quam in homine vivo.*

*Præterea corpora denata brevi odorem spirant ingratum, hæc autem sunt odoris grati.*

*In hac tractatione Anatomica non est animus tali, ut consuevi, methodo, procedere; hæc enim considerata tanquam spicilegium præcedentium demonstrationum, in qua varia, ab aliis neglecta, & nonnulla nova exhibiturus sum.*

*Primò, à corporis integumentis universalibus incipere decrevi, atque ea occasione ostendere Prolabiorum integumentum, quod neque pro Epidermide, neque pro Cute, habendum, quandoquidem nulla cutis ibi reperitur. Dicto integumento exhibito, pergam ad veræ prolaborum constitutionis demonstrationem, quam ante tres annos detexi & in tertio Thesauro descripsi, ac Figuris expressi, inde autem nobis constabit, quare tanti cruciatus excitentur, Prolabiis male constitutis, aut integumento proprio destitutis.*

*2°. Hisce peractis, ad incudem revocabo demonstrationem Mammarum; quoniam autem dictorum nostrorum cadaverum juveniliū Mammæ nimis exiles sunt, ad integram Mammarum constitutionem ostendendam, afferam majoris dilucidationis gratia, Mammas virorum, mulierum, dum viverent utero gerentium, Nutricum, Infantum recens natorum, nec non portionem Mammæ Balenæ & Vacce.*

*3°. Exponam quanta sit discrepantia inter has, & illas vasorum sanguinorum extremitates, non solum ratione reptatus, verum*

verum etiam substantiæ, quam rem cæteri auctores neglexerunt.

4°. Explicabo conjunctiões extremitatum arteriarum renalium, cum ductibus urinariis, in *Thef. III. figuris expressas.*

5°. Ostendam frustraneam impendere operam, qui foramina in Omento humano, bene constituto, quærent.

6°. Demonstrare decrevi mirabilem reptatum vasorum sanguineorum Renalium, maximam partem Renis constituentium, quemadmodum in *Thesauro III. figuris declaravi.*

7°. Hepatis atque Lienis substantiam ex meris vasis sanguiferis, non autem ex Glandulis esse constatam, indigitabo.

8°. Demonstrabo, nullam ex tunicis aut membranis intestinorum tot gaudere Vasis sanguifluis, quam quidem tunica nervea, quæ innumeris scatet Venis atque Arteriis, idque ob glandulas intestinales, ita dictas, quæ revera originem suam ducunt ex dictorum Vasorum extremis.

9°. Qua ratione, aut modo, omnes Intestinorum Membrana, quæ quatuor sunt numero, tanta dexteritate oculis exhiberi queant, ut singularum constitutio distincte videri possit.

10°. Demonstrabitur ad oculum, Venam portæ longe plures habere ramos & ramusculos, quam quidem Vena Cava, quatenus Vena Cava per Hepar sese spargit, aut potius Hepar constituit, id quod consideratione dignum esse, nemo facile negabit.

11°. Quomodo exactissime demonstrari possint communicationes cavitatum Ossium Malarium cum cavitate Narium: Canales, qui à Palato oris ad aures tendunt, ut & communicatio Cavitatis, quæ est sub sella equina, cum cavitate Nasi.

12°. Hasce demonstrationes cum aliquibus operationibus Chirurgicis commiscere decrevi, inter cæteras, fracturam Tibiæ restauraturus, & deligaturus sum, eâque occasione nonnulla circa ossa Tibiæ exhibiturus sum, quæ inter rarò contingentia referenda sunt, sc: Os Tibiæ, cujus lamella interior tanquam fistula, propter prægressam cariem, à natura est expulsa, longitudine sesquidigiti, cujus rei, uti mihi relatum, *Clar: D. du Verne* quoque exemplum detexit.

Os Tibiæ omni cavitate destitutum.

Os Tibiæ & fibula flexibilia instar virgulæ, &c. &c.

Quomodo utraque ossis Tibiæ tabula optime demonstrari possit.

Ultimò Methodum, quâ optime queant ostendi Vasa sanguinea, quæ.

*quæ per tenuissimam membranulam in cavitate ossis tibiæ & femoris decurrunt, ostendam.*

Ab his demonstrationibus, bis singulis hebdomadis instituentis, sc: diebus Martis & Veneris, horâ tertia pomeridianâ initium facere decrevi, prima die Martis mensis Augusti, 1703, in Theatro Anatomico publico, idque sermone Belgico, aut Latino, pro re nata, ad quas videndas omnes Anatomix amantes invitant

F. R U Y S C H I U S,

Professor, ut &

Præfides Collegii Chirurgici.

Post hac præparata mea publicare incepti per modum descriptionis Thesaurorum Anatomicorum, plurimis figuris ad vivum adjectis, suntque dicti Thesauri XVI. numero, quorum V. in lucem jam prodierunt; cum autem multum temporis ad illud opus perficiendum requiratur, & interim singulis fere diebus plures me conveniant, hinc illis occasio datur hoc & illud rogandi, videndi, annotandi, & ad alios per literas transcribendi, unde nec mirum nonnullos inventa mea pro suis in lucem edere; neque id contigit illis solum, quæ nondum à me erant publicata, verum etiam illis, quæ ab aliquot annis à me jam fuerant descripta, depicta, & in lucem edita, ut video factum à Cl. D<sup>o</sup>. Raymundo Vieussens, Monspelienfi Medico, nec non à D<sup>o</sup>. Hovio, Med. Doctore apud Enchusanos.

Horum primus, haud ita pridem tractatum conscripsit, cui titulus est NOVUM SYSTEMA VASORUM SANGUINEORUM IN CORPORE HUMANO, in quo video illum sibi vindicare varia nova à me inventa, ab aliquot annis descripta, & cum figuris in lucem edita.

Inter omnia mea nova, quæ intra 40 annos inveni, eminet inventio sequens, sc:, Corticalem Cerebri substantiam non esse glandulosam, uti perperam descripserunt, depinxerunt, imò pro certo habuerunt Anatomici, sed plane vasculosam.

Cum A<sup>o</sup>. 1698 hunc præparandi modum inveneram, Cl: Michael



chael Ernestus Etmullerus, Vir non minus doctus, quam in per-  
 scrutatione Anatomica curiosus, me sæpius conveniebat, curio-  
 sa Anatomica videndi causâ, inter quæ nullum exstabat obje-  
 ctum, quod magis mirabatur, quam Corticem Cerebri vasculo-  
 so-tomentosum, (jure merito ita nominandus cortex cerebri,  
 cum nil sit, nisi vascula tomenti instar tenuia) imò tanquam at-  
 tonitus corticem Cerebri aspiciens me incitabat ad publicandum  
 inventum tanti momenti; scripsit itaque ad me A°. 1699. Epi-  
 stolam Anatomico-Problematicam, quæ cum cæteris venalis  
 prostat apud Jansonio-Waesbergios, Bibliopolas Amstelodamen-  
 ses, simul cum responsione, additis figuris, ad vivum scul-  
 ptis.

Postquam dictus Cl. Etmullerus in illa Epistola recensuerat,  
 quicquid autores scripserant de cortice Cerebri glanduloso,  
 & ostenderat omnes in eo convenire, ne quidem Cl. Dom.  
 Vieussens excepto, hisce verbis me admonuit: *Te itaque Cl.  
 Vir, rogo, atque contendo, ut veram illam Corticis Cerebri tex-  
 turam patefacere, faciem ejus exhibere, usumque determinare non  
 dedigneris.* Cl. Virum Vieussens hæc mea scripta, ut ait, non  
 legisse, vel à nemine intellexisse me hoc eo tempore publicasse,  
 non solum miror, verum illud multo magis, quod post meam  
 detectionem, Cl. Vir iis, quæ antea scripserat, rejectis, mea  
 vestigia jam insequatur, cum contendisset corticem esse glandu-  
 losum, uti liquet ex ejus Neurologia Cap. X. ubi ita loquitur,  
*Cerebrum binis à se invicem discrepantibus substantiis, cinerea  
 nempe & alba, constat; cinerea autem seu in statu naturali, seu  
 postquam in Aqua vel Oleo excocta fuit, spectetur alba, multo  
 mollior existit, eamque dum microscopii interpositu accurate inspi-  
 ciatur, innumeris è globulis simul coagmentatis, ovalem figuram  
 quadantenus æmulantibus constructam esse percipitur; ita ut ipsa  
 conglobatis è glandulis conflatum corpus apprime referat.*

*Glandularum autem illarum aliæ alias comprimunt, unde obtu-  
 si oboriuntur anguli, ut ab Expertissimo Malpichio observatum est,  
 quorum alii ab aliis intermediis, fere æqualibus, distinguuntur,  
 quod ea probatur experientia, qua corticali Cerebri excocti sub-  
 stantiæ Pia meninge denudatæ atratus Spiritus vini affunditur,  
 qui in spatiola externis prædicta corticalis substantiæ Glandulis  
 interposita, ita inducitur, ut postquam gossypio leviter abstersus  
 B sit,*

*fit, innumera illius particula supradicta spatiola occupantes & circumscriptas Glandulas exhibentes, vel sine microscopio, facile detegantur, quod sic non contingeret, si corticalis Cerebri substantia, particulis figuræ, ab ovali aut oblonge-rotundâ, diversæ constaret.*

Vide L. B. illud quod ACCURATE inspiciebatur, ut ait, & reperiebatur olim, post decoctionem in Oleo; id quod APRIME referebat corpus glandulosum, & quod FACILE microscopio detegebatur, sc: substantiam corticalem Cerebri esse glandulosam; post meam detectionem, Cl. Viro jam dicitur vasculosum, & sic ACCURATA inspectio, & FACILIS detectio harum rerum tam facile invertuntur jam à Clariss. Viro Vieussens, Cerebrô eodem modò in oleo per quinque horas decocto. FACILIUS autem nobiserit, hisce omnibus bene perpensis, dijudicare, præparaciones per decoctiones in Oleo inutiles, imò plane esse rejiciendas, & hoc est quod ad ipsum Cl. Vieussens scripsi, sc: ejusmodi investigationes tanquam inutiles, plane esse removendas, & quod ego Cerebrum soleam retinere in statu ceu vivo, solummodo arterias corticalis Cerebri substantiæ artificiosè replendo, loco sanguinis, materiâ ceraceâ rubrâ, donec puto arteriolarum extremitates ultimas esse repletas, hoc factò, particulam Cerebri abscindo, à capillo in liquore suspendo, & sic exhibeo, corticem Cerebri ex meris vasculis & præfertim arteriolarum tomentosus, non autem ex ita dictis glandulis, esse constitutum.

Hoc autem non solum dico, sed ad oculum demonstro, non solum ope microscopiorum, verum etiam oculis inermibus; præterea innumera ejusmodi Cerebri objecta domi reservo, demonstro.

Cum ego hunc tractatum viderem, scripsi (ut dixi) ad illum Epistolam, in qua demonstrabam non illum, sed me inventorem esse eorum, quæ pro inventis suis vult haberi, & illud quoque liquere ex actis Lipsiensibus, & meis scriptis; in responsione sese excusat, dicens, se nescivisse me illa à multis annis detexisse, neque Acta Lipsiensia legisse; itaque denuo illi rescripsi, ne recusaret manum dare veritati, sc: me primum esse inventorem, non solum supradicti corticis, verum etiam immediatæ connexionis Arteriarum Renalium cum ductibus urinosis, sicuti  
hoc

hoc patet ex Thes. I. descriptione A°. 1701. typis impressa, ubi fol. 33. hæc verba reperiuntur, *sunt mihi Renes quorum vascula urinaria omnia, post repletionem Arteriarum Renalium, infarcta sunt; debisce plura alibi, ubi Renis veram & miram constitutionem (Deo volente) delineaturus sum.*

In Thesaurο III. impresso A°. 1703. fol. 40. sequentia habentur, *Præterea hic vobis conspiciendos offero Renes, in quibus continuationem Arteriolearum cum ductibus Bellini videre licet, & hoc irrefragabile argumentum esse mihi videtur.*

Præterea hocce inventum publice demonstravi, ut liquet ex supra citato Programmate A°. 1703.

Hicce adjungendum magnum istud inventum meum, circa Integumentum Placentæ uterinæ, Uterum respiciens, ut & vasa vermicularia interioris Tunicæ uterinæ, quæ omnia sibi quoque vindicavit in dicto tractatu Cl: Vieuffens.

Quid magis mirandum L. B. quam quod mihi scribat sese mea scripta, à multis annis publicata. & per figuras illustrata, non solum non vidisse, verum etiam à nemine intellexisse, me illa ostendisse, vel publicasse.

An non vidit Cl: Vieuffens mea scripta, neque acta Lipsiensia adeò nota, in quibus satis superque mea inventa sunt expressa? Vidit forsan Cl: Vir. Physiologiam medicam, nunquam satis laudandam Clariss. Professoris J. Goth: Bergeri A°. 1701. impressam, & per orbem dispersam: Cl. ille Professor inter alia, à me inventa, hæc quoque recenset folio mihi 118. *Quod si organorum feceruentium aliorum, quæ hodie pro Glandulis habentur, constructionem, propius intueamur, eam aliam omnino ac vulgò opinamur, deprehendemus. Inter hæc corticem Cerebri ex acinis glandulosis cum Malpichio, plerique contextum putant, quem tamen accuratior docet inspectio, totum ex vasculis constare sanguineis, per Meningem tenuem tanquam fulcimentum, numero innumerabili, ita pariter disseminatis, ut ultra recurvos venularum tubulos prolata, arteriarum extremæ propagines succosæ appareant, quemque secretum continent, Lymphæ succum in fibras medullares convehant, unde musci seu tomenti instar illa cerebri corticosa portio apparet, atque à parte altera medullari sine notabili læsione auferri potest. Qui coctione Cerebri in oleo & simili liquore apparent grumuli, & Bidloo, exhibentur, hos*

*artis effecta esse, falsoque pro glandulis haberi, & res ipsa loquitur, & diligenter ostendit Ruyschius.* Hæc sunt verba Cl. Professoris Bergeri, qui talia non tam plane professus fuisset, nisi à plurimis annis in ædibus meis hoc vidisset, & oculatus fuisset eorum testis. Videbimus figuras dicti corticis in oleo per quinque horas cocti, si illas exhibiturus sit Vir Clar: Vieussens, uti ego feci, sine cerebri decoctione (potius destructione) id autem difficile erit Clar: Viro, nisi meas in auxilium vocaverit figuras. Cerebrum ovinum &c. in oleo unusquisque coquere potest, verum nemo corticem esse vasculoso-tomentosum reperiet, idque tali experimento, quod plane inutile esse reor; imò ipsemet coxi cerebrum in oleo per quinque horas, & hoc facto, ita induruit, ut fricando digitis in pulverem redigerem; ita ut jure meritò dicere ausim, neminem unquam vidisse veram corticis structuram tomentoso-vasculosam, post decoctionem in oleo per 5 horas, uti liquet ex hisce figuris, quos confici curavi, ut differentiam utriusque præparationis lustrari possit. Cum autem jam VI. Thesaurus sub prelo fudet, in quo multa notatu digna occurrunt, quæ unicuique etiam demonstravi, consultum duxi, nonnulla hic recensere, quæ continentur in dicto VI. Thesauo, sc.

TAB. I. Reperitur sceleton Embryonis digiti annularis magnitudine, à cujus dextra dependent à capillis tria Ova muliebria non fœcundata.

Secundum sceleton paulò est majus, à cujus dextra ope capilli dependet Ovum fœcundatum, non apertum.

Tertia figura, à capillo dependens, continet Ovum muliebre fœcundatum apertum, in quo nil, nisi paululum liquoris, inveni.

TAB. II. Exhibet V. figuras, quarum I. continet sceleton fœtus humani trium præter propter mensium, à cujus sinistra capilli beneficio dependet Embryonis humani rudimentum magnitudine pediculi, seu feminis Lactucæ, à dextra dependens habet Embryonis humani rudimentum, magnitudine feminis Anisi.

Fig. II. Repræsentat Embryonem magnitudine grani hordei mundati.

III. Repræsentatur Embryo paulo major, ut &

IV. Ali-

IV. Aliquanto majorem Embryonem indigitat.

V. Denuò majorem, & sic ulterius repræsentantur majores atque majores; suntque omnia sculpta ad objecta in ædibus meis conservata, atque conservanda.

Vifui quoque exponuntur in dicto VI. Thesauro, Figuræ Uterorum mulierum, in quibus varia notatu digna, repræsentantur.

Horum unus est, è corpore cujusdam mulieris, post mortem à me excisus, quæ in adulterio deprehensa à marito, paulo post coitum, occisa erat, in cujus Uteri cavo, ut & Tubis Fallopiæ repertum est semen virile, & tanta quidem copia, ut Utraque Tuba eodem adhuc semine referta sit.

In Alterius mulieris Ovario, Ovum fœcundatum ~~videre~~ licet &c.

Præterea notatu dignum occurrit in dicto Thesauro VI. sc: quod cordis ultimæ Arteriolarum extremitates, ceraceæ materiæ exitum præbuerint instar nubeculæ, sine ulla extravasatione præternaturali (sicuti jam publice aliquoties monstravi, & per figuras in sequentibus Thesauris ostendam, repræsentaturus ea, quæ domi meæ à curiosis harum rerum videri adhuc possunt) ut ita loquar, alias globulorum formâ oculis exhiberetur; idem fieri existimo, in corpore vivo, sc: tantum liquoris ex dictis Arteriolarum extremis roris instar effundi, quantum necesse est ad sui nutritionem. Præterea plurima recententur in dicto Thesauro jam sub prelo sudante, in quo nil refero, nisi quod in ædibus meis, idque magnis sumptibus, reservo, ut omnem dubitandi ansam non solum removerem, verum etiam Collegia Anatomica de illis omni tempore, uti facere soleo, haberem, hyeme non solum, verum etiam æstate, ut & diebus canicularibus, omnia enim ita præparata sunt, ut minutissima in corpore humano, sine microscopiis videri queant, modò cælum serenum nobis faveat.

Ut Interim L. B. videre possit, quid sit de vera Renis structura, consultum duxi in hoc Prodro mo figuras aliquot Renum tam humanorum, quam vervecinorum repræsentare.

Cum enim viderem Renis vervecini figuram, quam in suo tractatu de novo systemate vasorum sanguineorum in corpore humano inferi jussit Cl. Vieussens, & nonnulla insolita in dicta fi-

gura animadverterem, consultum duxi, mea methodo Renem vervecinum exhibere, ut differentia inter utriusque præparationem, & figuræ exhibitionem, videri hic possit.

Fig. I. & II. repræsentant easdem figuras Renum humanorum, de quibus mentionem feceram Thesauro I. A°. 1701, & figuris exposueram A°. 1703. & 1704. in Thesauro III. & IV. ubi eadem visuntur Figuræ.

Ceteræ figuræ repræsentant Renes vervecinos, sine ulla destructione per macerationem in aqua simplici ad putrefactionem usque, aut decoctionem, sed sola vasorum repletionem præparatos.

# E X P L I C A T I O

## F I G U R A R U M T A B U L Æ

### P R O D R O M I T H E S A U R I S E X T I .

FIG. PRIMA. *Exhibetur Ren Humanus, facie exteriori visus antebac Tab. IV. Thesaur. III. Anni 1703. à me in lucem editus.*

- |  |  |   |
|--|--|---|
| <p>A. Renis superficies, per quam innumera vasa sanguinea diffeminantur vermiformia, suntque Microscopio visa.</p> <p>B. Arteria Renalis abscissa.</p> |  | <p>C. Vena Renalis abscissa.</p> <p>D. Portio Pelvis ureteris extra corpus Renis propullulans, per quam plurimæ Arteriolæ sunt diffeminatæ.</p> |
|--|--|---|

FIG. II. *Exhibet Renem bisectum, ut interiora pateant, convenitque cum Fig. III. Tab. IV. Thesaur. III. Anni 1703.*

- |  |  |   |
|--|--|---|
| <p>A. Indigitat Arteriolarum plurimarum extrema, serpentino ductu in ductus Bellinos degenerantia.</p> <p>B. Exigua portio superficiæ internæ.</p> |  | <p>C.C. Papillæ Renales, plurimis foraminulis, aut osculis pertusæ, pro Urinæ transitu.</p> <p>D. Ureter.</p> <p>E. E. Pelvis aperta.</p> |
|--|--|---|

FIG. III. *Denotat Renem vervecinum, per dorsum dissectum, ut interiora in conspectum producantur.*

- |  |  |   |
|--|--|---|
| <p>A. Arteriolæ, ductus urinosos producentes, vel in illos degenerantes.</p> |  | <p>B. Corpus papillare, ubi notandum, in vervece unicum tantum reperiri</p> |
|--|--|---|

- reperiri corpus papillare semi-circulare, uti hic demonstratur, cum contra in homine plurimæ reperiuntur papillæ.  
 C. Arteriolæ abscissæ.  
 D. Margo pelvis adipe obfitus.  
 E. Cavitas pelvis, in quam inferui

- frustum pennæ Anatis.  
 F. Corporis papillaris margo, innumeris foraminibus, seu osculis præditus.  
 G. Vena Renalis.  
 H. Arteria Renalis.  
 I. Ureteris portio.

FIG. IV. *Exhibet Renem vervecinum, bisectum, cujus margo corporis papillaris & semicircularis à me reflexus est, ut vasa sanguinea nonnihil in conspectum venirent: nonnihil dico, quandoquidem mihi neutiquam in animo est vasorum sanguineorum reptatum hic representare, illud enim in sequentibus Thesauris facere decrevi.*

- A. Arteriolæ degenerantes in ductus urinarios; ubi Not. sc. Arterio- las dictas quandam mutationem subire, aut ceu in aliud esse mutari & qua in re illud consistat accuratius in posterum perscrutandum, hoc saltem verum est, replendo Arterias, repleti quoque ductus urinarios, ita ut continua sint corpora.  
 B. Ductus Urinarii.  
 C. Margo pelvis bisecti.  
 D. D. Margo corporis papillaris & semilunaris, innumeris osculis pertusus pro urinæ exitu.  
 E. Pelvis superficies exterior undique adipe obfita.  
 F. Ureter abscissus.

- G. Vena Renalis abscissa.  
 H. Arteria Renalis abscissa.  
 I. Portiones interioris substantiæ Renis, quæ ceu Papillæ quidem nobis hic occurrunt, sed neuti- quam pro Papillis habendæ sunt; omnes enim continuæ sunt, vasa autem sanguinea hisce portio- nibus intersita, videntur dictam interiorem partem Renis in va- rias particulas separare, suntque dicta vasa multo sevo obfita, un- de illa prima fronte visa, admo- dum crassa nobis obveniunt, cum contra re penitus perspecta, lon- ge tenuiora sint, sicuti hoc quo- que liquet ex hac Figura.

FIG. V. *Denotat copiam figuræ Renis Vervecini quam Clar. D. Vieus- sens, in suo tractatu de novo systemtae vasorum sanguineorum in cor- pore humano inseruit.*

- A. A. A. A. Extima seu glandulosa Renis Vervecini substantia.  
 B. Arcus arteriosi minimi paulo supra majores constituti.  
 C. Arteriæ Venas comites habentes, quæ è superna & postica arterio-

- forum majorum facie nascuntur, & extimæ Renis substantiæ convexam illius partem occupanti, efformandæ impenduntur.  
 D. Arcus arteriosi majores.  
 E. Ea vasculosorum plexuum Rena- lium


- lium pars, quæ à margine pelvis ad minores usque arteriosos arcus protenditur.
- F. Arcus arteriosi minores.
- G. Hæc vasculorum Renalium pars, quæ à margine pelvis ad minores usque arteriosos arcus protenditur.
- H. Cavitas pelvis.
- I. Membranaceæ fistulæ è margine pelvis elongato conflatæ, seu membranacea arcuum arteriosorum fulcimenta, quorum parietes tenuissimi evadunt, dum in arcus arteriosos & venosos abeunt.
- K. Ostium ureteris.
- X. X. Propagines arteriosi ex arcubus arteriosis majoribus emergentes.

FIG. VI. *Adumbratur, portio corticalis Cerebri substantiæ, quæ plane ex vasculis sanguineis, & maxima quidem parte arterioliis, tomenti instar tenuibus, conflatur. Hæc autem præparatio facta solâ arteriarum Cerebri repletionem artificiosâ, ceraceâ materiâ rubrâ.*




FIG. VII. *Ostenditur portio Corticalis Cerebri Verveçini, per quinque horas in oleo Olivarum decocta, in qua nihil quidem vasculosi videri potest, utpote per decoctionem ceu in aliud esse mutatum; ita enim induit, ut digitis in pulverem redigi possit, & per consequens ad expiscandam veram constitutionem inepta facta sit.*

FIG. VIII. *Portionem Corticis Cerebri humani demonstrat, quæ eodem modo decocta, æque inepta facta est demonstrationi supradictæ.*





*Fig. 6.*



*Fig. 5.*





# THESAURUS ANATOMICUS S E X T U S.

*Super cujus ASSERE primo, sequentia sunt reposita.*

Nº. I. **P**artes generationi inservientes ex puella, suntque tam nitide conservatæ, ut vitæ speciem præ se ferant, sc: naturali colore non solum sunt imbutæ, verum etiam sine rugis præternaturalibus conservatæ, idque in liquore limpidissimo.

Not. 1. Vulvæ labia, Mons veneris, Nymphæ &c. partes circumsitæ, neququam à flatu naturali recedunt. Clitoris autem hic in conspectum non venit, propter Nympharum nutationem.

2. Membrana Hymen, maxima parte, tantum visui occurrit, idque propter excrecentiam quandam prænaturalem ex Vaginæ principio erumpentem.

3. Anus, qui à natura rugosus, sub pudendo sese videndum exhibet, tanquam in flatu vivo & sano.

4. Phiala nonnihil inversa, videnda sese exhibent Vesica urinaria, & sub ea, Uterus cum annexis Ovariis, Tubis Fallopianis, Ligamentis teretibus, ut & latis, præterea Clitoris, quatenus sub cute latitat, hic conspici quoque potest.

5. Quamvis Clitoridis crura sint abscissa, tamen consideratione dignum esse censeo, sc. quod ab arteriarum repletionem, Clitoridis corpus simul quoque sit repletum, sicuti fieri videmus in repletionem Arteriæ pudendæ, ubi corpora nerveo-spongiosa semper quoque replentur eadem ceraceâ materiâ, qua Arteriæ replentur.

6. Uterus, uti & cæteræ partes utero connatæ, rubedine sunt imbutæ, propter arteriarum repletionem.

C

Nº. II:

Nº. II. Crus Infantis, cujus tibia ut & pes naturali colore sunt prædita.

Not. 1. Cutis tibiæ, facie exteriori secundum longitudinem est aperta, ut muscoli sub cute, eo loco siti, in conspectum venirent, sc. flexor externus, aliis femifibulæus, ut & abducens pedem, nec non cursus tendinum dictorum musculorum sub malleolo externo.

2. Arteriam, per Pedis dorsum decurrentem, ceracea materia replevi, ut reptatus ejus clare videri possit: hujus ramificationes potiores, per digitorum latera decurrunt, non autem per digitorum dorsum, tendines autem extensorum contra per dorsum, non autem à latere reptant, hæc omnia in liquore conservantur, ut naturalem constitutionem conservent.

Nº. III. Phiala in liquore continens Pueri Palatum, partem Nasi, ut & Labium superius, naturali colore perfusa, & ita conservata, ut varia distinctius videri possint, quam in corpore vivo.

Not. 1. Apertura gemina canaliculorum brevissimorum, quæ pone dentes incisivos reperitur; hic in conspectum venit, per quas aperturas narium mucus in Os derivatur; per has filum tenue trajeci, ut primo intuitu statim oculos incurrerent. Considerandum autem non semper geminam reperiri aperturam, in oris cavum hiantem, aliquando enim singularis occurrit, in aliis quoque vix visibiles esse comperio.

2. Glandulæ nasales, luculenter hic videri possunt, utpote rubedine perfusæ, propter arteriolarum repletionem, suntque nil nisi fasciculi extremitatum arteriolarum, nares humectantes, quæ ita dictæ glandulæ in homine vivo ut & jamjam denato, visum fugiunt, in hoc autem objecto luculenter conspiciuntur arte nostra.

3. Dictæ Glandulæ hic quoque visuntur dispersæ per Palati involucrum, ante Valvam, nec non per Labium superius.

Nº. IV. Phiala in qua conservatur Lienis humani portio, cujus involucrum, quod in sanitate perfectiore tenuissimum, hic tam crassum existit, ut cultri dorsum fere adæquet, idque forsitan à prægressa inflammatione.

Nº. V. Uterus mulieris, quæ ut puto, à paucis diebus, aut horis (id quod tam præcise scire nequeo) conceperat. Uterus enim eodem modo est constitutus, sicuti post coitum prolificum semper

semper inveni, sc: mole justo major, substantia multo crassior, facies interior villosa, id quod primis à conceptione diebus fieri solet; præterea unum ex ovis, quod ego existimo foecundatum, mutationem magnam subiit, sc: magnitudine non solum cætera ova antecellit, verum etiam post ejus apertionem ovi contentum coagulatum reperio, sicuti hic adhuc videri potest; contra, cætera ova ab incisione transversali læsa, hic visuntur inanita, propter contenti effluxum à læsione causatum. Dicti ovi foecundati, & coagulati contentum, colore cinereo, continens colore niveo nobis occurrit, id quod luculenter in conspectum venit, quoniam omnia in liquore sunt conservata; & si omnes Anatomici ita fecissent, nec impensa, labores, & alia, illos deterruissent, majorem nostri corporis notitiam habuissemus, nec tam frequenter disputassent de particularum minimarum existentia, sine ulla sensibili demonstratione.

Cum scriptores Anatomicos olim rogare solerem, ut mihi hæc & alia demonstrare vellent, quæ per figuras exprimi curaverant; brevis eorum erat responsio, sc: tunc temporis mihi hoc ita occurrebat, jam autem nulla mihi datur demonstrandi occasio; & sic discedere coactus fui: Ne autem mihi tale quid regere cogar, omnia, quæ per figuras cum orbe literato communico, maximo sumptu conservo, & tali quidem artificio, ut per secula manere queant in eodem statu, sine ulla mutatione.

Quicumque hanc nostram artem præparandi, & conservandi tam in liquore, quam extra liquorem, sicuti ego à quadraginta annis suscepi, olim vidit, facile concipiet, ejusmodi præparata incorruptibilia esse, modo illi hæc ita conservent, uti ego facio.

Verum in viam redeo, unde digressus sum; in dicti Ovi foecundati confinio spinulam tenuissimam indidi, ut statim ovum foecundatum oculos incurreret; præterea alterà spinulâ aperta tenetur Uteri cavitas, ut superficies rugosa conspici possit, & hæc omnia vasculis sanguineis repletis scatent.

Nº. VI. Duo Atheromata inter cervicis bovinæ musculos re-  
 perta, quorum alterum transversim apertum aviculæ Indicæ (cui  
 nomen *Pegafroe*) nidum repræsentat, hujus atheromatis pars ex-  
 terior, sive continens constructum ex pilis veris, in orbem ita  
 dispositis, & quidem sine manibus auxiliaribus nostris, ut nemo  
 hæctenus

hactenus sine admiratione viderit. Contentum autem, ante immersionem in liquore meo, pultaceæ erat naturæ, nunc autem induruit, & colorem nigricantem acquisivit. Vid. Tab. IV. Fig. V. Thef. VI.

Ex altero Atheromate, quod etiam apertum est, emergit fasciculus pilorum, densissime constipatorum, suntque dicti pili sesqui uncia longitudine. Vid. Tab. IV. Fig. VI

Nº. VII. Phiala in liquore continens membranæ affinem, seu pseudo-membranam, arte confectam ex mei ipsius sanguinis ferro, idque sola sanguinis conuallatione ramulo portulacæ affinis plantæ Africanæ fruticosæ, donec refrigerando coagulationem adipisceretur, ut autem membranam repræsentaret, ramulum elegi foliis minoribus præditum, quorum ope dicta materia sese melius poterat extendere, in formam membranæ.

Notandum interim, per hanc pseudo-membranam stamina plurima, seu fibras esse dispersas æmulantes ea, quæ in corpore humano à natura generantur. Cum hæc & similia ex sanguine produci videamus, mirandum non est, sæpissime pluribus imposuisse excretiones uterinas sanguineas, hanc illamve formam adeptas, cum in uteri, aut cervicis uteri cavo, imò & in vagina per aliquot horas hæserint, & in coagulum & præsertim quidem in iis, limosiorque factus est. Hinc plures quoque fuerunt decepti, qui nobis pro monstris obtruserunt varias excretiones uterinas, imò per figuras publici juris fecerunt. Ut autem dicta coagulatio, membranacea, appareat, necesse est, ut post coagulationem, per diem unum atque alterum, aquæ puræ maceretur, sic rubedo plane disparet.

Nº. VIII. Mulieris portio Maminae cum annexa Papilla, ab Epidermide denudatæ, ut Papillæ cutaneæ luculenter videri possent.

Notandum interim me in Thefaur. Iº. Papillam muliebrem delineandam curasse, ast verò in hac Papilla longe distinctius Papillæ cutaneæ in conspectum veniunt, ita ut consultum duxerim de integro hanc Papillam per figuram illustrare in hoc Thefaur. VI. Tab. I. Fig. II. Vid. cætera quæ de Papillis statui in Thef. I. F. IV. Tab. IV.

Nº. IX. Portio intestini Ileï humani, ita præparata, ut tunica quædam, mihi cellulosa, appareat.

Not. I.

Not. 1. Tunicas Intestinorum hæcenus proposui quatuor, sc: 1. extrema, quæ communis audit, 2. quæ carnosa dicitur, tertia nervosa, 4. villosa; verum enim vero cum sæpissime inter primam & secundam pinguedo colligatur, idque in homine obeso, & pinguedo nusquam nisi in tunicis cellulosis congregetur, quintam annumerare licitum est, sub communi sitam, consultum quoque duxi hanc quintam per Figuram illustrare. Vid. Tab. 6. Fig. 2.

2. Dicta tunica cellulosa adeo considerabilis est, uti in hoc objecto lustrari potest, ut sub cute vix dentur plures cellulæ, in tunica cellulosa, sub cute sita, quæ vulgò membrana adiposa dicitur, quia cellulæ, in homine sano, pinguedine sunt refertæ, & sæpissime in leucophlegmatia latice aquoso. In macilentis autem membrana dicta tenuissima apparet, nec in ea dictæ cellulæ in conspectum veniunt, nisi flatu sint expansæ.

Nº. X. Placenta Uterina integra dissoluta, id est, sola portio chorii villosior (de qua egi in Thesaur. V.) hic est ablata, ut vasorum sanguineorum, Placentam constituentium, constitutio luculenter videri possit, id quod fieri nequit, nisi vasis ad extremum usque repletis, Placenta liquori innatet.

Nº. XI. Phiala in liquore continens portionem hepatis hydropici, quæ tota quanta nil, nisi meræ vesiculæ, gelatinosa materia repletæ.

Not. 1. Quandoquidem hepar viscus est, ex meris vasis constitutum, nullis intercedentibus glandulis, aut parenchymate (sicuti hoc distincte videri potest in ædibus meis), concipi vix possit, quomodo omnia illa vasa majora, minora, nec non ramusculi minutissimi, in vesiculas mutari queant, nisi statuamus tunicam cellulosam etiam inesse vasis sanguineis, sicuti ego demonstrare possum, quibus in hydrope vasculosa, ut ita loquar, ab humore aquoso, limoso, gelatinoso, repletis, vasorum cavitates à compressione continui affluxus occœcentur.

Nº. XII. Phiala sicca, & in ea portio spinæ dorsi cujusdam quadrupedis, mihi ignoti, quam ex Africanis oris mihi attulere, & circa illam

Not. 1. Omnes vertebrae sine ulla ligamentorum ope sibi invicem ita connecti & cohærere, ut spina mobilis sit, sine ulla disjunctione vertebrarum.

2. Nonnullas vertebrae immobiles esse, propter Ancylosin, id quod in spina dorsi adulti hominis admodum frequens.

Nº. XIII. Phiala sicca, in qua conservatur sceleton foetus humani, decem circiter hebdomadam, cujus dextra continet costam foetus humani jamjam nati, & spirae instar tortam, idque artificio, liquor enim, in quo conservaveram objectum, justo acidior factus, ita mollificaverat costas, ut fili, aut funiculi instar, torqueri potuerint. Pone sceleti brachium ramus arteriosus reperitur, arbusculam repraesentans, ceracea materia enim repletam exsiccavi, & sic posui, ut sustentaculo sit sceleto dicto, cui innititur.

Nº. XIV. Foetus humani, Pulmo, cor, Thoracis pars, à parte posteriore visa.

Not. 1. Hæc omnia proprium retinuisse locum.

2. In dicto objecto Arteria bronchialis ex Aorta vulgò prodiens, hic verò ex art. inter cost. emergens, nec non vena Azygos, cum suis ramulis intercostalibus luculenter hic in conspectum veniunt; & cum vasa horum omnium sint repleta, colore rubro perfunduntur.

Nº. XV. Phiala in liquore continens membranæ analogum quid: sc: mulier quædam, post embryonis exclusionem, aut annihilationem, placentulæ rudimentum peperit, hujus autem superficie cohærebat sanguis coagulatus, cujus portionem abstuli & aquæ puræ indidi, ut omnis rubedo evanesceret; hoc factò, istam portionem observavi tantam habere analogiam cum membrana, ut operæ pretium fore mihi visum fuerit liquori meo indere, & sic conservare; vix enim credibile est, sanguinem extrà vasa profusum in talem substantiam posse mutari.

Hinc etiam varii olim fuerunt decepti in suo judicio, existimantes cum puerperæ enituntur ejusmodi objecta, ea esse reliquias membranarum placentæ.

Nº. XVI. Ren humanus bisectus, in quo luculentius, quam in præcedentibus & à me descriptis Renibus videri possunt mutationes Arteriolarum in vasa urinaria à Cl. Bellino delineata.

Cum replerem arteriam renalem, simul etiam replebantur ductus urinosi vel vasa urinaria. Præterea in hoc objecto non solum distincte visuntur Papillæ renales, quæ nil nisi congeries ductuum urinariorum, verum etiam reptatus extremitatum

arte-



arteriolarum, quæ, antequam degenerant in ductus urinarios, reptatum circularem mutant in reptatum Serpentinum.

Nº. XVII. Portio stomachi Lacerti squamosi, diaboli Ne-gundici vulgò dicti, ita inversi ut superficies interior jam facta sit exterior; circa ejus Pylorum innumeræ protuberant Papillæ ingentes pyramidales, nonnullæ autem sunt oblongo-rotundæ.

Nº. XVIII. Phiala in liquore continens infantis caput, vitæ speciem præ se ferens, cujus Cerebro extracto, in conspectum veniunt Nervi.

Nº. XIX. Phiala in qua continetur Crus cum Pede fœtus humani, quo conculcari videtur Crocodili fœtus. Dicitur Crocodilus naturali gestu & colore præditus, morsum minatur.

Nº. XX. Fœtus humani Brachium, cum Scapula & offe claviculari.

Not. I. In totum fere cutis est ablata, ut vasa sanguinea non solum, verum etiam Nervorum situs inter vasa sanguinea lustrari possint.

2. Caro ubique viventis instar rubicunda, ut & digiti manus, vitæ speciem repræsentantes.

3. Digni Manus cutem retinuerunt, ut naturalem constitutionem conservarent, & actionem, naturali similem, repræsentarent, inter eos enim continentur Intestinula crassa fœtus vitulini exigui, mœconio nigro repleta, suntque arteriolæ per Intestina disseminatæ ceraceâ materiâ repletæ, id quod visui gratiam conciliat.

Nº. XXI. Phiala in liquore continens Uterum mulieris, quæ à marito in adulterio depréhensa, occisa est: Vocatus ad cadaveris apertionem, reperi Uterum aliquanto esse tumidiorem, itaque suspicabar illam concepisse, Uterum itaque mecum assumpsi, ut suspensa manu omnia investigarem, eoque aperto, inveni ejus substantiam esse crassiorem; cavitas autem referta erat femine albo & bene cocto, aut saltem substantiâ, quæ semini virili ad colorem & visum, similis erat, utraque Tuba eodem liquore quoque referta erat.

Hisce visis summa cum cautela hæc omnia liquori meo quidem indidi; Utero autem aperto contentum semen omne in Utero continere hæud potui, portio tamen, liquoris ope, in coagulatum redacta, in uteri cavo, ut & in uteri ore huc usque hæret,

hæret, Tubæ autem, quæ integræ remanserunt, adhuc dum præ copia tument, cum autem tubas non nihil premerem semen libere effluebat.

Cum jam consideramus mulieres affirmare sese, ( si non semper, saltem ut plurimum, ) factas esse gravidas, aut concepisse, cum sentiunt semen maxima parte remansisse in utero, & contra in coitu improlifico semen exitum sibi quærere, percipiant: Quid hinc aliud concludendum, quam quod non solum aura feminalis, verum etiam substantia ipsa ad conceptionem sit necessaria. Dixerit forsan aliquis, reperiri mulieres quæ dicunt sese concepisse, quamvis semen non retinuerint, Resp: Credibile esse illas saltem tantum retinuisse seminis, quantum requirebatur ad conceptionem prolificam.

Utrum jam talia animalcula in femine virili contineantur, quæ ad conceptionem hoc vel illud conferant, in medio relinquo, illud enim extra scopum meum esset, quia nil describere statui, nisi quod in XVI. meis Thesauris Anatomicis demonstrare valeam, & quæ in Thesauris lustrari possunt: Hoc tantum contendo ex dictis & in posterum dicendis, auram feminalem haud sufficere, sed necesse esse, semen ipsum Uterum intrare in coitu prolifico.

Ova autem muliebria, quæ à femine foecundantur, & post foecundationem per ductus ovarios, seu Tubas deferuntur ad uteri cavitatem, in hoc objecto, non tam luculenter visuntur, quam quidem in sequentibus, quia nullam institui præparationem. An autem in illa actione Ovum totum, an vero Ovi contentum Ovario solummodo exeat, anceps olim hæsi, jam verò posterius verum esse credo, quia in Gallinis externum Ovi integumentum, ovario adhærens, simul cum Vitello non extruditur, sed in calicis forma remanet: Præterea in utero muliebri foecundato, in principio conceptionis, omnia ita tenera, ut nil reperiatur, quod corticem Ovi, redoleat, id autem, quod remanet, mihi ceu cortex est, circa quem observavi, sc: quod ejus cavitas, post contenti expulsionem, admodum sit mollis, villosa, rubicunda, sanguinolenta, sicuti videre est in cavitate uteri post foetus exclusionem, ita ut exclusio Ovi ex Ovario consideranda sit, tanquam primus, & Ovi partus.

Præterea difficile est credere in exclusione contenti Ovorum,  
corti-

corticem simul Ovario exire, quia cortex tam firmiter Ovario connectitur, ut incredibile sit, corticem simul cum contento Tubam intrare: Interim per ovi contentum non solum liquorem, quo repleta sunt ova, intelligo, sed liquorem simul cum tenerimis membranulis, liquorem immediate ambientibus. Fateor quidem, me hic latum campum aperire, quem tamen à limine tantum salutare volui, considerans hosce meos Thesauros nil esse, nisi Catalogos; sufficiat itaque me ea communicasse, quæ observavi, conservavi, & quæ demonstrare valeo.

Nº. XXII. Crus infantis, viventis speciem præ se ferens.

Not. 1. Cute adempta Musculi in conspectum veniunt, ut & Nervus cruralis, qui sub Poplite denudatus bifariam dividitur, ex ejus bifurcatione ramus oritur, qui per dorsum Musculi Gastrocnemii externi repens, à latere calcis, Pedem adit, & sic ulterius subdivisus, per Pedis exteriora disseminatur, & ut hæc omnia naturalem constitutionem conservarent, liquori meo indidi.

Nº. XXIII. Phiala in liquore continens infantis Brachium, colore & constitutione Brachium vivum repræsentans, & ne hoc objectum deses videatur, ab indice dependentem habet, & demonstrat portionem piæ matris humanæ, cujus arterioli, ceraceâ materiâ rubrâ repletis, summa rubedine Pia mater perfusa est, & quod not. Per dictam portionem Piæ matris disseminantur corpuscula innumera albicantia capitis aciculæ minoris magnitudine, quæ mihi pinguedo, aliis autem glandulæ, ast perperam, nuncupantur.

Nº. XXIV. Phiala liquore repleta, in qua lustrari potest Placenta uterina humana integra, cum suo funiculo umbilicali.

Not. 1. Quod portio Villosa Tunicæ chorii variis locis sit lacerata & ablata, ut vasorum extremitates ultimæ conspici possint.

2. Vasa sanguinea Placentam constituentia ad ultimas extremitates sunt repleta.

Nº. XXV. Phiala in liquore conservans corpus quoddam præternaturale, prodigiosæ magnitudinis, ex utero vaccino expulsum, undique pilis brevibus, nigris, albis, stipatum, & pedunculo longissimo præditum, quemadmodum cælo suo sculptor expressit. Tab. VI. Thef. VI.

Not. 1. Quod dictum corpus nullis gaudeat visceribus, sed liquorem olim continebat.

2. Prima fronte visum, repræsentat caniculum dormientem, qui caput & pedes abscondit, ut facere solent canes, ubi ad dormiendum sese componunt.

3. Pedunculus Funiculum umbilicalem egregie mentitur, an ab eo dependerit in uteri cavo, dicere nequeo, verosimile tamen est.

Hisce visis, cogitare cœpi, utrumne tale quid ab aliis olim quoque fuerit visum, illudque ansam dederit, statuendi Molas dari in utero, idque transfulerint ad uteros humanos, è quibus non raro corpora expelluntur, de quibus supra egi; veras autem Molas, de quibus fabulantur multi, à nemine unquam fuisse visas, existimo, propterea quod sæpenumero mihi attulerint corpuscula utero exclusa, quæ mihi pro Molis obtrudere voluerunt.

Si veræ exstarent Molæ, ad meas proculdubio venissent manus, quandoquidem uberrimam habui occasionem & à triginta septem annis cum obstetricibus conversatus fui, earumque examini, simul cum Inspectoribus Collegii Medici, præfui, & quicquid illis occurrebat, hoc mihi demonstrare haud negligebant; nunc autem sanguinem coagulatum, animalculi formâ, tunc Sarcoma, ex Uteri cavo prognatum, sæpissime quoque Placentulas uterinas induratas, mihi ostendebant, quas etiamnum magno numero servo, quæ nil minus quam Placentæ formam præ se ferunt, ita ut existimem, veras non dari molas, quæ (uti nugantur) vivunt, multò minus volant, & sub vestibus mulierum, quæ assistunt parturientibus, sese abscondunt.

Nº. XXVI. Infantis brachium & manus, inter cujus digitos continetur portio Pulmonis, in qua, transversim secta, Vesiculæ, Pulmonis substantiam constituentes, patent & hiant, sicuti fit in inspiratione: & cum Pulmo à me inflatus non sit, videri possunt Vesicularum naturalis magnitudo & capacitas.

Nº. XXVII. Phiala in liquore continens Infantis Brachium & manus, rubicundissimo colore perfusum, & vitæ speciem tam nitide repræsentans, ut nemo (nisi à corpore abscissum videret) pro Brachio Infantis denati haberet.

Not. Inter digitos retinet portionem Thoracis foetus jamjam nati, vivido colore quoque præditi, & ita præparati, ut Nervi intercostales, eorumque reptatus perfecte videri possint; ubi notandum, Nervos Intercostales non semper in costarum sulcis tam

tam præcisè sese abscondere, quin sæpe extra eos profiliant, sicuti hic videri potest, ita ut in Paracensi Thoracis, aliquando lædi possint, ut olim factum vidi, unde ægro convulsionibus correpto, ab ulteriore perforatione desistere coactus fuerit Chirurgus.

Nº. XXVIII. Infantis Pes, in liquore conservatus, & ita præparatus, ut integumentis exterioribus ablatis in conspectum veniant Pedis, digitorumque muscoli, naturali colore rubicundo præditi.

Nº. XXIX. Infantis Brachium viventis speciem referens, à cujus Indice dependet à capillo portio Vesicæ hominis, calculo, dum viveret, laborantis.

Not. Ab attritione continua calculi, superficiem interiorem Vesicæ hic occurrere in æqualem & ramosam. vide super hæc re plura Thesaur. II.

Nº. XXX. Uterus muliebris, maximis, mediocribus, ut & parvis tumoribus rotundis undique obsitus.

Dicti tumores sunt admodum scirrhusi, vel potius scirrhi, utero non solum pedunculi ope, verum etiam absque eo, connati sunt. Hæc omnia in liquore conservantur, ut constitutionem naturalem retinerent.

Nº. XXXI. Phiala liquore repleta, & in ea portio magna spinalis Medullæ cum annexa Cauda equina, colore niveo prædita ex homine.

Nº. XXXII. Uterus cujusdam mulieris, à paucis diebus gravidæ, sicuti hoc liquet ex Uteri, ut & unius ovi constitutione.

Not. 1. Uterus mole major, quam quidem in muliere, quæ non concepit.

2. Uteri cavitas villosa, & inæqualis, uti semper in aliis observavi.

3. Uteri Os admodum amplum & villosum.

4. In uno ex Ovariis vestigium Ovi videre licet, sc: ubi Ovum est expulsus; calix seu integumentum ovi extimum, quod in ovario, ut ego existimo, remanet, post contenti expulsionem, obsessum est materiâ quâdam rubicundâ, quam olim inveni villosam, post ovi exclusionem; hic autem à liquore occurrit compacta, rubicunda, in cujus medio foramen

aut cavitas exigua reperitur, quam ego habeo pro osculo-  
cavitatis, ex qua Ovi contentum est prognatum, quæ cavitas,  
jam denuo contracta, foraminis instar nobis occurrit.

5. Pro Ovi contento, ut antea quoque dixi, habeo liquo-  
rem, qui in Ovis continetur, & membranulis, Chorion, &  
Amnio, obducitur, & pro calice, durior pellicula, quæ, post ex-  
clusionem contenti, remanet; id quod luculentius videre licet  
in volatilium Ovariis.

6. In Uteri cavitate nil nisi liquidum quid inveni.

Nº. XXXIII. Maxima Stomachi portio pueri, cujus super-  
ficies interior hic facta exterior, estque rubicundissimo colore  
ab arteriarum repletionem, prædita.

Not. 1. Rugæ naturales, quæ in superficie interiore exstant,  
non solum hic in conspectum veniunt, verum etiam millena  
ceraceæ materiæ granula, quæ per extremitates Arteriolarum,  
exitum sibi quærentia, superficiem internam adhærent.

Præterea, post repletionem Arteriolarum Stomachi, cavitas  
ejus repleta erat dictâ materiâ ceraceâ, quæ ex Arteriolarum  
ultimis extremitatibus in cavitatem Stomachi guttatim deplue-  
rat, & hoc circa Intestina locum quoque habere expertus sum.  
Hinc ego suspicor in statu vivo, modo sanitate perfectiore  
fruamur, Stomachum nostrum per Arteriolarum ultimas extre-  
mitates, continuo irrigari humore convenienti, quæ extremitates  
variis locis, fasciculatim dispositæ, Glandulæ dicuntur,  
quemadmodum in Intestinis, in quibus hoc luculentius demon-  
strare valeo, quam quidem in Stomacho. Vide de hisce plura  
in præcedentibus Thesauris.

2. Omentum parte maxima Stomacho cohærens, telæ ara-  
nearum instar tenue, nullisque foraminibus pertusum esse. In-  
terim myriadibus arteriolarum rubicundissimarum superbit, vi-  
sumque allicit.

3. Lien Stomacho cohærens à naturali constitutione, figura,  
magnitudine, colore, nihil omnino recessit.

4. Duodeni portio, Stomacho connexa, præ copia vasorum  
repletorum rubicunda apparet.

5. Dicta Stomachi portio dependet à feta, quæ infixæ est in  
Tunica Stomachi carnosa, quæ, nonnihil separatâ, Fibræ car-  
nosæ hic luculenter videri possunt.

Nº. XXXIV.

Nº. XXXIV. Crus, Tibia & Pes infantis, tam nitide conservata, & colore vivido prædita, ut vitæ expertia non videantur.

Pes Jaculatricem, quæ serpentis species est, calcare videtur: Jaculatrix ceu calcata, os aperire videtur: hæc omnia vitæ speciem præ se ferunt.

Nº. XXXV. Infantis Brachium & Manus, ejus digiti hominis Auriculam continent, quæ Auricula nil de naturali constitutione amisit, ita ut videatur Auricula hominis viventis, quamvis à plurimis annis ita conservarim.

Nº. XXXVI. Pueri Brachium, cujus Manus continet Cor hominis, idque in liquore.

Not. 1. Dicitur Cor superficie exteriore esse scabrum, imò ramosum, (si ita loqui liceat) qua scabritie sua connatum Pericardio, idque à prægressa inflammatione harum partium, unde æger intolerabili dolore fuit correptus circa pectoris anteriora, non sine febre continua.

2. Brachium, Manus, & Digiti vitæ speciem repræsentant, ea propter visui non sunt ingrata.

## A S S E R S E C U N D U S.

*Continet varia, quæ ad hominis generationem conferunt.*

Nº. XXXVII. **P**Hiala in liquore continens tria Ova muliebria, a capillis dependentia & ceracea materia rubra referta. Vid. Tab. I. Fig. I. Thesaur. VI.

Nº. XXXVIII. Phiala in liquore continens Ovum muliebri-foecundatum, Utero expulsum, & à me non apertum, ut demonstrare valeam, quo ritu Ovum foecundatum, Utero rejectum, constitutum sit, cum ab aliquot diebus in Utero hæserit, & quod

Not. Quia illibatum & integrum est, ejus contentum videri non potest; externe autem videre licet Placentulæ rudimentum. Vide Tab. I. Fig. II. Thesaur. VI.

Nº. XXXIX. Ovum muliebri foecundatum Utero expulsum, eodem modo conservatum & à me apertum, in cujus cavitate,

te, oculis non solum nudis, verum etiam armatis, nullum adhuc Embryonis rudimentum videri potest, quantumvis Ovum recens, & bene esset constitutum, an in nihilum sit redactum à mora, dicere nequeo.

Nº. XL. Placentula ut & membranulæ Embryonis, in liquore conveniente conservatæ, & ab una parte apertæ, in quarum cavitate, nullum Embryonis rudimentum inveni, sicuti hoc aliquoties observavi, cum mox à partu mihi non traderentur, ita ut existimarem Embryonis rudimentum à resolutione aut liquefactione in nihilum redactum esse, antequam mihi tradebantur. Vide Tab. I. Fig. V. Thesaur. VI.

Not. Interim, circa dictum objectum, quod portio inferior non pertineat ad Placentulæ rudimentum, sed illam nil esse, nisi cruorem coagulatum, quem vix sine objecti læsione auferre potuissem.

Nº. XLI. Phiala in liquore conservans Ovum muliebri foecundatum & apertum, in quo nullum etiam Embryonis rudimentum inveni.

Nº. XLII. Phiala in liquore retinens Embryonis Placentulam, quæ post annihilationem Embryonis per aliquot dies in utero remansit, unde non solum aliam induit formam, verum etiam durior facta, nil minus quam Placentulam repræsentat. Vide Tab. I. Fig. IV. Thesaur. VI.

Nº. XLIII. Phiala liquore conveniente referta, in qua videre licet Embryonis, ut & Placentulæ rudimentum, pediculi aut feminis lactucæ magnitudine.

Not. 1. Quod Funiculi umbilicalis rudimento adhuc cohæreat; quod rudimentum fili tenuissimi tenuitatem adæquat.

2. Quod in illo tempore Embryones nobis occurrant instar rudis indigestæque molis, etiam Microscopiis Leeuwenhoekianis, quibus quoque utimur, hic cerni potest: Capitis enim, multò minus oculorum aut artuum, ne vestigium quidem videri potest; dicant, scribant, delineant itaque alii, Embryones paucorum, ut ajunt, dierum, manibus, pedibus oculisque instructos, nunquam autem ab illis fuisse visos, facile colligi potest, ex hoc & sequentibus objectis. Ne dicam de iis, qui sibi persuadent se posse videre Embryones, capite & artubus instructos, idque in ovis mulierum.

Demon-



Demonstrent ejusmodi Scriptores talia objecta, ad quæ illorum figuræ sunt sculptæ, sicuti ego hic & alibi facio, & tunc calculum adjiciam illorum dictis factisque. Firmius & verius ratiocinatus est Vir pius Jobus Cap. X. ubi Deum alloquitur, dicens: *Nonne sicuti Lac mulsisti me, & sicuti caseum me coagulasti?* Revera in illo tempore, cum embryones sunt adeo exigui, comperio rudimenta nostra maximam habere analogiam cum coagulo lactis, & illud congruere cum hoc nostro objecto, videri hic potest.

3. Mihi aliquoties tradita fuerunt ejusmodi Embryonum rudimenta, quæ sub manibus meis liquefiebant, & sic in nihilum redigebantur; jam autem experior, quod si mox affundatur liquor meus, qui indurare objecta valet, illa ita posse conservari. Vide Tab. II. Fig. I. Theaur. VI.

Nº. XLIV. Phiala liquore repleta, continens Embryonis rudimentum, quod sine placentula, videndum hic exhibetur, (quia parentes placentulam auferri non tolerabant) anisi feminis magnitudine. Dictum Embryonis rudimentum, dependet à capillo, affixo rudimento funiculi umbilicalis, quod rudimentum funiculi admodum est crassum, pro proportione rudimenti embryonis.

Not. Me hoc, & præcedens objectum, in lucem edita, propriis & suspensis manibus tractasse, & secundinarum rudimenta aperisse, ita ut nullum supersit dubium, quin fuerint constituta, quemadmodum hic nobis occurrunt; & sicuti de præcedenti objecto, ita etiam circa hoc innuo, scilicet, quod nullam formam humanam repræsentent in illo tempore; imò nisi ipsemet membranas aperuissem, vix credere potuissem Embryones in illo tempore talem habere formam, qualem invenio, & hic per figuras exhibeo; ut autem hæc omnia in statu naturali conservarem, liquori requisito indidi, & sic remansere sine ulla mutatione, quemadmodum in ædibus demonstro, & per figuras hic exprimi curavi. Vid. Tab. II. Fig. I. Thef. VI.

Nº. XLV. Phiala liquore repleta, in qua continetur Embryo humanus hordei mundati magnitudine.

Not. 1. Funiculi umbilicalis rudimentum, in hoc objecto tenuissimum quidem, ast in eo occurrit hydatis, magnitudine capitis aciculæ, id quod pluries videre mihi contigit.

2. Placentulæ rudimentum, quamvis prodigiosæ videatur magnitudinis.

gnitudinis, si ad molem embryonis conferatur, tamen considerandum totam illam molem, maxima parte cruorem esse coagulatum, tam firmiter dicto rudimento cohærentem, ut objectum prima fronte visum, facile nobis imponere posset.

3. In illo Embryone, nondum Caput, Oculi neque Artus visibilia. Vid. Tab. II. Fig. III. Thef. VI.

Nº. XLVI. Phiala liquore referta, in qua cernere licet Embryonis humani rudimentum paulo majus & crassius grano hordei non mundati, cum annexa Placentula. Vide Tab. II. Fig. IV. Thef. VI.

Not. 1. In hoc objecto, grano hordei non mundati magnitudine paulo majore & crassiore, rudimenta artuum in conspectum venire videntur, tanquam arenulæ majores, aut capitis aciculæ minimæ rotundæ.

2. In illo tempore Capitis discretio ab ulteriore corpore videri potest.

3. Oculi quoque jam sese videndos exhibent, tanquam puncta nigricantia.

4. Funiculi umbilicalis rudimentum, uncia fere magnitudine.

5. Inter artuum inferiorum rudimenta, genitalium primordium propullulat; cujus autem sit sexus, discerni non potest, id quod nemini admirationi sit, quandoquidem in partu trimestri, nemo, nisi summa cum attentione, sexum discernere possit; & hinc ille dolus, sc: quod rarissime, si unquam, n maritorum, quamvis in rebus indagandis curiosorum, monumentis, reperies, Benevol. Lector. sc: quod uxores eorum enixæ fuerint foetum trimestrem, imò & quadrimestrem, masculinum: tantam enim habent analogiam partes pudendæ utriusque sexus in illo tempore, ut id discernere sit difficile illis, qui de hac re non sunt moniti; itaque consultum duxi illud hic admonere.

Nº. XLVII. Phiala, in cujus liquore innatat Embryo, magnitudine dimidiæ uncia, dependens à funiculo, tam crasso, ut Embryonis crassitiem fere adæquet; an à morbosa dispositione? artuum superiorum & inferiorum rudimenta sunt capitis aciculæ vulgaris magnitudine, & formâ fere æquales, capitulum, respectu corporis, maximum. Oculi distincte jam sensus incur-

runt.

runt. Placentulæ rudimentum naturaliter constitutum. Vid. Tab. II. Fig. V. Thef. VI.

Nº. XLVIII. Embryo, unciæ circiter magnitudine, in liquore conservatus, & à funiculo umbilicali dependens; circa artus, considerandum, sc: quod superiores, inferioribus longe perfectiores sint, digiti enim manus luculenter videri possunt in utroque latere, in pedibus autem nulli adhuc digiti videri possunt.

Præterea in Crure sinistro necdum tibia neque pes extremus propullulant, sed tantum conspiciendum ibi sese exhibet tuberculum, id quod pro femore habendum.

In ranis admodum familiare, sc: quod artus anteriores ortu sint priores, imò tanquam caudati ad tempus vivunt, donec pedes posteriores emergant.

Notandum quoque, quod dictus Embryo mihi occurrat, tanquam sexus foemini, id quod plurimi non crederent, si ætatis provectioris Embryones haud viderint. Vid. Tab. III. Fig. II. Thef. VI.

Nº. XLIX. Phiala in liquore conservans Embryonem aliquanto provectiorem & majorem, in quo omnes artus luculenter videri possunt, ne digitis & pupillis quidem in oculis exceptis. Vide Tab. III. Fig. III. Thef. VI.

Dictum objectum existimarem esse duorum circiter mensium, dico circiter, quando quidem impossibile est illud præcise determinare, sicut de hac re nonnihil fusius differam in fig. horum omnium explicationibus Embryonum, ubi omnes, tanquam ad manus, erunt.

Interim considerandum, non solum hocce objectum, verum etiam præcedentia naturalem conservasse constitutionem, ne calore naturali quidem excepto, unde visui admodum sunt accepta; & quod in Embryonibus, unciæ magnitudine, reperiatur Epidermis, hic videre quoque licet.

Nº. L. Foetus humanus duarum unciarum præter propter magnitudine, eodem modo conservatus.

Not. cum mihi traderetur hoc objectum, abdomen inveni apertum, per quam aperturam exitum sibi quæsière Intestinula, Omentum & Hepar, quæ nuda hic apparent.

Nº. LI. Foetus humanus digiti maximi magnitudine membræ

næ Amnio, tanquam linteo tenuissimo involutus; sequioris esse sexus, nemo facile concederet, nisi insequentes fœtus; paulo majores, inspexisset, idque propter Clytoridis propendentiam; quæ ea in ætate considerabilis est.

Nº. LII. Fœtus humanus, in liquore, uti præcedens, conservatus, ejusdem fere magnitudinis, cujus repentina mors haud fuit deploranda, quia in lucem venisset, non solum labio superiore, verum etiam palato fisso, & leporino.

Notandum interim, me neque hoc, neque alia objecta, quæ præter naturam sunt constituta, ullis demonstraturum, nisi hoc à me exigant, ne quis abhorreret à præparatis meis, quæ alias visui sunt gratissima: hoc enim majorem gratiam non conciliaret Thesauris meis, quam quidem inspectio Theatrorum Anatomicorum variorum, in quibus horrenda visui exponuntur, quæ potius sepelienda, quam visui exponenda.

Cum autem in ea ætate fœtus humani, tali affectu visuntur correpti, considerandum, an in fœtu provecioris ætatis, cujus membra antea bene erant constituta, mutilari possint, dum in utero adhuc hærent, idque à terrore, aut aspectu quodam horrendo? ad me quod attinet, lubenter hoc aliorum judicio relinquo, qui nil, nisi quod demonstrare valeo in Thesauris meis, L. B. exhibere suscepi, & hoc magis utile fore, existimo.

Nº. LIII. Fœtus humanus ejusdem fere magnitudinis, qui non minus feliciter fati cessit in illa ætate; præcedente enim longe infelicius vitam transegisset, quia Pedes, brachia, manusque incurvata, & contracta sunt.

Nº. LIV. Phiala, ut antecedens, in liquore continens fœtum sequioris sexus, trium circiter mensium cum dimidio, membranæ Amnio inclusum; in quo observandum, Clitoridem tantæ esse longitudinis, ut Penem exilem inter pedes repræsentet.

Nº. LV. Fœtus humanus sexus fœminini, ejusdem cum præcedente circiter ætatis, eodemque modo in liquore nitidissime conservatus.

Nº. LVI. Phiala liquore repleta, in qua continetur fœtus humanus ætate nonnihil provecior, estque etiam sequioris sexus.

Nº. LVII.

Nº. LVII. Fœtus humanus masculini sexus quatuor circiter mensium, in liquore conservatus, cujus caput tegitur membrana Amnio fœtus vitulini, per quam innumera vasa sanguinea visuntur disseminata; & hoc visui admodum gratum.

Nº. LVIII. Fœtus humanus sexus masculini quinque circiter mensium, qui capite prono decumbit.

Nº. LIX. Fœtus humanus sex circiter mensium, in quo Clitoridis prominentia ita est imminuta, ut sexus facile dignosci possit.

A latere Capitis in conspectum venit Placenta Uterina, cui tanquam pulvinari innitur capite; sinistrâ continet intestinula fœtus humani immaturi, quæ nitidissime sunt repleta ceracæ materiâ rubrâ.

Præterea Arteriolæ per Intestinula disseminatæ, distincte lustrari possunt, præsertim illæ, quæ per tunicam communem reptatu longitudinali decurrunt.

Nº. LX. Fœtus humanus, sequioris sexus, septem fere mensium, qui dormientis situm belle repræsentat, hujus caput coronatur coronâ ex herbis confectâ. Hæc omnia in limpidissimo liquore conservantur.

Nº. LXI. Fœtus humanus, inter octo & novem circiter menses gestatus, cujus caput non solum ornatur corona ex herbis, fructibusque, verum etiam tanquam Botanologus, undique obfessus est herbis, floribus, fructibusque, præsertim Africanis, Asiaticis, Americanis, sc: ramulis arboris Theæ, Nucis Moschatæ, Cardamomi minoris, Caryophyllorum, Cinnamomi, foliis feminalibus Opuntiae Americanæ, nec non ramulis Piperis nigri cum fructibus racematim dispositis, quos ramulos piperis mihi liberaliter dedit Nobil. Vir D. D. Petrus de Wit, Societatis Indiæ Orientalis præfectus.

Cum autem varia animalcula inter plantas sese continere soleant, sic etiam hic in eadem phiala, inter dictos ramulos, varia insecta & animalcula continentur, sc: Scorpiones, Serpentes, tam Asiatici quam Americani, imò & Lacertæ, quarum una dicti fœtus collum corripere videtur, unde fœtus, quasi perterritus, caput posteriora versus reflectere videtur.

Nº. LXII. Phiala exigua in liquore continens frustula varia calculi humani nigerrimi, & substantia admodum mollia, ut

autem in mollitie sua conservarem, liquori indidi, & sic semper demonstrare valeo, nobis aliquoties occurrere Calculos molles; suntque ejusmodi Calculi pessimæ naturæ.

Nº. LXIII. Uterus, qui revera prolapsus est; & ut detur occasio videndi, quo ritu hæc pars prolapsa constituta sit, liquori indidi, & sic conservavi. Vide Tab. IV. Fig. II.

Not. 1. Vitæ speciem præ se ferre dictum objectum.

2. Faciem exteriorem hujus objecti prolapsi, proprie esse tunicam interiorem Vaginæ, quæ simul cum Utero, in hoc affectu exit. Uterus verò, totus quantus ita absconditur à dicta membrana simul prolapsa, ut immediate de Utero nil videri possit, quam solum ipsius Os internum; Uterus autem non invertitur, sed solummodo descendit extra pudendum: Contra in Uteri procidencia, qui mox à partu, totus quantus aliquando ita procidit & invertitur, ut facies uteri interior, tunc fiat exterior. In hoc casu, si non statim reponatur uterus, mors ut plurimum instat. Vide ulterius hac de re Observ. meas Anat. Chir.

3. Hujus Uteri os internum admodum est inæquale à fulcis Cervicis internæ, qui à pondere & pressione uteri nonnihil in conspectum veniunt.

Nº. LXIV. Phiala in liquore continens dentes fœtus humani jamjam nati, cum contento molli. In eodem liquore videri potest Vomer fœtus humani albissimus.

Nº. LXV. Portio Placentulæ uterinæ fœtus humani, ceraceâ materiâ ita repletæ, ut ultimæ extremitates, tomenti instar nobis occurrant, nullis intercedentibus corpusculis, quæ Glandulæ dicuntur.

Nº. LXVI. Phiala sicca, in quæ conservatur portio Membranæ, per quam Arteriolæ repletæ repunt, quarum ultimæ extremitates prima fronte visæ, macularum instar visui occurrunt, propter earum subtilitatem.

Nº. LXVII. Phiala in liquore continens Embryonis Placentulam crassam duram & pyriformem.

Not. Ejusmodi objecta pyri formam non adipisci, quatenus sint Placentulæ, sed à sanguine aut cruore coagulato, quâ undique obsessa sunt; & sic nil minus, quam Placentulæ formam retinent, & minus caute pro molis obtruduntur nobis ab imperitis.

\* Nº. LXVIII.

\*N<sup>o</sup>. LXVIII. Phiala in liquore continens pudendum foetus humani quatuor circiter mēſium foeminini ſexus; illud autem prima fronte viſum, ſexus maſculini colem cum coleis ſuis, tam exacte mentitur, ut plurimis impoſuerit, & hoc in ea ætate nunquam aliter vidi.

N<sup>o</sup>. LXIX. Theſaurulus ex ligno Indico confectus, in quo continentur quinque ſceleta foetuum humanorum, in hōc Theſauro VI. delineatorum; eſtque minimum adeò exile, ut difficillimum foret hōc minus conficere.

N<sup>o</sup>. LXX. Phiala in liquore conſervans portionem Inteſtini Coli & Ilei, è corpore puerili deſumptam.

Not. 1. Valvulæ Inteſtini Coli, in hac præparatione nobis occurrunt, ceu circulus rotundus; ſc: cum Inteſtina non ſunt inflata aut ſtercoroſa materiã repleta, ſemp̄ eo modo viſui ſeſe exhibent Valvulæ Coli; at, cum à cibo aut flatu diſtenditur Colon adipiſcuntur formam duarum Valvularum (quemadmodum Nob. Kerkringio demonſtraveram, cum figuram illam publici juris faceret) ut reſreſſum fæcum inhiherent.

2. Vermis prominet ſupra Coli Valvulas.

3. Phialâ inverſa, Proceſſus vermiformis videndum ſeſe exhibet, & hæc omnia videntur adeo recentia, & naturali colore prædita, ut jamjam videantur è corpore eſſe exciſa.

N<sup>o</sup>. LXXI. Phiala eodem modo conſervans dimidiam partem unius protuberantiæ uteri vaccæ gravidæ, cui una ex Placentulis variis locis, adhuc cohæret; variis autem locis particulas ejuſdem Placentulæ extraxi, ut cavitates profundæ, quæ tempore graviditatis in uteri protuberantiis inveniuntur, in conſpectum venirent.

Not. Quod rami vaſorum Placentam conſtituentium, profunde ſeſe inſinuent in dictas cavitates, ut venarum ramuli ſuccum nutritium abſorbeant, qui poſt Placentularum ſeparationem copioſe effluit, ſecus ac in gravidis mulieribus, in quibus tale quid non reperitur, & conſequenter cum tali œconomia haud convenit. Vide de hac Theſaur. V. fol. 16. & 17.

N<sup>o</sup>. LXXII. Phiala in liquore continens unam ex protuberantiis uterinis vaccæ gravidæ, à Placentula liberatam, ut profundæ lacunæ, ramulos Placentulæ recipientes, viſui diſtinctius occurrerent.

No. LXXIII. Phiala in liquore conservans portionem substantiæ corticalis Cerebri, illamque merè vasculosam esse luculenter hic & in præcedentibus Theſauris cerni potest.

Nemo hæctenus, qui me, cœlo sereno, convenit, de rei veritate dubitavit, sed uno ore omnes profitentur, se nunquam id fuisse credituros, nisi vidissent; visum quidem, non autem fidem illis dare possum, qui hanc rem in dubium vocare aut negare volunt, quia tale quid nunquam viderunt: accedant quicumque volunt, nullis denegatur inspectio aut visus, modo cœlo sereno accedant, & oculos armatos, imo etiam inermes admoveant, res enim satis clara.

Si quis autem Theſauros in transitu percurrat, cœlo nubilo & pluvioso (quemadmodum quotidie magno numero ad me accedunt, quos inter multi obiter in hunc illumve Theſaurum oculos vertunt) impossibile foret talia indagare. Inter hos forte ille quoque fuit, qui incaute Clariff. Viro Schelhamero retulit, sese talem coagmentationem vasorum non potuisse depræhendere, cum illi corticalem substantiam demonstrarem.

Interim Clariff. Schelhameri, de re Anatomica longè meritissimi, Theſes, ad meas venerunt manus, in quibus sequentia reperio. *Num verò corticalis substantia, ubi fit spirituum ex sanguine vel separatio, vel præparatio, ex meris arteriarum venarumque osculis (ramusculis ego dixi, quorum extremitates molles & tomenti instar, tenues sunt,) constet, ut nuper se conspexisse Cl. Ruyschius professus est, de eo iudicium meritò suspendo. Neque enim capio, quomodo cinereus color ex vasorum congerie exsurgere possit, cum in Choroide plexu, qui ex hisce constat, nil ejusmodi deprehendatur, nec Microscopiis mollibus & per mado-rem lubricis corporis partibus plenam habeo fidem. Quin potius existimo, rationi magis esse conveniens, corpuscula statuere intermedia, quibus, &c.*

Antequam Clar. Viro respondeam hoc unum præmittere mihi visum fuit, sc: quod mihi animus sit, cum nemine ullam inire disputationem, ne distrahar ab ulteriore corporis humani investigatione, existimans me plus profecturum investigando, quam disputando; omnes interim ad visum provoco, invito, & si quis oculis mentis majorem fidem habere velit, quam oculis corporis, per me licebit. Hisce præmissis paucis respondebo

I. Clar.



**r.** Clar. Vir dicit, se iudicium suum suspendere de mea assertionem, nempe Corticis Cerebri substantiam esse vasculosam. Resp. hoc mihi nequaquam esse admirationi, calculum ipsemet non adjicerem, nisi detexissem & luculenter vidissem. Incredibile olim mihi quoque fuisset, si tale quid audissem.

Sciat interim velim Clariss. Vir, quod nunquam incidissem in hanc dilucidationem, nisi perscrutando, aliam instituissem methodum, & nequaquam usitatam; vulgari enim modo impossibile est dictæ partis constitutionem explorare, in corpore jamjam denato, (sine prægressa præparatione nostrâ) uti facere solent Anatomici, idque solo cultro Anatomico, vel inutili coctione Cerebri in Oleo Olivarum, Terebinth. Lini &c.

Culter ineptus est, propter Cerebri mollitiem; per decoctionem in oleis immutatur substantia cerebri; hinc sibi persuaserunt nonnulli corticem esse glandulosum, & hoc typis non solum mandarunt, verum etiam per figuras expresserunt ejusmodi chimæras, quibus rejectis, confugiendum ad aliam, magis securam, investigationis methodum, sc: per vasorum sanguineorum artificiosam repletionem ceraceâ materiâ rubrâ: quo facto, particula corticalis substantiæ auferenda, & à capillo suspendenda in liquore conveniente, postea, capillus digitis arripiendus, & sic sursum deorsumque movenda particula Corticis Cerebri substantia, quæ à motu in liquore sese explicat, in infinitos ramusculos, tomenti instar tenues, attamen molles. Hanc methodum excogitavi non solum circa dictum corticem, verum etiam in plurimis particulis corporis, qua sine, ut puto, impossibile est expiscari, qualis sint naturæ.

Quis unquam credidisset, tantam esse differentiam inter vasorum sanguineorum extremitates, quantam exhibui in præcedentibus Theauris, nisi quis hoc domi meæ vidisset? Color substantiæ corticalis Cerebri in demortuis nobis occurrit cinereus, & ad hunc lapidem videtur sese offendere Cl. Vir, ego autem non; utrum rubescat in statu vivo, & sano, an verò coloris sit cinerei, haud disputabo; quicquid sit, hoc tantum rehero, demonstrari posse extremitates arteriolarum, absque ullo intermedio, variis locis degenerare in vascula alterius naturæ; sic Arteriolæ Renales in ductus Bellinos, Spermaticæ in vascula feminis rudimentum conficiunt, Arteriolæ in Cerebri

bri Ventriculis in Plexum Choroideum, sic quoque Venæ lacteæ primi generis, in Venas lacteas secundi generis, id quod flatu, sæpius expertus sum, sc: quod dictæ venæ sint continuæ.

Imò Arteriæ per Placentam disseminatæ, (vel potius quæ, simul cum Venis, Placentam constituunt) continuæ quidem sunt cum ramis Iliacis fœtus, tamen in Placentæ constitutione, degenerant, & fiunt alterius naturæ, nam à Venis Placentæ, vix ac ne vix quidem discrepare videntur tenuitate, ita ut hic denuò vasorum mutatio sit consideranda; jam autem exillimo ab mutatione extremitatum Vasorum, eorumque diverso reptatu, & constitutione, dependere humoris, sanguinis, salivæ, lactis, feminis, &c. elaborationem, & segregationem, non autem in aliis particulis, aut diversa pororum constitutione nusquam visui expositis.

Prout jam contenti, sic etiam continentis color, variis locis, nobis occurrit; Bilis in Vesicula, ut & in Poro bilario, flavescens, eodem colore inficit Vesiculam, & Porum bilarium: Seminis rudimentum in vasis, testiculorum substantiam constituentibus, coloris est cinerei, unde Vascula ipsa eodem colore sunt perfusa & imbuta, tamen dicta vascula continua sunt cum Arteriolis spermaticis, nullis intercedentibus Glandulis aut alia substantia visibili: ut brevis sim, existimo arteriarum extrema in corticali substantia esse conferenda cum floribus brassicæ floridæ; caulis ut & folia ad terram saturatiore viriditate sunt prædita, quam in parte superiore, caulis tandem in fastigio degenerat in flores niveos, flores continuant cum caule, sed non solum caule teneriores sunt, verum etiam alterius naturæ & coloris, sic etiam cortex cerebri, (qui revera nil, nisi Arteriolarum extremitates) considerandus est, tanquam flores dictorum Vasculorum. Hinc, uti superius innui, tanta etiam differentia aut discretio inter vasorum extremitates hujus, & illius loci, quæ certe haud frustra, si enim Arteriæ solummodò inservirent, sanguini deferendo ad partes, uti hoc tempore creditum, & inconcussum fuit, quare tunc non essent uniformes & ejusdem reptatus in suis extremitatibus?

Si Corticalis Cerebri substantia in statu sano & vivo, coloris sit cinerei, quod non nego, tunc tali imbuitur colore à liquore

liquore contento; in furibundis, & in maxime iratis, in Phrenitide, & Cerebri inflammatione verosimile est, corticem esse rubicundum, propterea quod sanguis Arteriosus, maximo impetu, ultra terminum propellitur, ut loco contenti coloris cinerei, jam arteriolarum extrema contineant sanguinem rubicundum & floridum; simili modo, si ceraceâ materiâ rubrâ Arterias Carotides repleo, integer cortex colore rubicundissimo perfunditur, idque absque ulla extravasatione, quod certum est indicium, corticem constitutum esse ex extremis Arteriolis, suntque non solum oculis armatis, verum etiam inermibus visibiles; hæ autem propter tenuitatem, & mollitiem discrepant, ab iis Arteriolarum extremis, quæ per musculos, imo varias corporis partes, sunt dispersa.

Cum dico corticem ex Arteriolarum extremis constare, rogabit forsan aliquis, an non simul ibi reperiantur Venarum extrema, ut superfluum regerant? Resp. mihi hæctenus impossibile fuisse, Venularum ultimas extremitates in Corticali substantia demonstrare; in nostra repletionem Arterias arripio, easque lento gradu absque ulla vehementia, repleo, & sic totus cortex summa rubedine afficitur, sine visibili Venularum repletionem, verosimile mihi videtur superfluum regredi ad Venulas, antequam Arteriolarum ultimæ extremitates producantur, corticemque constituunt.

Dico mihi hæctenus impossibile fuisse venularum extremitates in cortice detegere, & verosimile esse regressum sanguinis superflui fieri antequam cortex constituatur. Verbum *verosimile* fati indicat me hoc nolle mordicus defendere, nam præcise determinari non potest ubinam hoc fiat, in repletionem enim arteriarum, replentur ut plurimum quoque venæ, & vice versa, ita ut impossibile videatur præcise dicere quomodo res sese habeat.

Hic finem imponam, ne nimia prolixitate ab instituto distrahar, omnia enim mea curiosa Anatomica intra 40 Annos collecta, quæ in sexdecim Thesauris Anatomicis reperiuntur, forma Catalogi tantum describere mihi proposui iisque absolutis, me (volente Deo) libenter conferrem ad descriptionem meorum Thesaurorum Animalium, insectorum, Marinorumque &c. qui Thesauri magno quoque sunt numero.

Nº. LXXIV. Phiala in liquore continens unam ex protuberantiis uterinis vaccæ gravidæ, quam una ex Placentulis uterinis ex-  
ceperat.

Not. 1. In illa protuberantia innumeras & profundissimos semper reperiri sulcos, in quos sese insinuant ramuli vasorum sanguineorum placentam constituentium.

2. In dictis sinibus colligi succum nutritium foetus, qui ab extremis Venis recipitur, & ad foetum deducitur, fecus ac in homine; Uterus enim humanus ejusmodi sulcis destituitur. Vide Thesaur. V. ubi fusius de hac re agitur.

Nº. LXXV. Phiala liquore referta, in qua alia portio Corticulis Cerebri substantiæ, in ea non minus videri potest, illam mere esse vasculosam.

Nº. LXXVI. Phiala sicca, & in ea, Intestinula tenuia foetus, nitidissime repleta, & præparata.

Nº. LXXVII. Plexus Choroidei portio, in liquore conservata, quæ rubicundissima propter Arteriolarum cerebri repletionem.

Nº. LXXVIII. Infantis auricula viventis speciem referens.

Nº. LXXIX. Hominis Pia mater integra, in liquore conservata, cujus vasa ut & minutissima vascula Arteriosa sunt repleta materiâ ceraceâ rubrâ.

Not. 1. Omnes fere Arterias, quibus superbit Pia mater, deorsum tendere, ut constituent corticem, hic videre licet, suntque earum ramusculi tam numerosi, ut nemo sine admiratione illud in hoc & præcedentibus objectis aspicere possit.

2. Pia mater variis locis solito crassior hic occurrit, id quod in aliis membranis non raro quoque contingit.

Nº. LXXX. Phiala in liquore continens Vaginam uterinam ovis, in qua triplex vel quadruplex angustatio ceu ora.

Nº. LXXXI. Placentula uterina, è cujus medio à funiculo umbilicali dependet Embryo humanus, semiunciae magnitudine.

Not. 1. Capite destituitur, utpote abscisso, in apertione membræ Placentulæ forcipis ope.

2. Artus inferiores æmulantur capita minimæ aciculæ absque ulla discretione femoris, Tibiæ aut Pedis extremi.

3. Funiculus umbilicalis pro proportione Embryonis admodum crassus.

4. Quam-

4. Quamvis Placentula, aut rudimentum Placentulæ, hic factis magna & crassa occurrat, considerandum denuò, ut supra innui, ejusmodi placentulas ut plurimum multo sanguine grumoso & coagulato undique esse obfitas, illudque hic etiam locum habere, videri potest.

5. Monendos hic esse existimo illos, qui Medicinæ studiis incumbunt, quod plurimi olim fuerint decepti, cum vocati ad puerperas, quæ à duobus mensibus uterum gesserant, & abortum passæ erant, postquam in partu ejusmodi rudimenta Placentularum expulerant, quæ magnæ molis videbantur, foetus expectabant, talibus Placentulis respondentes, ita ut medicamenta exhibuerint ad foetus expellendos, idque in puerperarum detrimentum, cum interim placentulæ per se consideratæ, minutissimæ & multo cruore obfitæ essent; quarum Embryones in nihilum redacti sunt, aut in liquorem dissoluti.

Nº. LXXXII. Magna Venæ Portæ portio, in liquore conservata, post præparationem tam artificiosam, ut extremitates oculos allicere debeant; utpote adeo subtiles, & tamen repletæ, ut dicere auserim, me nunquam tale quid vidisse.

Not. 1. Me in illa præparatione nil Glandulosi aut Parenchymatosi offendisse, suntque ultimæ extremitates fasciculosæ tenues & succosæ, & ceu in aliud esse mutatæ, tamen cum ramis Portæ continuæ, & ceraceâ materiâ repletæ, sine ulla extravasatione.

Eodem modo res sese habet, circa ramusculos Venæ Cavæ per Hepar dispersos, id quod in præcedentibus Thesaur. ut & litteris responsoariis demonstravi, & in sequentibus ulterius demonstraturus sum.

Hi autem ramusculi Portæ & Cavæ circa eorum ultimas extremitates ita inter se combinati & dispositi, ut illud, quod Veteres dixerunt parenchyma, & neoterici Glandulas, istis extremitatibus fasciculosis competat.

Fateor, quod olim, præjudicio captus, in dicto errore diu quoque hæserim. Ab hinc annos quadraginta in usum Clar. viri D. van Horne, Præceptoris mei (dum viveret) venerandi, aliquoties Jecinora reddebamus excarnia (uti loquebamur) quomodo vero illud? omnes extremitates ultimæ unguibus, cultro obtuso, aliisque instrumentis, auferebantur, sicuti hoc constat ex non-

nullorum figuris; ut & ex præparatis meis, ante quadraginta annos confectis; jam verò nostra methodo, ne hilum quidem aufero, & sic extremitates fasciculofas & succofas, quas pro Glandulis habuerunt Neoterici, demonfiro.

Clar: D. Schelhamerus oppugnare videtur systema nostrum, circa ultimas extremitates vaforum fanguineorum, *ubi dicit, Nec microscopiis in mollibus & per madorem lubricis corporis partibus plenam habeo fidem.*

Breviter regeram Cl. viro, sc: quod ipfemet haud plenam habeam fidem, in indagandis partibus mollibus & per madorem lubricis, sine prægressa præparatione; si quis Cerebrum, quæ pars admodum mollis, ad incudem revocat, absque prægressa præparatione & modica induratione, vaforumque artificiali repletionem, difficillimum atque impossibile illi erit, veram constitutionem expiscari, saltem uti reor. Quicumque hæcce mea præparata viderunt oculis neutiquam armatis, unanimiter confessi sunt, sese luculenter vidisse, id quod statuo, præsertim qui cælo sereno me convenerunt.

Sciat itaque velim, Cl: Vir, quotiescunque in meis scriptis dixerim me hæc & alia luculenter microscopii ope vidisse, id tantum attribuendum esse meæ senectuti, qui jam annum sexagesimum septimum agens, oculis meis non peperci: alii autem, quorum oculi magis lyncei sunt, illa luculenter videre possunt, absque microscopiis.

Nº. LXXXIII. Foetus humani vesica urinaria, quam à parte Penis aperui, molliterque bombace replevi.

Not. 1. Utramque Arteriam umbilicalem à latere vesicæ confitam, ceracea materia replevi.

2. Urachus inter dictas Arterias hic visibilis, cæcus tamen in sui extremo, & nulla apertura præditus, quamvis hoc aliqui sustineant.

3. Umbilici rudimentum, portio funiculi umbilicalis, nec non arteriarum reptatus per vesicam hic cerni possunt.

Nº. LXXXIV. Uterque Ren foetus humani.

Not. 1. Membrana adiposa, qua involuti sunt Renes, mentitur mere glandulosa, & facile imponderet minus peritis.

2. Arteriolæ ceraceâ materiâ flavâ repletæ, & inter cellulas adiposas repentes, visum alliciunt.

Nº. LXXXV.

Nº. LXXXV. Phiala in liquore continens Uterum muliebrem, cujus os internum ad eò angustum, ut ne caput quidem aciculæ minoris admittere possit.

Not. 1. Isthæc morbosa constitutio organica inter infœcunditatis causas quoque recensenda.

2. Fimbriæ ductus Ovarii, seu Tubæ fallopianæ conspectiores in uno latere.

Nº. LXXXVI. Phiala liquore repleta, in qua conservatur Uterus muliebris, cujus os internum naturaliter est constitutum.

Nº. LXXXVII. Phiala in liquore continens Uterum muliebrem, secundum longitudinem apertum, ut Uteri cavitas, nec non cavitas Cervicis interni conspici possint.

Not. 1. Expertissimus Anatomic. Regnerus de Graaf, qui in conscribendis partibus generationi inservientibus, palmam aliis præripuit, in delineatione cavitatis Cervicis internæ, mihi tamen haud satisfecit, quapropter illum nova delineatione dilucidare consultum duxi. Vide Tab. IV. Fig. III. Thef. VI.

2. Quam crassum existat os uteri internum, videri hic potest, utpote secundum longitudinem dissectum, præterea oculos incurrunnt juga seu stamina lata, in cervice interna sita.

Nº. LXXXVIII. Maxima portio Venæ Portæ, ceracea materia repleta, cujus extremitates tam exquisite sunt conservatæ, ut ne quidem extremum succosum deficiat; in tali præparatione, præter sanguinem, nil est ablatum; nullis occurrentibus ita distinctis Glandulis aut Parenchymate.

Nº. LXXXIX. Phiala in liquore continens Portionem magnam Funiculi umbilicalis foetus humani, cujus Arteriæ, ut & Venæ, repletæ sunt ceracea materia, ut horum vasorum situs & reptatus luculentissime cerni possint.

Not. Interim hoc objectum vitæ speciem repræsentat.

Nº. XC. Embryonis Placentula, cujus superficies, Embryonem respiciens, globulis rotundis, referta est. Vid. Tab. III. Fig. VII.

Mirari fatis nequeo, Placentam non solum, verum etiam funiculum umbilicalem tot degenerationibus esse obnoxia in statu morbofo, sicuti in Thesauris præcedens notavi, & in sequentibus notaturus sum, de quibus hæcenus nil fere legi in Auctoribus.

Nº. XCI. Os Uteri apertum, ut oris non solum, verum etiam Cervicis interni constitutio cerni possint, quæ cum objecto, Nº. LXXXVII. prorsus conveniunt, ita ut dubitandum non sit de veritate circa ea, quæ eo loci dixi.

Nº. XCII. Phiala in liquore continens foetus humani Pulmonem, inter cujus lobos Cor, Pericardio involutum, situm, ut & constitutionem naturalem obtinet.

Not. 1. Pulmonis divisionem ordinariam in lobum dextrum & sinistrum non solum, verum etiam lobi dextri subdivisionem in lobulos tres, sinistri in duos, & horum omnium in lobulos millenos, hic videre licet.

2. Arteriæ, per Pericardium disseminatæ, hic sunt repletæ, ita ut distincte videri possint, imò pulmonem & Cor, vitæ speciem repræsentant.

Nº. XCIII. Phiala in cujus liquore videri potest, rudimentum Placentulæ Embryonis humani minutissimi, cui connectitur Funiculus umbilicalis, in cujus extremo Embryonis rudimentum quidem cohæret, sed maxima parte liquefactum & in nihilum redactum est, propterea quod nimis diu retinuerunt, antequam mihi traderent.

Nº. CXIV. Magna portio Cerebri humani, lapidis instar à me, ante annos triginta indurata, absque decoctione.

Not. 1. Hominibus admirationi est, Ligna & alia in hoc vel illo fluvio lapidis duritiem acquirere; magis autem illis admirationi sit, Cerebrum, substantiam admodum mollem, lapidis duritiem acquirere, idque liquoris nostri ope, neque solum talem acquisivit duritiem, verum etiam lapidis scintillantis instar fulget.

2. Isthæc præparatio, ante triginta sex annos, à me facta, & qui post me venient hocce objectum per mille & plures, ut credo, annos conservare poterunt, sine ulla corruptione; tali enim modo præparata incorruptibilia sunt.

Nº. XCV. Phiala in liquore continens Testiculum humanum, peculiari modo dissolutum.

Nº. CXVI. Phiala sicca, & in ea, portio spinæ dorsi alicujus animalis ex India mihi allata, cujus vertebræ inter se ita cohærent, absque ullis adminiculis ligamentosis aut ancylofi. Interim dicta portio Spinæ quaquaversus, mobilis est, tanquam in corpore vivo.

Nº. CXVII.



Nº. XCVII. Facies cujusdam juvenis vitæ speciem repræsentans.

Not. Labia non solum, verum etiam Genæ rubent.

2. Prolabia destituuntur epitheliâ, unde sericum villosum repræsentant.

Nº. XCVIII. Phiala in liquore conservans Embryonis Placentulam, tanquam in aliud Esse mutatam, & oblongo-rotundam, duram, quales olim pro molis habuerunt.

XCIX. Phiala, in qua conservatur embryo magnitudine grani hordei mundati, induratus, cum annexo Placentulæ rudimento, à quadraginta annis conservatus, quem mihi dono dedit D. Dr. Helvetius, Medicus apud Hagienfes celeberrimus.

Nº. C. Phiala in liquore continens Placentulam foetus humani trium circiter mensium, cujus magnitudo ab annexo sanguine coagulato valde aucta, id quod in illo tempore, uti supra innui, sæpe contingit, ideoque caute judicandum, cum ejusmodi Placentulæ nobis occurrant, ne perversum feramus judicium de tempore, à quo imprægnata fuit mater.

Nº. CI. Placentula foetus humani in liquore contenta, iv. circiter mensium, quæ per aliquot tempus in Utero fuit relicta, post Embryonis exclusionem aut annihilationem, unde ceu in globulum rotundum, nulla cavitate præditum, mutata est, & sic nil minus, quam Placentulæ constitutionem retinuit.

Nº. CII. Placentula foetus humani, trium fere mensium, in liquore conservata, quæ ab aliquo tempore in Utero hæsit, post foetus exclusionem.

Not. I. In hac Placentula, quod illi multum sanguinis coagulati quoque adhæreat.

2. Extremitates vasorum sanguineorum variis locis rudimentum hydatidum repræsentant, & sic in extremitatibus videmus annexos varios globulos minutissimos ceu arenulas. Vid. Tab. V. Fig. III. & IV. Thes. VI.

Nº. CIII. Phiala in liquore continens Placentulam humanam cum annexo sanguine coagulato, quæ degeneravit in majorem & magis luculentam mutationem, nempe in hydatides. Vid. Tab. V. Fig. V. Thesaur. VI.

Nº. CIV. Phiala in qua continetur portio, Placentæ Uterinæ humanæ, quæ tota mutata est in hydatides.

Not.

Not. Quamvis fere incredibile fit integram Placentam, quæ nil nisi vasa sanguinea, posse degenerare in hydatides, sc: vasa majora, minora, minima, tamen à veritate haud esse alienum edoctus sum, & à multis annis illud quoque publici juris feci, adjectis figuris. Vide observ. meas Anatomico-Chirurg. pag. 44. Fig. 34. & 35. eo tempore in nullo auctore de hac re legeram, multo minus figuras hujus rei videram, postea autem vidi figuras ab alio expressas, & secundum meas factas, non nihil tamen studio mutatas, sine ulla mei mentione, sed transeant illa cum cæteris erroribus, ab illo commissis; quo autem modo hæc vasa sanguinea in hydatides possint mutari, supra innui, sc: inter vasorum sanguineorum tunicas, reperitur & tunica cellulosa, cujus cellulæ in statu præternaturali si repleantur latice aquoso, cavitas vasorum ita premitur ut nihil cavitatis supermaneat, & sic obliterantur non solum minora, verum etiam majora vasa.

Nº. CV. Phiala in liquore continens Os petrosum, ita præparatum, ut non solum tres canales ossei, verum etiam vestibuli cavitas videri possint, modo ad candelæ aut solis lucem objectum admoveatur, idque sine Canalium læsione.

Præterea Cochlea luculenter hic quoque sese videndam exhibet.

Nº. CVI. Phiala liquore referta, & in ea Stomachus pueri, cujus Arteriæ sunt repletæ ceraceâ materiâ alba, in ejus medio occurrit repletio cujusdam ramuli arteriosi artificiosissima, rete mirabile repræsentans: Interim dubitandum non est, quin omnes ramuli arteriosi ita sint constituti, quamvis hic non appareant, idque propter repletionem imperfectam.

Notandum quoque reptatum harum Arteriolarum longe differre, ab eo, qui est in Arteriis Renalibus, Lienalibus, placentula, & hoc consideratione dignum esse censeo.

Nº. CVII. Testiculus humanus peculiari modo dissolutus, & in liquore conservatus.

Nº. CVIII. Hepar foetus excarne, uti perversè & abusivè loquimur: in Hepate enim nil carnosum, glandulosum aut parenchymatosum, ab extremitatibus vasorum diversi.

Not. Extremitates ultimæ Venæ Portæ, oppido quam bene hic sunt conservatæ, non autem Cavæ.

Nº. CIX. Phiala in liquore continens portionem Corticalis substantiæ Cerebri humani, à capillo dependentem, in qua vasculorum constitutio videri potest.

Nº. CX. Brachium infantis, vitæ speciem repræsentans, & inter digitos manus continens portionem Thoracis sui, aut alterius infantis, hujus Musculi tam rubicundi, ut in corpore vivo rubicundiores non appareant.

Nº. CXI. Phiala sicca, in qua Muris sceleton nitidissimum, & tam subtiliter confectum, ut officula auditus in osse petroso videri possint.

Dictum sceleton uni ex posterioribus pedibus insitens, absque adminiculo æneo, aut ligneo, quasi saltare videtur pede unico.

Nº. CXII. Phiala in liquore continens portionem Tunicæ interioris Uteri bovini, quæ degeneravit in globulos rotundos, parvos, duriusculos, idque, ut ego statuo, à vasculorum sanguineorum obstructione in suo extremo, uti antea in aliis objectis, & posthac variis in Thesauris exhibiturus sum.

Nº. CXIII. Phiala continens Renem Caninum, cujus substantiâ interiore, (quæ nil nisi vasa) plane consumptâ, cavitas ejus Vermem continet longum.

Nº. CXIV. Phiala in liquore conservans portionem Testiculi ovini dissoluti, qui magnam habet analogiam cum Testiculo humano dissoluto.

Nº. CXV. Os humanum, utrumque Labium, cum annexa portione Malæ.

Not. 1. Anterior pars prolabii inferioris, Epithelia adhuc est obducta, posterior pars verò destituitur illâ, ita ut in objecti parte posteriore Papillæ nerveæ, sericum villosum repræsentantes, videri possint, fecus ac in parte anteriore.

2. Integumentum, quo genæ obducuntur interne, non est membrana vera, uti nonnulli autumant, sed cum prolabiis hoc commune habet, sc: quod dictum integumentum sit Epithelia, producta ex nervorum extremis, id quod in Epidermide locum quoque habere experior. Hinc fit, quod Epithelia Genarum læsa, nullum excitat dolorem, quemadmodum in Epidermide.

Nº. CXVI. Phiala in liquore continens portionem Linguae vitulinæ, cujus Papillæ linguales rubicundissimæ, propter

**Arteriolarum' repletionem, quibus Arteriolis scatent papillæ.**

**Nº. CXVII.** Portio Pulmonis humani in liquore conservata, cujus color rubicundus exactissime est conservatus.

Not. Me variis locis, membranam amicientem separasse, partim ut constitutionem membranæ, partim vasorum fanguineorum copiam, ut & cursum atque reptatum naturalem exhiberem: Eum in finem cellulæ intactæ sunt relictæ, ut earum constitutio naturalis in exspiratione videri possit.

**Nº. CXVIII.** Portio Mesenterii, quæ hic vesicularis apparet, propter Tunicæ ejus cellulosæ repletionem ab aëre, idque ab indispositione, quam contraxit objectum ante mortem.

Not. 1. Mesenterium duplici membrana constare, nemo ambigit, ego statuo & demonstro præterea tertiam membranulam, quam cellulosam denomino, sitam inter Mesenterii duplicaturam, quæ constituitur ex millenis cellulis, quæ non apparent, nisi flatu, vel aqua repletæ, oculos incurrant; in statu autem naturali non comparent, quamvis in obesis pinguedine repleantur, & tunc membranula isthæc cum membrana adiposa, sub cute sita, plane convenit.

2. In hoc objecto non solum apparent dictæ Cellulæ, verum etiam flatu à morbosa constitutione repletæ, & corpore exemptæ, rotunditatem sphericam retinuerunt, idque propter liquorem, in quo natant, id autem fieri non posset, si eximerentur.

3. Quam utile sit, objecta in liquore conservare, & in publicis demonstrationibus Anatomicis exhibere; hæc & alia satis superque indigitant, ita ut immeritò meum institutum improbaverint olim varii, cum hoc in usum revocarem.

**Nº. CXIX.** Phiala in liquore continens unam atque alteram Vertebra Thoracis foetus humani, quibus connectitur portio diaphragmatis, ut & uterque Ren: suntque hæc omnia tam nitide conservata, ut jamjam è corpore videantur exempta.

Not. 1. Superficies utriusque Renis inæqualis, unde Renes ceu in varias particulas subdivisi videantur, & hoc in illa ætate semper contingit.

2. Reni sinistro incumbit Ren succenturiatus, tanquam cupula glandi.

3. Renes succenturiatos affigi, mediante membrana adiposa, Diaphragmati, hic cerni potest.

4. Quod

4. Quod substantia interior Spinalis Medullæ, corticalis sit, & ex vasis sanguineis, præsertim arterioliis constet, in hoc, & aliis quoque objectis, à me conservatis, videre licet.

Nº. CXX. Phiala ficca, & in ea Placentula, pro Embryonis magnitudine (uti olim putavi) prodigiosa, cui annectitur, ope Funiculi umbilicalis, Embryo femi unciæ magnitudine, qui natus est sex horis post partum foetus maturi novem mensium, superfoetationis exemplum infallibile, de hoc partu legi potest in observationibus meis Anatomico Chirurgicis A. 1691. in lucem editis, ubi sequentia simul cum figura, fol. 21. existant.

*Uxor cujusdam Chirurgi Amstelodamensis Anno 1686. infantem robustum & viventem peperit; sex horis post hunc partum, enixa quoque Embryonem, cujus formam & magnitudinem Vide bis. Fig. XV. in hoc Embryone notatu dignum fuit, quod Funiculus umbilicalis tot hydatidibus esset refertus, ut totus videretur concatenatio Vesicularum, aqueo humore refertarum, unde hoc? &c.*

Ex descriptione Placentæ, quam prodigiosæ magnitudinis esse statui, patet, me quoque fuisse deceptum, sc: quod eo tempore pro Placentula, simul sanguinem coagulatum habuerim, cum contra Placentulæ Embryonum in tali ætate admodum exiles sunt.

Notandum præterea huncce Embryonem ficcum & intus repletum esse ceracea materia, sine qua, debitam & naturalem magnitudinem servare haud potuissem in exsiccatione.

Nº. CXXI. Phiala in liquore continens lamellam Cerebelli humani, cujus cortex, repletus materiâ ceraceâ, rubedinem induit; medullaris vero substantia colorem album retinuit.

Nº. CXXII. Phiala ficca, in qua cernere licet sceleton muris nitidissimum, quod uni posteriorum pedum insidet, & uno anteriorum continet setam, cui agglutinatus est dens Araneæ Americanæ magnitudinis prodigiosæ.

Nº. CXXIII. Phiala ficca, & in ea, cutis Capitis hominis, cujus Arteriæ sunt repletæ ceraceâ materiâ rubrâ, idque tam artificiosè, ut ne minimus quidem ramulus videatur intactus, unde tota cutis, ceu inflammata nobis occurrit.

Interim consideratione dignum censeo, dictam cutem retinuisse, in sua exsiccatione, figuram scutellæ sine rugis.

Nº. CXXIV. Os temporum in duas partes divisum, in quarum primâ & exteriore, quæ Os squamosum dicitur, membrana

**Tympani** sese videndam exhibet, innumeris Arteriolis superbiens, huic annectitur adhuc manubrium Malleoli, & Malleolo Incus.

Notandum quoque dictam membranulam in medio esse perforatam, id quod contra naturæ leges.

Nº. CXXV. Cor humanum balsamo nostro induratum & ita præparatum, ut per æva conservari possit.

Not. I. Omnia vasa, & præsertim Arterias, ceraceâ materiâ rubrâ leviter ita esse repletas, ut ultimæ extremitates, tomenti instar tenues, ceraceæ materiæ transitum admiserint per Cordis substantiam musculosam, idque sub forma nubeculæ, quod visui pulchrum.

2. In illa leni repletionem ceraceâ materiâ nullo modo extravasationem præternaturalem causata fuit; tunc enim non in forma nubeculæ, sed in forma globulorum visui sese exhibuisset dicta materia.

3. In statu vivo & sano, credibile sanguinem quoque ex extremis Arteriolis exprimi, extra sua vasa arteriosa, in forma feri sanguinis. Cum enim Arteriæ sint destinatæ musculis devehendo succum alibilem, relinquere debet vascula dicta. Suntque hæ ultimæ extremitates aliter dispositæ, quam quidem in Hepate, aut Liene, non solum ratione cursus, verum etiam substantiæ & dispositione vid. Tab. V. fig. VI.

4. Dispositio Arteriarum per tunicas Arteriæ Carotidis distributarum, videri hic nitide quoque potest, ut &

5. Aortæ truncus, tres ramos sursum emittens, nec non cæteri trunci Venæ pulmonalis, Venæ cavæ, Coronariorum &c. in naturali situ.


6. Auriculis Cordis eadem materia rubra repletis, naturalis figura visui exhibetur. Vid. cætera B. Lector in Thesauro III. & præsertim in IV, ubi delineationes Cordium repræsentavi, ne Arteriarum quidem extremis neglectis.

## EXPLICATIO

### *Figurarum Thesauri Anatomici VI. TAB. I.*

**FIG. I.** **S**keleton Humanum re- & Litt. A notatum. Sinistra autem præsentat, magnitudine tenet ope capillorum, tria ova muliebria diversæ magnitudinis. digiti minimi, cujus dextra continet Ovum muliebri non fœcundatum,

**FIG. II.**



C. Hüberts. ad vivum sculpt.







Tafel VII.  
Fig. 5.



Fig. 1.



Fig. 2. Tafel VIII.





Fig. 3.



Fig. 4.



C. Kühberts .ad vivum sculp.

FIG. II. Sceleton exhibit humanum; præcedente aliquanto majus, à cujus prædextra dependet Ovum muliebri fœcundatum utero exclusum, majusculum, & non apertum, ita ut ejus contentum haud viderim.

A. Rudimentum membranarum.

B. Rudimentum vasorum sang: Placentæ primordia constituens.

FIG. III. Sceleton humanum indicis magnitudine, à cujus sinistra, ope capilli dependet Ovum fœcundatum, ejusdem fere magnitudinis, illudque aperui, ast in ejus cavo

nil solidi inveni.

A. Ovi exteriora Vasculosa.

B. Ovi cavitas.

FIG. IV. Placentulæ rudimentum, quod ab aliquo tempore in utero hæsit, post embryonis exclusionem, unde durius factum, & naturali constitutione destitutum.

FIG. V. Rudimentum Placentulæ embryonis humani minimi.

A. Vasculorum rudera.

B. Sanguis coagulatus, dicto rudimento firmiter cohærens.

*TAB. II. V. objecta representat quorum I.*

FIG. I. Sceleton humanum trium circiter mensium, à cujus manibus ope capillorum, dependent rudimenta duorum embryonum humanorum, quorum primum à dextra dependens, semen anisi magnitudine adæquat. A sinistra autem, capilli ope, dependens tenet rudimentum placentulæ humanæ, cui adhæret ope rudimenti funiculi umbilicalis, rudimentum embryonis humani pediculi aut feminis lactucæ magnitudine.

*Fœtus hum: Rudimenti primi Expli-  
catio.*

A. Funiculi Umbilicalis rudimentum, crassitie rudimento embryonis vix cedens, id quod pluries mihi videre contigit.

B. Embryonis rudimentum, feminis anisi magnitudine.

*Rudimenti secundi expositio.*

C. Placentulæ rudimentum.

D. Embryonis rudimentum magnitudine pediculi aut feminis lactucæ.

FIG. II. Embryonem humanum, magnitudine grani hordei mundati, ope funiculi umbilicalis, Placentulæ cohærentem, denotat.

A. Embryonis Caput.

B. Corpus artubus nondum instructum.

C. Funiculus umbilicalis.

D. Placentula.

FIG. III. Exhibet embryonem humanum, ejusdem fere magnitudinis.

A. Placentula embryonis, prodigiosæ, uti mentitur, magnitudinis, pro ratione embryonis, idque propter sanguinem coagulatum, veræ Placentulæ tam firmiter cohærentem, ut sine laceratione placentulæ separare haud potuerim.

B. Funiculi umbilicalis rudimentum, in hydatidem mutatum.

C. Embryo, cujus caput cum corpore adhuc confusum.

FIG. IV. Exhibet embryonem humanum, præcedente paulo majorem, cujus caput jam è corpore distinctum, artuumque rudera nonnihil in

conspicuum prodeunt, tuberculorum minimorum instar.

A. Placentulæ facies exterior.

B. Eiusdem facies interior.

C. Embryonis caput.

D. Eiusdem corpus.

FIG. V. Exhibetur embryo, digiti transversi magnitudine, cujus caput à corpore non solum distingui

potest, verum etiam artuum rudimenta, tuberculorum majorum instar, prominent; & quod notandum, Funiculi umbilicalis rudimentum, crassitie sua, embryonem ferè adæquat, illudque pluries, uti dixi, me vidisse memini. An a morbosa Funiculi constitutione?

*TAB. III. Expositio, in qua VI. reperiuntur figure, quarum.*

I. Demonstrat sceleton humanum, quatuor circiter mensium, à cujus dextra, ope capilli, dependet Embryo, præcedente paulo major, cujus artus magis sunt expansi, digiti verò nondum visui apparent. Notatur autem dictus embryo FIG. II, cujus funiculus umbilicalis, lit: A. notatus, admodum crassus existit. Qui vero à sinistra dependet embryo, FIG. III. notatus, foetus est humanus, præcedente tantillo major. In hoc foetu jam digiti omnino videri possunt, non solum manuum, verum etiam pedum, estque funiculus umbilicalis longe tenuior; ita ut hic denudò naturæ lusum considerandus sit.

Notandum interim hunc ultimum me habere pro foetu, propterea quod omnia membra jam sunt absoluta, ne digitis quidem exceptis, estque funiculus umbilicalis longè tenuior præcedente.

FIG. IV. Foetus humanus, à ca-

pillo dependens, qui præcedente major, cujus funiculus umbilicalis, præcedentis foetus, vix crassior.

FIG. V. Atheroma pilosum inter cervicis bovinæ musculos repertum, & nidum aviculæ Ouruffiæ, vulgò *Colubritje* dictæ, repræsentans.

A. Pili in orbem dispositi.

B. Pultacea materia in Atheromatibus parte interiore reperta.

FIG. VI. Atheroma circa eundem locum repertum, ex cujus cavo pili emergunt recti, repræsentatque pilum igneum incensum.

A. Substantia dura & heterogenea.

B. Pili.

FIG. VII. Placentulam humanam demonstrat, quæ post foetus exclusionem aliquo tempore in utero remansit; hujus autem superficies interior tuberculis duris est obsita.

A. Placentula.

B. Tubercula.

*TAB. IV. demonstrantur III. figure, quarum prima.*

Uterus est mulieris, à paucis diebus gravidæ.

A. Uteri corpus.

B. Uteri crassities.

C. Eius cavitas.

D. Locus ubi ductus ovarii, s. Tubæ Fallopiæ in uteri cavum inseruntur.

E. Ova.

Fig. 1.




Fig. 7.




Fig. 4.




Fig. 2.



Fig. 3.




Fig. 5.





Fig. 6.



Herberts. ad vivum sculp.






C. J. W. L. sculp.









- E. Ovarium apertum & bifectum.  
 F. Ligamenta tiretia, rotunda vulgo dicta.  
 G. Tubarum fimbriæ.  
 H. Tubæ Fallopiantæ.  
 I. Ova, in Ovarii superficie prominentia.  
 K. Ligamenta Uteri lata.  
 L. Tubarum cavitas.  
 M. Ovarii aperti margo.  
 N. Ovum fœcundatum, & in majorem molem extensum, cujus contentum, ceu in coagulatum mutatum, forsan à liquore meo, in quo objectum innat.  
 O. O. Ovula non fœcundata, transversim scissa, quorum contentum non est coagulatum, quamvis in eodem liquore hæreat.  
 P. Vasa sang: transfusa.  
 Q. Os uteri internum.

FIG. II. Uterus est, qui prolap-

*TAB. V. VI. Figuras continet, quarum prima Fig. I. notata, mulieris Uterus, à paucis horis gravidæ, & in adulterio à marito repertæ, paucisque post horis occisæ, cujus cavitas non solum, verum etiam utraque Tuba Fallopiana semine Virili referta.*

- A. Corpus uteri.  
 B. Uteri cavitas.  
 C. Semen Virile, à liquore, in quo hæret, nonnihil induratum.  
 D. Os uteri internum, in quo paulum feminis adhuc reperitur.  
 E. Teretia ligamenta.  
 F. Tubæ Fallopiantæ.  
 G. Ovaria, quæ olim Testiculi muliebres dicebantur.

FIG. II. Hominis portio intestini Ilei, cujus tunica cellulosa inflata, exsiccata, & transversim secta.

- A. Portio dicti intestini.  
 B. Tunica cellulosa.

FIG. III. & IV. Demonstrant

sus fuit è corpore cujusdam mulieris.  
 A. Uteri pars anterior, Vaginâ obducta, unde Uterus, quamvis prolapsus, immediate videri haud potest, id quod in omni uteri procidencia locum habet, sc. extra partum.

B. Os uteri internum, in quo varii conspiciuntur sulci exigui cervicis interioris, qui hic in conspectum veniunt à pressione, & conatibus, quibus afficiuntur mulieres, dicto affectu laborantes.

FIG. III. Os uteri internum, ut & cervix uteri interior, suntque secundum longitudinem aperta, ut interiora conspici possint.

A. A. Latera Oris uteri, per medium dissecti.

B. Cervicis cavitas.

C. Sulci.

portiones Placentæ uterinæ humanæ; quæ per aliquot dies remanere in utero, post fetus exclusionem, unde vasorum sang: extremitates, hydatidum naturam variis locis induere incipiunt.

FIG. V. Portio placentæ humanæ exhibetur, in qua suprascriptum luculentius videri potest, utpotè hydatidibus in majorem molem excretis.

FIG. VI. Indigitat portionem cujusdam placentæ uterinæ hum:, quæ tota quanta in hydatides mutata. Hæc omnia in museo meo ita conservantur, ac sic jamjam è corpore essent excreta.

*TAB.*

*TAB. VI. Denotat corpus quoddam præternaturale, ex Utero Vaccino expulsum, & undique fere pilis brevibus, nigris, albis, stipatum, pedunculoque longissimo præditum.*


- A. Corpus pilosum.
- B. Pedunculus.
- C. Pars pilis destituta.
- D. Pili.

Quicumque jam examinaverit omnes Embryones, quos hic repræsentavi, calculum facile apponet assertioni meæ, sc: quod arduum, atque difficile sit determinare ex Embryonis magnitudine, ut ex relatione, à quo tempore conceperint mulieres; præsertim cum perpaucæ reperiantur, quæ justum temporis punctum graviditatis observare valent. Præterea vitalitatem sæ-

pissime per aliquod tempus amiserunt Embryones, & nihilominus in utero ad tempus remanent, ita ut existimem impossibile fere esse justum tempus designare ex Embryonis magnitudine. Circa fœtum humanum trium, quatuor, quinqueve mensium paulo certius illud dijudicari potest, cum sæpissime vitales in lucem prodeant, & majori quoque numero ad nostras perveniant manus. Itaque cautius agere volui, quam alii, qui incaute affirmant sese hoc posse videre ex illorum magnitudine.

F I N I S.







FREDERICI RUYSCHII,

*Anatomia & Botanices Professoris, nec non Academiae  
Caesareae Curiosorum Collegae*

THESAURUS  
ANATOMICUS  
SEPTIMUS.

*Cum Figuris aeneis.*



AMSTELODAMI,


Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.

ANNO MDCCXXVI.





# THE SAURUS ANATOMICUS SEPTIMUS.

Nº. I.  N cuius fundo reperitur Tumulus, ex variis Conchyliis Indicis purificatis, & ramulis marinis confectus.

In hujus fastigio conspicitur Concha exotica, margine in mucrones exeunte. *Fab. Columnæ de Purp. p. 27. S. Pectunculus albus Guineensis major, costis elatis, striatis. Pettiv. Mus. No. 727.* In sinu, seu concavâ parte, hujus Conchæ occurrit sceleton fœtus humani octodecim circiter hebdomadum; hujus dextrâ continetur Arteria Splenica, repleta ceraceâ materiâ rubrâ, Corallium rubrum repræsentans.

Dictus Tumulus in sese continet fœtum humanum bicipitem, tribus brachiis, duobusque pedibus præditum, quem; à plurimis annis, ab aliis balsamo conditum, & induratum, emi; talis autem balsamatio cum mea neutiquam convenit, quoniam neque constitutionem naturalem, neque colorem, retinuit.

Not. Præterea, quod non solum ex orbitis Oculorum prodeant Lacertæ, ut & Serpentes, verum etiam per totum corpus decurrere & reptare videntur, id quod in aliquibus oris exoticis in defunctorum simulacris, aut tumulis, non raro accidere, unicuique notum.

Nº. II. Latere dextro hujus Tumuli adstat sceleton fœtus maturi, dextrâ (ne otiosum videatur) continens, & nobis demonstrans portionem Ilei, cum notabili diverticulo, cuius diverticuli extremum prætern: caput caninum mentitur.

Hanc intestini portionem à plurimis annis conservavi, imo in observationibus meis Anatomico-Chirurgicis descripsi; nunc

4      **THESAURUS ANATOMICUS VII.**

autem denuo iconem æri incidi, curavi. Vid. Tab. IV. Fig. II. Thef. VII.

Nº. III. A sinistris quoque in conspectum venit sceleton fœtus maturi, cujus utraque manus continet ramum Arteriosum magnum, ceraceâ materiâ crocei coloris refertum.

**A S S E R   P R I M U S.**

Nº. IV. **S**uis pes extremus, è cujus latere sinistro ceu digiti humani emergere videntur.

Nº. II. Muris sceleton nitidissimum, cujus pes osseus anterior, & sinister, continet frustum Hepatis balsamo induratum, cujus superficies ceu granulosa glandulosa quid præ se fert; & hoc non solum mihi, verùm etiam aliis Anatomicis Expertissimis olim imposuit, existimantibus, **ILLUD GRANULOSUM**, Glandulas esse, per se subsistentes, & propriâ membranâ amictas, ad quas, ut aiebant, Vasa sanguinea aluerent; cum contra, dicta corpuscula rectius & non vulgari modo perlustrata, luculenter demonstrarem, illa, post dissolutionem, in liquore visa, nil esse, nisi vasorum sanguineorum extremitates succosas, penicillorum in modum constitutas, uti antea fusius de hac re egi.

Dextra præterea continet membranam, per quam myriades vasorum sanguineorum repletorum sunt diseminatæ, quorum extremitates, tomenti instar quamvis tenues, tamen repletæ.

Nº. V. Talpæ sceleton nitidissimum, in cujus præparatione ne minima quidem Apophysis, neque Epiphysis amissa, id quod visui gratiam conciliat.

Nº. VI. Portio Intestini jejuni mulieris, in qua hoc consideratione dignum esse censeo, nempe;

Cum aperirem cadaver, idque tempore æstivo, omnia intestina ceu gelu erant obsessa, nitentia & scintillantia, cum aliquali duritie.

Quonam morbo correpta fuerit defuncta, me latet: hoc enim explicari non potui, nec fonticas ob causas etiam ausus fui.

Nº. VII. Auricula infantis, vivido colore prædita, cum annexis

xis ossibus Temporum & Petroso, quæ à se invicem nonnihil sunt separata, ut Membrana Tympani, Ossicula Auditus, ut & Chorda in conspectum venirent.

Nº. VIII. Ren pueri, cui adhuc insidet Ren succenturiatus, sicuti cupula glandi.

Not. Hic oppido quam bene videri potest Renes succenturiatos vasis sanguineis non solum ditari ab Arteriis Renalibus, verùm etiam ab Arteriis Diaphragmaticis.

Nº. IX. Utraque Palpebra humana, in qua Oscula in margine sita, ut & Puncta Lachrymalia, luculenter videre licet; estque tunica intima rubicundissima; uti in inflammatione contingit, propter vasculorum minutissimorum repletionem.

Nº. X. Infantis caput, viventis speciem repræsentans.

Not. 1. Nervus Patheticus in latere dextro duplex, id quod rarum.

2. Nervus sextæ conjugationis (secundum computationem *Willisii*) eodem in latere binis in locis Cranium perforat.

3. Piæ matris portio, Nervos Olfactorios involvens, innumeris Arteriolis scatet.

4. Utroque Prolabio ab Epithelia denudato, in conspectum venit vera Prolabiorum substantia, quæ præter vasa sanguinea, nil nisi congeries Papillarum nervosarum, sericum villosum repræsentantium.

5. Dura mater nitida, & sericum album splendens repræsentans. Cum D. JOHANNES PLUIMER, Poëta egregius, hocce caput, nec non alia, & inter cetera quoque videret puerum, octo circiter annos natum, ornavit meam balsamationem quibusdam versiculis Belgicis.

Nº. XI. Phiala in liquore continens splenem Gigantæ puellæ, in quo propter magnitudinem luculenter apparet, nil glandulosi, cellulosi, aut fibrosi inesse Lienis humano, id quod Anno 1696. demonstravi, publici juris feci, & per figuras tunc temporis illustravi in Resp. Epist. Anat. problemat. IV.

Cum autem illud tam luculenter appareat in hoc Liene Gigantæ puellæ, propter ejus magnitudinem, denuo & secunda vice figuram Lienis humani exhibere, consultum duxi. Vid. Tab. 1. Fig. 1. hujus Thesaur. VII.

Nº. XII. Phiala in liquore continens pueri caput dimidia-  
tum, in quo sequentia consideranda,

1. In fundibulo, ut & Glandulâ pituitariâ, secundum lon-  
gitudinem fissis, conspiciere licet infundibulum, præ copia  
Arteriolarum repletarum, rubicundissimum.

2. Sub Sellâ equinâ nullam reperiri cavitatem in infanti-  
bus, & præsertim nuper natis, uti recte admonuere Anato-  
mici, hic etiam videre est, ut &

3. Nervos Opticos immediate esse amictos Piâ matre, per  
quam hic visuntur plurimæ Arteriolæ repletæ.

4. Nervum Patheticum, ut & Quintæ conjugationis (se-  
cundum computationem *Willisii*) hic quoque esse conser-  
vatos, simul cum Piæ matris portione, quâ sunt amicti Ner-  
vi quinti paris.

5. Nervi Auditorii uterque ramus, sc. durus & mollis,  
hic in conspectum veniunt, suntque à se invicem spinulæ  
ope separati.

6. In Medullâ oblongatâ luculenter videmus, Corticalem  
substantiam esse constitutam ex vasculis sanguineis, præser-  
tim Arteriolis, tomenti seu gossypii instar tenuibus.

7. Phialâ nonnihil inverlâ, videri potest Lien humanus in-  
teger.

Nº. XIII. Pueri Pia mater tenuitate telæ aranearum fere  
similis, Arteriæ autem, per eam distributæ, repletæ sunt ce-  
raceâ materiâ rubrâ, unde dicta Pia mater ruberrimo colo-  
re nobis occurrit.

Nº. XIV. Infantis Tibia, naturali colore prædita, sub cu-  
jus pede extremo sita portio Cranii, carie exesi, cujusdam  
famossimæ meretricis, cui nomen erat Annæ van Hoorn,  
olim notissimæ apud omnes, qui artibus meretriciis erant ad-  
dicti; quorum quidam adhuc superstites sunt, ut mihi re-  
latum.

Not. Quare sub pede posita sit dicta Cranii portio, quisque  
facile divinare poterit, cum hoc malum calamitosum non  
contraxerit dicta meretrix sine nefandis operibus, quæ vitu-  
peranda, & veluti pede conculcanda; in tali enim tales ca-  
piuntur flumine pisces; hæc in liquore conservantur.

Dictæ meretricis ossa pedis extremi quoque conservavi,  
quæ

quæ adeo sunt levia ab istis artibus meretriciis, ut aquæ imposita plumæ instar supernatent.

Nº. XV. Hominis portio Intestini Ilei, diverticulo magno præternaturali ditata, & liquori immerfa.

Not. 1. Diverticulum, quod cœcum, sacci instar dependet, cujus extremum caput canis repræsentat. Vid. Tab. IV. Fig. III.

2. Ejusmodi diverticula pluries mihi in dissectionibus cadaverum occurrunt, imo A. 1698. per figuram expressi unum ex illis. Vid. Observat. Anatom. Chir. meas, Observ. XLVIII. nunc autem denuo illud simul cum altero visui offero. Vid. Tab. IV. Fig. II. Thesaur. VII

3. Ejusmodi diverticula, ut plurimum, si non semper, in Ileo occurrunt, & cum Ileum maxima parte Hypogastrium occupet, contingere potest, in Bubonocèle, tale diverticulum contineri in illo tumore hernioso, nullis sequentibus symptomatibus, quæ Herniam inguinalem concomitantur.

Nº. XVI. Portio interioris tunicæ Uteri ovis gravidæ, in illa luculentissime apparent vascula vermicularia Uterina, Anno 1702. à me exhibita & depicta in Thes. II.

Not. 1. Quin dicta vascula vermicularia continent cum Arteriarum extremis, sicuti in Testiculis humanis, sarcinamque suam deponant in Uteri tubercula, & ex iis absorbeatur humor nutritivus ab extremitatibus Venosis Placentularum, nullus dubito.

2. Dicta vasa Vermicularia facile in conspectum veniunt, modò Chorii & Amnii tunicæ auferantur, Uterusque in aquâ simplici per aliquot horas maceretur; cum autem illa, sine ullo artificio, tam facile in conspectum veniunt, facile crediderim, alios in aliis regionibus dicta vasa quoque invenisse: attamen mihi attribui dictam detectionem, quandoquidem ante meam detectionem neminem offendi, qui illas descripsit, multo minus depingi curavit.

Nº. XVII. Phiala in liquore continens ramum magnum Venæ Cavæ Hepatis, ad ultimas extremitates succosas usque repletum, quæ perperam pro Glandulis habitæ sunt, uti hic videre licet.

Nº. XVIII. Pueri brachium, in cujus manu continetur Piteiculus

sciculus marinus, Perca marina Indica mihi dictus.

Not. Manus, ut & digiti, tam eleganter arripere videntur Pisciculum, ac si viverent, & hoc in liquore.

Nº. XIX. Portio Stomachi humani, eodem modo conservata; in qua luculenter cerni possunt vera constitutio rugarum, ut & Pori seu oscula, quibus stipatur Tunica intima.

Nº. XX. Portio Intestini humani, magnitudine manus, in qua duæ susceptiones visuntur; harum una vermem continet, qui ex parte quoque propendet.

Nº. XXI. Infantis brachium, cujus manus continet Buccinum ampullaceum, è quo emergit Hirudo Indica maxima.

Nº. XXII. Gigantæ puellæ Plexus Choroideus tenerrimus, pro corporis proportionem.

### A S S E R   S E C U N D U S .

Nº. XXIII. **C** Aput foetus Æthiopiæ, jamjam nati.

Not. Hoc caput, ut & integer foetus, scatebant variolis, quantumvis puerpera tempore graviditatis nullis variolis fuerit infestata: cum autem dictum caput nigerrimum sit, ad arcendam averfationem vasa sanguinea alterius foetus apposui.

Nº. XXIV. Placentæ Uterinæ humanæ portio, in totum rubicunda, propter vasorum sanguineorum, ex quibus constituitur, repletionem: variis autem locis Membrana, succosa à me dicta, qua obducitur facies Placentæ, quæ Uterum respicit, in conspectum venit.

Nº. XXV. Corticalis Cerebri substantia cujusdam hominis, in qua vera constitutio vasculosa cerni potest.

Nº. XXVI. Ita dicta Cauda equina humana, sicut illa continetur in foraminibus propriis vertebrarum Lumborum.

Nº. XXVII. Hominis magna portio Intestini Coli, ut & Intestinum Cœcum, cum annexo processu vermiformi.

Not. In illa egregie conspiciuntur valvulæ Coli, ut & triplicia juga, Valvulæ conniventes aliis dicta

Nº. XXVIII. Phiala Crystallina sicca, in qua conservatur Cor humanum, propter vasorum sanguineorum repletionem, rubicundissimum, &, post balsamationem nostram, admodum induratum. Not.

Not. 1. Mucro in duas partes est divisus, quarum pars productior provenit à dextra Cordis parte.

2. Vena Azygos, ex ascendente trunco Venæ Cavæ emergens, & à latere Gulæ, cui ramum impertit, descendens, hic in conspectum venit, ut & divisio trunci Venæ Jugularis in ramum externum & internum.

Nº. XXIX. Pueri sex circiter annos nati, & à plurimis annis denati, Caput, tam nitide conservatum, ut facies ejus vitæ speciem præ se ferat; suntque Oculi clausi, ita ut dormientis constitutionem repræsentet.

Not. 1. Superiore parte Cranii ablatâ, Cerebroque exempto, Dura mater in conspectum venit, ferici albi instar nitens.

2. Per remanentias Nervorum Olfactoriorum visuntur vasorum sanguineorum ramusculi dispersi.

3. Nervi, è Cranio exeuntes, hic quoque sese visui exhibent.

4. Facies, quæ, sine ulla ruga, plurimis locis minutissimas scabiosas excoriationes passa fuit, dum viveret puer: unde ceracea materia, quâ oppleta sunt vasa, variis in locis maculas rubras produxit, cum replem Arterias, per faciem diseminatas.

Nº. XXX. Phiala sicca, in qua conservatur Intestinum Cœcum; cum magna Ilei & Coli portione, è puero quinque circiter annos nato.

Not. dicta Intestina, quamvis flatu sint destituta, tamen ita extensa conservantur, ac si flatu essent repleta, id quod nunquam ab aliis vidi præstitum; suntque dicta Intestina ob Arteriarum repletionem intense rubra.

Nº. XXXI. Pueri caput, sine rugis in liquore ita conservatum, ut vitam recuperasse videatur.

Not. Cranii parte superiore ablatâ, Cerebrum exemi, Cerebellum autem inversum denuo indidi, ut Arteriæ vertebrales, & ex iis prodiens Arteria Cervicalis, sese conspiciendas exhiberent.

Nº. XXXII. Phiala sicca, in qua conservatur Vesica humana, tribus Ureteribus instructa, quorum duo, in sinistro latere siti, coeunt, antequam finem fecerunt, & sic singulari foramine Vesicam intrant.

Nº. XXXIII. Phiala Piæ matris portionem continens, cujus Arteriolæ, propter repletionem, rubicundissimæ, & sic eandem tincturam impertiverunt Piæ matris portioni supradictæ.

Nº. XXXIV. Hominis Dura mater, in liquore conservata.

Not. Sinu longitudinali aperto, in conspectum veniunt Corpuscula rotunda, & subrotunda, milii formia, (à Clariss. Viro Pacchiono detecta) hæc magnitudinem aciculæ vulgaris caput haud superant, nisi per microscopium introspiciantur, aut ex duobus corpusculis combinentur.

Nº. XXXV. Hominis Dura mater, in cujus sinu longitudinali aperto, vix ac ne vix quidem ullum ex dictis corpusculis videri potest; verum extra dictum sinum, à Duræ matris facie interiore, dependet portio membranosa, ejusmodi corpusculis scatens: ex iis autem ne minimum quidem vasculum Lymphaticum prodire, conspici potui.

Nº. XXXVI. Puellæ Gigantæ, à me dissectæ, Dura mater, in cujus sinu longitudinali nonnulla ejusmodi corpuscula inveni, verum illa admodum exilia sunt, habita ratione magnitudinis totius corporis, imo capitis aciculæ minoris magnitudinem haud superant.

Nº. XXXVII. Phiala in liquore continens portionem Peritonæi cujusdam mulieris Hydropicæ, tot hydatidibus stipatam, ut peritonæum vix in conspectum veniat. Vid. Tab. II. Fig. III. Thef. VII.

Eodem modo Glandulæ Mesenterii refertæ erant dictis hydatidibus, ita ut, remediis incassum adhibitis, ultimum diem obierit patiens; cum autem illud sæpissime contingat in hydropicis, raro, si unquam, evadunt, Paracentesi in abdomine instituta.

Nº. XXXVIII. Phiala liquore repleta, in qua continetur portio Thoracis pueri transversim secta: cum autem Pulmo, ut & Cor, ceraceâ interiâ sint repleta, egregie videri potest, non solum quomodo Cor & Pulmo in in-& expiratione, totam Thoracis cavitatem oppleant, verum etiam Cordis & Pulmonis planam formam, quam obtinent, in spiratione supra Diaphragma.

Præterea, propter transversam Thoracis sectionem, in conspectum



spec̄tum quoque venit spinalis medullæ substantia, transversim quoque incisa, & sic substantia exterior & medullaris alba, interior vero, & corticalis, rubicunda apparet, propter vasorum, præcipue Arteriolarum, ex quibus substantia corticalis in totum fere constat, repletionem, ceraceâ materiâ rubrâ.

Nº. XXXIX. Phiala in liquore continens ramulum Fruticis Capensis Portulacæ folio Hort. Amst. part I.

Inferior pars dicti ramuli obsita est Pseudo-membranula, ex sanguine, seu cruore meo (post Venæ sectionem) à me confecta, idque sola conquassatione ramuli per sanguinem, donec frigus contraheret sanguis: hoc facto aquæ puræ ramulum indidi, aquâ autem sæpius renovatâ, ramuloque digitis aliquoties compresso, cruor, ramulo cohærens, albedinem induit, repræsentans membranam veram, foliis firmiter cohærentem, & Pseudo-fibris membranosis ita pertexam, ut omnes sint putaturi, veram esse membranam, è corpore desumptam. Notandum vero illud neutiquam successurum, nisi illico, post venæ apertionem, spiritibus nondum dissipatis, hoc fuerit institutum. Vid. Tab. III. Fig. VI. Thef. VII.

In Thesauro I. similis fere habetur præparatio, ex cruore suillo; cum autem præparatio illa digitis sit facta, loco ramuli foliosi, conspiciendam sese exhibet substantia dicta instar polyposæ materiæ, per quam cernuntur dispersi globuli adiposi. Vide ulterius Thef. I. Tab. II.

Nº. XL. Phiala, in qua cernere licet portionem Intestini Ileii humani inversam, eamque in liquore conservavi, ut perspicue & luculenter in conspectum veniret Tunica quinta seu villosa. Quid autem sit Tunica villosa, an detur Tunica villosa, diu multumque inter sese litigarunt Anatomici; quos hic allegare, illorumque opiniones recensere, non solum tædiosum, verum etiam inutile fore existimo: itaque curiosos ad visum provo-co: videant, judicent, & verum à falso discernant. Prolabiorum veram constitutionem Papillo-nervosam descripsi & depingi curavi in Thesauro III.

In hoc Thef. VII. videmus Tunicam Papillo-nervosam Buc-carum, quam cum indagarem, mihi in mentem quoque veniebat, non inutile fore, prius Tunicam villosam Stomachi &

Intestinorum rite perscrutari, & ad incudem revocare, quandoquidem illa sint corpora continua.

Existimavi in hac indagatione necessarium fore, Intestina ut & Stomachum ita præparare, ac si vitam recuperassent, idque solâ Arteriarum repletionem, & Intestinorum macerationem in liquore conveniente; cum hoc ex sententia succederet, reperi luculenter, Tunicam villosam Prolabiorum, Buccarum, Gulæ, Stomachi & Intestinorum ejusmodi fere esse constitutionis, sc. nil nisi corpus compositum ex Papillis nervosis, Vasculis sanguineis, tomenti aut gossypii instar tenuibus, & Epitheliâ, ab illis Papillis productâ.

Not. 1. Papillare hoc corpus in Prolabiis longe esse tenuius, quam quidem in Stomacho & Intestinis.

2. Dictum corpus Papillo-nervosum in omni objecto humano non æque luculenter apparere, eapropter in illa inquisitione Intestina diversorum hominum sunt conspicienda.

3. In Prolabiis Papillæ haud in conspectum veniunt, nisi Epithelia prius sit ablata, in Intestinis vero, instar villorum serici villosi surrectorum visui apparent, sine integumentum aut Epitheliæ ablatione.

4. Considerandum quoque dictas Papillas ipsis ramulis nervosis, è quibus prodeunt, longe esse crassiores; id quod etiam locum habet in extremis Arteriolis viscerum, quæ ipsos ramulos, è quibus producuntur, crassitie longe superant.

5. Quod ad usum, existimo corpus illud Papillo-nervosum, esse sensus instrumentum, & hinc dolores adeo atroces, ubi ab humoribus, medicamentis acrioribus, aut aliis rebus, Epithelia auferitur, & sic Papillæ afficiuntur, doloremque excitant intolerabilem.

Nº. XLI. Phiala in liquore continens hominis utrumque Labium cum Prolabiis, ut & portionem Buccarum.

Not. Quod Labia, ut & Buccæ, constant ex Epiderme, Cute, Pinguedine, substantiâ musculosâ, Glandulosâ, imò Papillo-nervosâ; quibus addi potest corpus reticulare Malpighii, (quamvis propter tenuitatem in homine oculos vix ac ne vix quidem incurrat) hic conspicitur.

In hoc præparato objecto videri possunt, Prolabiorum Epitheliâ

theliâ ablatâ, substantia Papillo-nervea, Glandulæ Labiorum Cutis & Pinguedo, cetera autem hic in conspectum non veniunt.

Nº. XLII. Auricula infantis vitæ speciem præ se ferens.

Nº. XLIII. Intestinula fætus ovini, nitidissime præparata, & in forma sicca conservata.

Nº. XLIV, Fætus humani quatuor circiter mensium sceleton nitidissimum, sinistrâ tenens semen admirandum Palega Pajaneli Horti M. Part. 1. p. 77. dictum, (seu Arboris siliquosæ Malabaricæ cordato folio, fructu maximo, oblongo, plano semine membranaceo D. Syen, in not. ad Hort. mal.) solis figuram imitans.

Nº. XLV. Phiala in liquore conservans manum infantis, quæ continet portionem Piæ matris humanæ, quæ rubicundissima, propter Arteriolarum, ad ultimas extremitates usque, repletionem.

Nº. XLVI. Phiala in liquore continens magnam Arteriæ pulmonalis portionem, ita præparatam, ut extremitates succosæ & molles in conspectum veniant; estque illa præparatio inter ceteras ejus generis eminentior.

Nº. XLVII. Phiala sicca, & in ea duorum murium sceleta, quorum alterum pedem figit super Ovum gallinaceum exiguum, ex Ovo gallinaceo majore, inter forbendum, inventum & desumptum.

Not. Hæc sceleta, sibi invicem insidentia, nullorum admniculorum ope, pedibus ossis insistere, contrarium autem facere solent Anatomici.

Nº. XLVIII. Phiala in liquore conservans fatuæ ovis, (si ita loqui liceat,) Plexum Choroideum, cujus vasa sanguinea in globulos rotundos sunt mutata.

Not. Dicta Ovis, ceu fatua, modò arietabat in parietem, modò cursum ad fossas dirigebat. Cum autem illius Cerebrum à latere ventriculi dextri nonnihil esset corruptum, dictum malum in totum attribui vix potest Plexui Choroideo; memini me tamen hominis, mente capti, cadaver aperuisse, cujus solus Plexus Choroideus male erat constitutus.

Nº. XLIX. Jam jam dictæ ovis Cerebrum, vitali colore præditum.

Nº. L. Phiala in liquore continens Embryonem humanum, femine lactucæ aliquanto majorem.

Not. In Thef. VI. Duo reperiuntur Embryones, ejusdem fere magnitudinis, hic verò tertius comparet. Ut autem citius in conspectum veniret, à latere spinulam affixi. Membranulis autem, Embryonem ambientibus, annectitur hic portio magna sanguinis coagulati, ita ut placentæ rudimentum videri haud possit.

Nº. LI. Pueri sceleton, septem octove menses nati, à cujus dextra dependet Hernia Intestinalis, à me præparata, circa quem affectum, sequentia hic in conspectum veniunt.

A. Portio Peritonæi, Intestina tenuia pueri comprehendens.

B. Portio Peritonæi dilatata, & in scrotum usque prolapsa, propter ejus dilatationem; cutis autem hic est ablata, ita ut dilatatio Peritonæi hic nobis occurrat, ceu scrotum.

C. Tunica Vaginalis aperta, in qua vasa spermatica videri possunt.

Hiscæ ita perspectis, nemo amplius judicaturus est, dicta vasa immediate esse sita in dilatato Peritonæo, sed illa reperiri super superficie ejus exteriori, cui firmiter sunt annexa, & à cujus Peritonæi superficie exteriori videntur mutuari integumentum suum, Vagina dictum, non autem ab interiori superficie Peritonæi, uti perperam ab auctoribus notatum. Cum autem hæc omnia videantur ceu in statu vivo esse constituta, considerandum, illa à me ita esse præparata, ut dictus affectus tanto exactius & perfectius à Medicinæ & Chirurgiæ studiosis conciperetur, nam plurimi perversam habuerunt de hoc affectu ideam.

Notandum quoque, quod maximam Herniæ partem opleverim Gossypio, Intestina verò flatu; quod feci, ut naturalem rotunditatem & formam retinerent. Sinistrâ autem strophium, confectum ex membranula, myriadibus vasculorum sanguineorum superbiente, orbitæ Oculi admovevi videtur dictum sceleton, quasi lacrymans.

Nº. LII. Puellæ sceleton ejusdem fere ætatis, à cujus dextra dependet Thorax osseus pueri quinque circiter mensium, circa quem consideratione dignum esse censeo, sc. i. quod plures Costæ, præsertim lateris dextri, plurimis in locis fuerint

rint ruptæ, & denuo ferruminatæ, unde admodum adhuc contortæ.

Notandum præterea, dictas fracturas haud fuisse perfectas, tunc enim majore callo essent obsessæ, sed propter mollitiem costarum fracturæ fuerunt imperfectæ, an à compressione, vel quod calcatus fuerit infans? quod valde probabile, quia in utroque latere malum hæret.

3. Variæ Costæ, binis in locis, dicto modo fractæ fuerunt.

4. Omnes istæ costæ videntur quoque destitui durâ & nitente superficie, quâ ditatæ sunt, unde justo quoque molliores.

A sinistrâ dependet integrum Intestinum Cœcum cum annexa portione Ilei, è corpore ovino: quanta differentia sit inter hoc Intestinum ovinum & humanum, videri hic potest.

Nº. LIII. Portio cutis capitis humani superior, scutellam repræsentans, per quam tot vasa sanguinea sunt dispersa, ut tota Cutis, à repletione materiæ ceracæ, sit rubicundissima.

### A S S E R T E R T I U S.

\*Nº. LIV. **P**Hiala in liquore conservans infantis Colem cum collis suis, colore vivido.

Nº. LV. Infantis Pes, eodem modo conservatus, & ita præparatus, ut ligamenta, præsertim Teres, in conspectum veniant.

Not. 1. Ligamentum Teres visui sese non offert, nisi Patellâ, à Musculorum tendinibus præcisâ, dependeat. vide Tab. III. Fig. 1. Thef. VII.

2. Variis Musculis separatis, Nervus per Tibiæ partem posteriorem decurrens, & denudatus, hic videri potest

Nº. LVI. Pueri Ren uterque, quorum alter Rene succenturiato instructus, per dorsum in duas partes est divisus, ut nonnulla interiora appareant, sc. Papillæ renales, Ductus urinosi &c.

Nº. LVII. Infantis portio Thoracis, in qua, Musculis ablati, in conspectum veniunt cavitates, corporibus Vertebra-  
brarum

brarum interpositæ, de quibus vide Thesaur. V. Tab. III. Fig. 2.

Præterea hic videri possunt Arteriæ Intercostales externæ, à me detectæ, & delineatæ in Thesaur. I. Tab. III. Fig. 3.

Nº. LVIII. Fætus humani brachium, in cujus manu continetur Fungus, Placentulam uterinam, cum suo integumento crassiore, repræsentans.

Notandum interim, Fungum illum esse repertum super particulam corporis humani, quam in phiala, modico liquore repleta, inveneram, ex qua particula propullulabat dictus Fungus, vid. Tab. II. Fig. 1. Thes. VII.

Nº. LIX. Sceleton fætus humani immaturi, sex circiter mensium, à cujus sinistra dependet portio membranæ Pulmonis rubicundissima, propter vasorum sanguineorum repletionem, estque dictum sceleton albißimi coloris.

\* Nº. LX. Partes generationis Puellæ, in liquore conservatæ; in iis membrana Hymen, Caput Clitoridis, cum ejus Præputio, Nymphæ, Meatus urinarii orificium &c. videri possunt.

Nº. LXI. Gliris sceleton nitidum, quod uno pede, sine fulcro ligneo, ferreo, aut æneo, insistens, mira gesticulatone, quasi saltando, frustum Intestini Jejuni hominis continere videtur, cujus vasis sanguineis repletis, sanguineo colore est præditum.

Nº. LXII. Portio Intestini Jejuni balænæ majoris, in liquore conservata.

Not. 1. Maximam habere analogiam Intestina balænæ cum Intestinis humanis, hic luculenter apparet: Rugæ autem interiores, Juga mihi dicta, haud præcise eundem ordinem servant, sicuti in homine, sed confuse decurrunt, & mentiuntur rugas interiores stomachi humani

Nº. LXIII. Portio Maxillæ superioris ex vervece, in qua videre licet per integumentum, quo obducuntur Ossa spongiosa inferiora Narium, Vasa Arterio-mucosa, densissime conflipata, & recto ductu currentia ad Nasi extremum usque.

Cum viderem peculiarem in illis vasis cursum, & observarem in illis nullas fere ramificationes laterales, & quod plus est, rarò liquore sanguineo imprægnatas esse: quid de

illis

illis effret, dubitare coepi; Itaque Arterias Carotides replevi ceraceâ materiâ rubrâ, quo factô, omnia ad unum usque imprægnabantur. (Vid. Tab. III. Fig. 2. Thef. VII.) id quod mihi indicio erat, dicta vasa continuationes esse Arteriarum: jam porro observo, sc. integumentum comprimendo versus Nasi extremum, ex iis effluere liquorem limpidum Muco-ferosum, præsertim post macerationem in aqua simplici, id quod satis superque indicat, vasa illa esse habenda pro vasis excretoriis.

Præterea hodie mihi videre videor aliquid peculiare circa illa vasa, quæ nondum satis perspecta, in aliud tempus reservare decrevi.

Considerandum ulterius, quod, quamvis illa vasa non tam distincte appareant in corpore humano, quin tamen quoque adsint, vix sit dubitandum.

Nº. LXIV. Sceleton foetus quinque circiter mensium, cujus sinistra tenet portionem Intestini, cujus Arteriæ in totum sunt repletæ.

Nº. LXV. Phiala liquore repleta, in qua continetur portio Asperæ Arteriæ, quam ceraceâ materiâ rubrâ replevi ad ultimas extremitates usque.

Quicumque inter Anatomicos dictam portionem adspexerit, facile judicaturus est, figuras, ab aliis in lucem editas, neutiquam cum hoc ramo, neque cum naturali constitutione, convenire. Vid. Tab. III. Fig. 3. hujus Thefaur. VII.

Nº. LXVI. Portio Intestini recti è puero, in cujus superficie interiore Pori, seu oscula, tam dense sunt stipata, ut cribrum repræsentet. Vid. Tab. III. Fig. IV. hujus Thefaur.

Nº. LXVII. Stomachi portio, per quam Arteriæ numerosissimæ, & repletæ, distributæ sunt; idque è corpore foetus ovini immaturi.

Nº. LXVIII. Embryonis humani Placentula nitidissima, cui cruor condensatus cohæret, qui Placentulæ molem augere quidem videtur, attamen ad Placentulam haud pertinet, sicuti in præcedente Thef. VI. quoque indicavi.

Nº. LXIX. Muris sceleton, uni ex posterioribus pedibus, sine adminiculo, insitens, saltare quasi videtur, continetque dextro & anteriore pede frustum venæ inflatæ, exsiccatae & Thef. VII.

apertæ, ut vera constitutio simplicis Valvulæ, ramis venosis præpositæ, cerni possit

Sinistro & anteriore pede arripere videtur portionem Venæ jugularis humanæ, Valvulis bicompositis instructam.

Nº. LXX. Phiala in liquore conservans Mammam muliebrem, secundum longitudinem sectam, ut facies interior videri possit.

Notandum interim, neque in hac, neque aliis Mammis in statu naturali, ullas reperiri ita decantatas Glandulas, sicuti antea fusius declaravi.

#### A S S E R   Q U A R T U S.

Nº. LXXI. **P**hiala sicca, & in ea portio Intestini jejuni, cujus tunica secunda seu cellulosa egregie videri potest.

Nº. LXXII. Portio Mesenterii, cujus, Arteriis repletis, Glandulæ Mesenterii cernuntur rubicundissimæ, propter Arteriarum repletionem.

Nº. LXXIII. Cutis Elephantis portio.

Nº. LXXIV. Penis virilis, in lamellas dissecti, portio, in qua videri potest, corpus Nerveo-spongiosum minus integrum Meatum urinarium ambire, id quod in omnibus non habere locum, demonstravi in præcedenti.

Notandum interim, omnia corpora Nerveo-spongiosa cereâ materiâ esse repleta.

Nº. LXXV. Fœtus humani sex circiter mensium Hepar, balsamo, lapidis instar, induratum, & à plurimis annis in formâ ficcâ conservatum.

Nº. LXXVI. Testudinis caput osseum, coloris nivei demptâ maxillâ inferiore.

FIGURÆ







Fig. 2.



Fig. 3.




Fig. 4.

390



C. Huiberts.

ad vivum sculp.

# FIGURARUM THESAURI VII.

Explicatio.

## T A B U L A . I.

**FIG. I.** denotat Lienem puellæ Gigantæ.

**A.** Vasorum sanguineorum extremitates in totum explicatæ, tomenti seu gossypii instar tenues; illæ autem ante explicationem Glandularum formâ occurrebant.

**B.** Dictorum extremitates ex parte tantum explicatæ.

**C.** Portio superficiæ Lienis non explicata.

**D.** Arteria splenica.

**E.** Vena splenica.

**F.** Foveæ majores, ab avulsione membranæ, Lienem ambientis, productæ.

**G.** Foveæ minores propter eandem causam productæ.

**FIG. II.** Supra dictæ Gigantæ puellæ Plexum Choroideum exhibet, qui longissimus quidem, ast tenerimus occurrit.

**FIG. III.** Portionem Duræ matris ex homine demonstrat, facie exteriori visam.

**A.** Duræ matris portio.

**B.** Agmen corpusculorum Miliæ formâ, quæ minimæ aciculæ caput haud superant magnitudine.

**C.** Dicta corpuscula solitaria.

**D.** Foveæ, in sinu longitudinali exsculptæ.

**E.** Portio Duræ matris, à latere sinus longitudinalis.

**F.** Sinus longitudinalis apertus, & nonnihil reflexus, ut cavitas, & quicquid in ea continetur, cerni possint.

**FIG. IV.** Indigitat dicta corpuscula è sinu exempta, quorum nonnulla parvis quasi pedibus prædita sunt.

## T A B U L A II.

*Quinque objecta representat, quorum*

I. **I**nfantis Brachium demonstrat, Littera A notatum, in cujus manu continetur Fungus, à me repertus supra particulam carneam corporis humani, secundinam mentiens parvulam.

B. Pelliculæ Analogum, Chorium mentiens.

C. Fungus, Placentulæ similis.

**F I G. II.** Cerebri humani portionem demonstrat, per cujus superficiem, supra Piam matrem, Vesiculæ diseminantur diversæ formæ, Vasa lymphatica præsentantes, suntque nil nisi Tunicæ Arachnoideæ elevationes artificiosæ, à flatu per tubulum adaptæ. Hoc autem Cerebrum in Thesauris servare mihi quidem animus erat, verum enim verò cum impossibile mihi fuerit, flatum in dictis vasis retinere, non conservavi. Vide ulterius hac de re **Programma Anatomicum** Aº. 1706. diebus canicularibus typis mandatum, in quo dixi, me hæcenus nulla offendisse vasa Lymphatica vera in Cerebro humano, neque in ejus membranis, & multum me debiturum illi, qui vel minimum ramusculum veri Lymphæ-ductus, Valvulis conjugatis instructum, mihi demonstraverit.

A. Cerebri portio.

B. Pseudo-vasa Lymphatica.

**F I G. III.** Exhibetur portio Peritonæi cujusdam Hydropicæ, hydatidibus referta.

A. Peritonæi portio.

B. Hydatides.

**F I G. IV.** Explicatio.

A. Grumus sanguinis seu cruoris.

B. Membranæ, Embryonem obducentes.

C. Rudimentum Funiculi umbilicalis, crassitie Embryonem fere superans.

D. Embryonis caput, in quo unius oculi rudimentum videri potest.

E. Dorsum embryonis.


**F I G. V.** Hominis Labium utrumque cum portione Malarum.

A. Cutis cum pinguedine.

B. Epithelia labiorum, ut & Malarum.

C. Papillæ nervosæ, serico villoso similes.




D. Oris apertura.



C. Häberst. ad vivum sculp.







C. A. Hübner's. ad vivum sculp.



T A B U L Æ III.

Explicatio.

**F**IG. I. Exhibetur Epiphysis inferior ossis Femoris, cum annexa Patella & Tereti ligamento.

- A. Epiphysis ossis Femoris inferior.
- B. Arteriolæ per latera Cartilaginis distributæ.
- C. Ligamentum Teres, cujus ope, inter cetera, Patella quoque connectitur inferiori Epiphysi ossis Femoris.
- D. Vasa, & præsertim Arteriolæ, per substantiam cartilagineam Patellæ dispersæ.
- E. Reliquiæ Tendinum Musculorum, Tibiam extendentium; quibus firmiter connascitur Patella.
- F. Patella dependens.

**F**IG. II. Ossa spongiosa Narium ex ove exhibentur.

- A. Portio septi narium, loco suo nonnihil remota, ut ossa spongiosa Narium luculenter in conspectum venirent.
- B. Unum ex ossibus spongiosis superioribus, per cujus involucrium vasa plurima sunt dispersa, reptatu diversa ab illis, quæ sunt distributa per involucrium ossis spongiosi inferioris.
- C. Inferior portio septi Narium.
- D. Os spongiosum inferius, per cujus involucrium plurima Arterio-pituitosa vasa, prorsus alio reptatu currentia, quam quidem arteriæ in superiori osse spongioso.
- E. Inferior pars ossis spongiosi, in qua plurima oscula reperiuntur, per quæ latex serosus, aut si mavis seroso-pituitosus in vivis sponte, & in defunctis per expressionem emanat.

**F**IG. III. Ramum Asperæ Arteriæ denotat, ad extremum usque repletum ceraceâ materiâ rubrâ.

In illo videri potest differentia inter hanc, & alias figuras, ab aliis in lucem editas.

**F**IG. IV. Pueri Intestini Recti portio, facie interiore visa, in qua innumerabiles aperturæ, ceu oscula, visuntur.

**F**IG. V. Plexus Choroïdeus è cerebro ovino in aliud mutatus.

- A. Portio membranositatis nutans.
- B. Portio explicata.
- C. Arteriolæ, maxima parte Plexum Choroïdeum constituentes, & in rotundos globulos mutata.

## FIG. VI.

- A. Ramus Plantæ, quæ dicitur Planta Africana, Portulacæ folio.  
Hort. Amst. part. I.
- B. Flosculi exigui pentapetali, cum stylo florido.
- C. Pseudo-membrana, à me confecta ex sanguine seu cruore meo post venæ-sectionem, idque solâ conquassatione. Vide supra-citatam descriptionem.

## T A B U L A IV.

FIG. I. Portio Intestini Coli, cum annexo Cæco, ut & Processu vermiformi, nec non portione Ilei ex Gigantea puella.

- A. Coli portio.  
B. Ilei portio.  
C. Processus Vermiformis.

FIG. II. Intestini Ilei, ex homine desumpti, portio, cum diverticulo præternaturali.


- A. Diverticulum præternaturale, quadrupedis caput repræsentans.  
B. Ilei portio.

FIG. III. Idem fere demonstrat ex alio homine.

- A. Diverticulum præternaturale.  
B. Ilei portio.

F I N I S.





*C. Hunter sculpsit 1769*

B

C

A

B

B



FREDERICI RUYSCHII,

*Anatomia & Botanices Professoris ; nec non Academiae  
Caesareae Curiosorum Collegae,*

THESAURUS  
ANATOMICUS  
OCTAVUS.

*Cum Figuris aeneis.*



AMSTELODAMI,

---

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.  
· clō. lccc. xxvii.

CELEBERRIMO VIRO  
FREDERICO RUYSCHIO

Quum Thesaurum Anatomicum ederet.

**P**iramidum moles, & Regum funera Memphis  
Iactet in innumeros arte parata dies.  
Tu facis, o RUYSCHI, ne sit minor Amstela  
Nilo,

Aut Ptolemaeeas Belga requirat opes.  
Ars tua laesuro non tantum subtrahit aevo  
Corpora, & hac una se pietate probat;  
Verum aliis artus hominum, venasque latentes  
Indicat, & caecum prima recludit iter.  
Mille modis prodes. Sed inutilis accola Nili  
Servat arenoso corpora furva solo.  
Corpora, quae durum retinent immota rigorem,  
Tu facis in jussos flectere membra modos.  
Pyramides, damnum credam leve, destruat aetas;  
Ingenii maneant dum monumenta tui.

HADRIANUS RELANDUS.

THE-

# THESAURUS ANATOMICUS OCTAVUS,

*In cujus fundo, seu primo Assere sequentia reperiuntur.*

No. I. **C**istula ex ligno Cedrino confecta, in qua continetur  
Skeleton foetus humani, recens sine Cerebro, nati.

Not. 1°. Caput osseum prorsus destituitur cavitate, ita ut  
ne minimam quidem Cerebri portionem in se continuerit.

2°. Non solum omnes Colli Vertebrae, verum etiam aliquot  
ex superioribus Thoracis, posticâ parte bifidæ, nullâque spi-  
nali medullâ præditæ; Inferiores autem Thoracis, ut & Lum-  
borum illæsæ; ita ut in inferioribus Vertebri Thoracis exi-  
guam & sanam portionem spinalis Medullæ tantum invenerim;  
in cavitate Vertebrarum Lumborum, nervi quoque bene con-  
stituti erant.

3°. Cætera ossa à naturali magnitudine & constitutione  
neutiquam recedunt.

4°. Quicumque hujus sceleti figuram videre cupit, inspiciat  
Nobilissimi Kerkringii *Spicilegium Anatom.* in quo reperitur  
iconismus, ad hoc Skeleton delineatus, hoc nomine: *Mon-  
strum cacodæmonis picturæ quam humane similis.*

No. II. Supra dictam cistam reperitur & alia cistula ex ligno  
Cedrino confecta, continens tres partes superiores, seu scutel-  
las Craniorum foetuum humanorum, quas inter una, cujus  
Dura Mater à Cranio non separata, & Arteriolis ceraceâ ma-  
teriâ rubrâ artificiose repletis, prædita.

Notand. Duræ matris sinus longitudinalis, post artificialem  
repletionem Arteriolarum, simul hic quoque repletus observa-  
tur, id quod Willisius, ejusque sequaces existimant immediate

fieri ab Arteriis, sed contrarium patet in hoc objecto, in quo luculenter videri potest, dictam repletionem sinus longitudinalis immediate provenisse ex Venis, non autem ex Arteriis: Arteriis enim repletis, replebantur quoque ilicò variis locis Venulæ propter illarum Anastomoses, & sic tandem deducta est ceracea materia ex Arteriis in Venulas, & ex iis in sinum longitudinalem.

Hæc autem nostra repletio non fit (uti existimant nonnulli) vi quadam, sed leniter, & sic quoque hic cernitur ne vel minima ceraceæ materiæ extravasatio. Præterea hanc meam assertionem confirmabit ceracea hæc materia in sinu longitudinali hujus objecti, quæ inæqualis, & ceu interrupta cernitur, contra in Arteriolis, ubi æqualis existens, Corallium rubrum repræsentat, & hæc inæqualitas, sive interruptio ceraceæ materiæ, provenit solummodò à sanguine in sinum longitudinalem propulso, qui sese non æqualiter permiscuit cum ceracea materia.

In secunda & tertia scutella egregie apparet, quomodo striatim fiat Cranii accretio; id autem non fieri ex membranis Pericranii aut duræ matris, existimo, sed ex substantia limosa inter utramque membranam sita.

Præterea hic cernere licet, quanta sit distantia ossium Bregmatis, ut & ossium Frontis, in jamjam natis, quæ distantia in partu admodum proficua: hanc autem distantiam, quæ in aliis major, in aliis minor existit, in sceletis ab auctoribus non satis bene per Figuras expressam video: propterea quod id fieri curarunt ad sicca sceleta foetuum, in quibus illud post exsiccationem non apparet.

Quomodo etiam sit constituta Fontanella in foetu vivo, hic quoque optime videri potest.

Nº. III. Cistula ex ligno Indico confecta, in cujus reposito-riis conservantur varia intestinula foetuum humanorum, vario modo præparata.

Nº. IV. Supra dictam cistulam reperitur & alia, ex ligno Indico fabricata, in qua cernere licet portionem Thoracis pueri, balsamo induratam.

Not. 10. Parte interiore Membranâ Pleurâ ex parte separatâ,  
in



in conspectum venit membrana Cellulosa, & sub eâ Periostrium Costarum, ita ut tres réperiantur membranæ in interiore Thoracis facie.

2º. In hoc objecto, balsamo indurato, videri quoque possunt vasa intercostalia: repletis enim Arteriis intercostalibus, repletæ quoque sunt, ex eadem repletione, venæ intercostales.

3º. Quomodo sint dispositæ fibræ Musculorum intercostalium interiorum & exteriorum, hic cerni potest, ut & unio vasorum intercostalium cum vasis Mammariis internis.

Nº. V. Sequens Ciborium, ex eodem ligno confectum, continet Renem humanum prodigiosæ magnitudinis & formæ, lagenam repræsentantem, quam formam præternaturalem ut retineret, illum interne replevi Subere.

Nº. VI. Cistula ex ligno cedrino concinnata, in cujus

1º. & inferiore repositoio reperiuntur ossicula Auditus, non solum adultorum, verum etiam jamjam natorum, & quidem maximo numero: hæc autem spinulis *Cerei spinosi Americani spinis longissimis* affixa sunt, & insident pedamentulis exiguis ex ligno Indico confectis.

Not. Nonnulla ita sunt præparata, ut omnia illa, ceu in capite vivo sint combinata, alia autem seorsim spinulis insident, & hæc omnia ita præparata, visui gratiam conciliant.

Inter illa ossicula, quæ numerosa sunt, reperitur quoque spinula, cui affixa sunt dicta ossicula, sed admodum confusa, extraque ordinem sibi invicem adhærentia, & hoc è foetu humano.

Hæc ossiculorum confusio, dubio procul, surditatem in illo latere causasset, si foetus superstes mansisset.

2. Repositorium continet pedamenta exigua, quibus insident ope dictarum spinularum aliorumque adminiculorum Auditus organa, sc. Semicirculares tres canales cum suo Vestibulo, Cochlea, ejusque interstitio osseo. &c.

Præterea hic conspicienda exhibent ossa Temporum diversorum foetuum humanorum, quorum unum adhuc dum ossiculo Orbiculari, nec non duobus ex ossiculis Auditus, sc. Incude & Malleo præditum; Mallei autem manubrium adhuc firmiter connexum Membranæ Tympani, plurimis vasculis sanguineis ditatæ.

## 6 THESAURUS ANATOMICUS VIII.

Not. præterea dictam Membranam Tympani in hujus ossis Orbicularis ambitu nusquam esse læsam, neque interruptam, multo minus, in hoc objecto à natura foramine præditam; & quod nuper Capsam repleverim mercurio vivo, per ductum Eustachianum adactò, nil autem mercurii exitum sibi quæsit, aut viam invenit ad auriculam.

Dari autem in statu naturali aperturam inter dictam membranam & os Orbiculare in homine, nonnulli affirmant, ego autem nunquam reperi.

In eodem repositoryo, ut & sequentibus 3<sup>o</sup>. & 4<sup>o</sup>. varia adhuc reperiuntur auditus organa, quæ omnia hic recensere non consultum videtur, propter copiam & temporis penuriam.

No. VII. Supra dictam cistulam posita est minor, continens Uterum mulieris in quartum circiter mensem gravidæ, in quo utero hucusque reperitur fœtus, simul cum utero balsamo induratus, & ab annis circiter quadraginta & quatuor conservatus, cum tali inscriptione:

### IN EODEM FORMATUS, DENATUS ET SEPULTUS.

Not. 1<sup>o</sup>. Uterum muliebrem globosam rotunditatem acquirere tempore graviditatis, constat: illam autem formam retinisse inter præparationem & balsamationem, arduum ac difficile fuit: quotquot enim ab aliis præparatos vidi, contractos & in aliam formam redactos, offendi.

2<sup>o</sup>. Eo tempore graviditatis Tubæ, seu Oviductus non solum, verum etiam ligamenta Teretia, Longa vulgo dicta, multum recedere ab uteri fundo, hic cernere licet.

3<sup>o</sup>. Quam arctè Uteri Vagina cum Intestino Recto & Vesica fit connexa, nulla fere re intercedente, hic videri potest; unde Vagina in difficili partu inflammata & gangræna infestata, Rectum Intestinum & Collum Vesicæ simul quoque non raro afficiuntur.

4<sup>o</sup>. In hac præparatione Vesica naturalem quoque retinuit rotunditatem sine foveis, quantumvis sit inflata, balsamo indurata, aperta, & per quadraginta & quatuor annos conservata: quàm difficile autem sit, sine foveis illam rotunditatem tamdiu con-

fer-

fervare, norunt illi, qui sese huic operi applicant.

5°. A latere Uteri, dependet à filo sericeo, portio Vesicæ urinariæ alterius subjecti, in qua luculentissime videri potest obliqua infertio Uretherum in Vesicam, Valvulæ vicem præstans.

6°. In quantum elongetur Uteri vagina in gravidis, hic cernere licet, & isthæc elongatio etiam in exploratione, Indice facta, inter graviditatis signa non sine ratione habetur.

Nº. VIII. In fundo hujus Thesauri reperitur quoque Os Tibiæ cujusdam hominis, in observationibus Anatom. Chirurgicis à me Aº. 1691. in lucem editis, descriptum atque depictum: cum autem eo tempore sculptor dictum os non satis accurate expresserit, consultum duxi denuo illud figuris illustrare, præsertim cum res adeo rara sit, ut dubium movere potuerit alicui.

In hoc Osse notatu dignum, quod à longo tempore carie exeso, tandem vi naturæ propullulaverit, ex inveterata istius cariei cavitate, frustum magnum, teres & cavum. Vid. Tab. III. Fig. 2, 3, & 4. hujus Thesauri.

Not. præterea, Cranium humanum duas habere tabulas, & inter illas, locum obtinere Diplöen, vel lippis ac tonforibus notum, aſt verò Os Tibiæ in totum non esse destitutum duabus tabulis, & inter eas exigua portione Diplöes, non omnibus notum; fateor quidem illud in omnibus ossibus Tibiæ non posse demonstrari; attamen in aliquibus locum habere, & à me demonstrari posse, nemini admirationi sit; si quis enim hocce cernere vult, me accedat.

Utramque tabulam Cranii humani in homine adulto non raro quoque confusam & unitam invenimus, nulla relicta Diplöe.

Illud subjectum, sc. Os Tibiæ, de quo jam sermo fit, procul dubio duplicem habuit tabulam, & inter illas, Diplöen, inter quas tabulas pus tandem penetravit, Diplöen consumpsit, & sic interior tabula, in formâ fistulari, à natura extrorsum fuit propulsa.

Clarissimus D. du Verne, Expertissimus Anatomie Professor, idem observavit, uti mihi relatum, ita ut non rarò nobis obveniant talia, quibus, nisi vidissemus, calculum non apponeremus.

Quo-

Quotidie fere me conveniunt, qui postquam perlustrarunt meas præparationes, fatentur, se nunquam illa fuisse credituros, nisi tam luculenter vidissent. Vide ut dixi Tab. III. Fig. 2, 3, & 4. Thesaur. VIII.

ASSER SECUNDUS.

Nº. IX. **P**Hiala sicca, & in ea Intestinula tenuia pueri, quibus Mesenterium, vasis sanguineis repletis ditatum, cohæret.

Nº. X. Hominis portio Hepatis, Hydrope defuncti.

Not. Hepar totum quantum ex hydatidibus, aqueo-limosam materiam in se continentibus, constabat: Omnia enim vasa & majora & minora, Hepar constituentia, in hydatides erant mutata. Vid. Thesaur præced. VII. ubi fusius de hac re differuimus.

Nº. XI. Phiala sicca, in qua videre licet portionem Thoracis infantis, balsamo induratam.

Not. 1º. Portio cutis, ab illo subjecto dependens, scatet Arteriolis, tomenti aut gossypii instar tenuibus.

2º. Membrana Pleura, ex parte separata à sequentibus membranis, sc. Cellulosa & Periostio dependens, hic cernere licet.

Nº. XII. Phiala sicca & in ea duo Ureteres humani, quorum unus naturalem demonstrat capacitatem; quæ stramen crassum haud superat, alter verò, propter calculorum transitum in tantam excrevit capacitatem, ut digitum annularem variis in locis recipere possit, & hoc habendum tanquam beneficium naturæ: Calculi enim transeuntes Ureteres (id quod non fit sine magno dolore) illos dilatant & expandunt, & post expansionem, eadem relinquitur capacitas: contrarium observamus in Vesica & Utero, post urinæ aut foetus exclusionem, illa enim, sarcinâ depositâ aut expulsâ, in pristinum statum reducuntur.

Nº. XIII. Cubitus & Manus infantis in liquore conservata, vitæque speciem referentia.

Not. 1º. Manus portionem Piæ matris alterius infantis continet, & à digitis, naturaliter recurvatis, dependet ejusdem portio, in qua cernere licet tenuitatem Arteriolearum, quæ tomenti

menti aut gossypii instar nobis obveniunt, suntque illæ extremitates nil nisi portiones corticis Cerebri substantiæ; illud autem non tam exactè in conspectum veniret, nisi ceraceâ materiâ rubrâ essent repletæ dictæ extremitates.

2º. A latere indidi ramulum Rutæ, ut objectum melius in conspectum veniret, & locum fixum contineret in uno latere phialæ.

Nº XIV. Phiala in liquore continens foetus balænæ Lactes, quæ mirum in modum sunt constitutæ.

Nº XV. Mulieris, in septimum mensem (ni fallor) gravidæ, Placenta, balsamo indurata, supra pedamentum posita: In qua observ. Funiculum umbilicalem à latere & in confinio sese visui exponere, sc. pollicem latum à circumferentia, id quod admodum proficuum in Placentæ relaxatione: in hoc enim casu facillime sese ab Utero separat, foetu in lucem edito, secus vero, si magis à circumferentia recedat, & versus centrum visui sese offerat: quo in casu obstetrices sæpissime manum in Uteri cavitatem immittere coguntur, digitoque Indice Placentam perforare & ab Utero separare. Vide ulterius hac de re observ. Anatom. Chirurg.

Not. 1º. Hanc Placentam balsamo induratam, naturalem rotunditatem conservasse, & hoc difficile admodum esse nemo negabit.

2º. Omnia vasa Placentam constituentia ceraceâ materiâ sunt infarcta & repleta, unde reptatus majorum vasorum jucundo spectaculo videri potest.

Nº XVI. Phiala sicca, in qua conservatur Cutis humanæ portio, per quam tot repunt vascula sanguinea ceraceâ materiâ rubr. repleta, ut summa rubedine sit perfusa; imo microscopii ope visa, tomenti aut gossypii instar sunt tenuia.

Nº XVII. Phiala in liquore conservans Testiculi ovini portionem magnam resolutam.

Not. Hominis Testiculos ex meris vasculis constare nobis primò manifestavit Regnerus de Graaf, de re Anatomica optime meritis, & mecum intima amicitia, dum viveret, conjunctus.

Illæ vascula in hominum Testiculis dissolutis luculenter in conspectum venire omnibus quidem notum, sed hanc Testiculi

portionem nemo sine admiratione Divinæ Potentiæ adspiciet, ob vasculorum copiam eorumque dissolutionem.

No. XVIII. Non minori admiratione adspici potest hoc subjectum, in liquore conservatum, sc. hominis Pia mater, per quam myriades vasorum sanguineorum repletorum sunt disseminatæ.

Quicumque viderit hoc subjectum, facile illi erit dijudicare millesimam partem arteriolarum sufficere nutritioni & calefactioni hujus Membranulæ, Telæ Araneæ ferè instar tenuis; itaque alium in usum sunt destinatæ illarum extremitates ultimæ, sc. ut Corticalem Cerebri substantiam constituent: Hinc difficilis separatio Piæ matris à corticali substantia in statu sano; de hisce plura in præcedentibus Thesaur. & Epistolis nostris.

No. XIX. Omentum humanum integrum in liquore nitidissime conservatum, in quo ne minimum quidem foraminulum videri potest.

No. XX. Portio Maxillæ superioris foetus vaccini, in qua videre licet per integumentum, quo obducuntur ossa spongiosa inferiora narium, Vasa Arterio-mucosa, densissime constipata, & recto ductu decurrentia ad Nasi extremum usque; vide descriptionem ulteriorem in Thes. VII. ubi pag. 42. videri potest delineatio hujus rei in vervece, in totum conveniens cum hoc subjecto.

Not. 1<sup>o</sup>. In hoc subjecto Antrum, ab Highmoro Anatomico accuratissimo depictum, à me esse apertum, ut tenuissima membranula Antrum succingens, in conspectum veniret, & mirum visu, quanto numero sint dispersæ Arteriolæ per dictam membranulam.

2<sup>o</sup>. In ductu Lachrymali stylus est immissus, ut ejus cursus & finis conspicerentur.

No. XXI. Moles carnea ex utero vetulæ expulsa, quæ minus caute ab aliis pro Mola fuit habita.

Quid autem sit de ita dicta Mola, fusius olim descripsi, & depingi curavi in observat. Anatom. Chirurg. meis, ut & præcedentibus Thesauris.

No. XXII. Phiala in liquore continens Brachium infantis, vitæ

vitæ speciem præ se ferens, cujus manus naturali gestificatione & digitis complexis Lacertam Zurinamensem, ab Incolis *Sauvegarde* dictam, arripit.

No. XXIII. Phiala ficca, & in ea portio Intestini Ilei & Coli cum annexo Cæco è cane.

Not. consideratione dignum esse, quanta sit differentia inter Intestinum Cæcum canis & hominis, ut & inter Coli valvulas: sc. in illo Cæcum admodum longum & capax, in hoc valde breve & capax, in Colo canis valvula nulla proprie dicta, sed ejus loco Circulus, quemadmodum in homine ante repletionem fæcum aut flatuum.

No. XXIV. Phiala in liquore continens hominis Maxillam inferiorem, cui adhuc Lingua, naturali colore perfusa, annexa est.

Not. Ex superficie Linguae omnes Papillæ nervosæ egregiè propullulant, & à latere Frenuli oscula Ductuum salivalium in conspectum veniunt, in uno latere indidi spinulam Cerei spinosi Americani.

No. XXV. Pueri Cor, balsamo induratum lapidis instar, cum trunco Arteriæ magnæ; è quo exeunt parte superiore tres rami fursum spectantes, quorum medius Carotis sinistra, dextram autem Carotidem videmus oriri ex subclavia dextra, quæ Carotidem quoque promit; ex latere sinistro Arteria Subclavia oritur, & ex illa Arteria Vertebralis sinistra, Axillaris, Muscula, nec non Mammaria sinistra, & quod notandum, hæc omnia situm & cursum naturalem obtinent.

Præterea Valvulæ Semi-lunares, aliis minus rectè Sigmoides dictæ, oppido quam bene hic conspiciuntur; dixi minus rectè, cum in totum cum semilunaribus Valvulis conveniant, & entia non sunt multiplicanda sine necessitate; itaque Valvulæ venis præpositæ in Corde dicendæ sunt Tricuspides, quæ autem Arteriis præponuntur Semi-lunares.

In eodem subjecto non solum quoque Valvulæ Semi-lunares, Arteriæ magnæ præpositæ, verum etiam utraque Auricula in conspectum veniunt.

No. XXVI. Phiala in liquore continens Piam matrem, cujus

jus Arteriis eleganter repletis, luculenter variis locis annexa vasculosa Corticalis Cerebri substantia videri potest.

Nº. XXVII. Phiala liquore repleta, in qua videri potest portio Thoracis foetus humani, in qua visibiles sunt variæ Arteriolæ Intercoſtales externæ, & à me antehac detectæ, nec non delineatæ in Theſauro 1º.

Not. Arteriolæ per Coſtarum Perioſtium difſeminatæ, recto fere tramite furſum deorſumque reptant; ramuli autem ex iis oriundi, & per fibras Muſculorum Intercoſtalium decurrentes, obliquum curſum obſervant, & ſic tractum fibrarum Muſculorum dictorum obſervant, & hoc accuratius videri potest in objecto in Theſaur. 1º. poſito.

Nº. XXVIII. Muris ſceleton nitidiſſime præparatum & conſervatum, capiti oſſeo cornicis inſidens: Illud autem caput oſſeum tam ſubtiliter eſt præparatum, ut ne minimum quidem oſſiculum, neque foraminulum viſum effugiat.

Nº. XXIX. Phiala in liquore continens portionem Intesti ni jejuni hominis, qua inverſa in conſpectum veniunt ita dictæ Glandulæ, extra ſuperficiem internam prominentes.

Nº. XXX. Phiala ſicca, & in ea Veſica ovina cum Pene, in quo meatus urinarius in totum deſicit, circa Collum Veſicæ autem foramen, per quod urinam excrevit, in conſpectum venit.

In homine ſæpius obſervavi, Glandis partem extimam fuiſſe meatu urinario deſtitutam, foramine exiſtente inter Præputii & Glandis partem inferiorem.

Homines hoc affectu laborantes raro imprægnant uxores, utpote femine non recto tramite in os Uteri profiliente, de hac fuſius egi in Theſaur. vi.

Nº. XXXI. Portio Jejuni intesti ni humani, in qua circulares protuberantiæ, Valvulæ conniventes Nobiliſſimo Kerckringio dictæ, conſpiciuntur.

In hunc autem finem non conſervavi hoc ſubjectum, verum ut demonſtrarem quid ſit de ceracæ materiæ extravafatione globulorum inſtar; ſc. quando répletiones imperfectè peraguntur, & hoc in præparationibus meis alias nunquam ſeſe viſui offert.

Nº. XXXII.



No. XXXII. Phiala continens duos Lienes ovinos ex uno corpore, quibus, ut à se invicem separarem, & accuratius videri possent, ramum Cichorei spinosi interposui.

Multoties nobis occurrunt Lienes, in duas partes divisi, quos nonnulli pro duobus Lienibus habent; at vero pro uno Liene sunt habendi, quoniam unico tantum ramo splenico Arterioso & Venoso gaudent.

In his autem contra, quisque enim gaudet propriis suis ramis; præterea longe quoque à se invicem in corpore erant positi.

No. XXXIII. Phiala in liquore conservans Lienem foetus humani, cum annexo Stomacho & duodeno.

Not. 1<sup>o</sup>. In Stomacho videri potest quomodo vasa fanguinea Coronaria, quamprimum appropinquaverunt Stomachi fundum, ilico sese abscondunt, penitiores & interiores tunicas, præsertim nervosam, adeuntes.

2<sup>o</sup>. Non minus in conspectum venit in hoc subjecto Lienis & Stomachi connexio, ope membranæ, vasis fanguineis ditatæ, quæ Vasa brevia dicuntur.

3<sup>o</sup>. In duodeno, à me aperto, luculenter videndam sese exhibet apertura, Ostium dicta, per quam Bilis, ut & succus Pancreaticus in Intestini dicti cavum sese exonerant: hanc aperturam sitam esse in medio monticuli, instar Umbilici hic quoque apparet.

No. XXXIV. Phiala continens in liquore portionem Placentæ Uterinæ, ceraceâ materiâ ad extremum usque repletam; in illa non minus ac in præcedentibus lustrari potest, nil Glandulosi in Placentis reperiri, & cum in tam notabili viscere nullæ reperiantur Glandulæ, neque in Testiculis, facile calculum apposuisse assertioni meæ spectatores curiosi, quibus cætera viscera à me præparata oculis corporeis, non autem mentis videre placuerit, & cæcutire noluerint; nihil interim obstat, quod nonnulli dixerunt, quæstionem tantum esse de nomine, illis autem reponendum, si alicui placeat Venam denominare Arteriam, & vice versa, per me licebit: præstat verò Glandularum definitionem retinere, quæ nobis ab antistitibus tradita est, sc. quod sunt corpora per se subsistentia, quæ invol-

vuntur peculiari membrana, ad quam alluunt vasa sanguinea.

Non minus recedit à vero, ut voluere alii, sc. Glandulas esse circumvolutiones vasorum sanguineorum, illud quidem verum est in Renibus, & forsan quoque in Glandulis Mesenterii sc. vasa sanguinea talem obtinere reptatum, sed hoc neutiquam verum esse in cæteris visceribus, videri potest in omnibus meis Thesauris; nec obstat quod alii in medium proferant, sc. in præparatione & ita dicta excarnatione in nihilum à me redigi Glandulas: plurima ostendam viscera, quorum vasorum extrema leniter repleta, sine ita dicta excarnatione, à me conservantur, imo mirari satis nequeo eos, qui hoc ævo adhuc loquuntur de excarnatione; olim quidem in usu fuit apud Anatomicos, enimvero viscera hoc tempore à me præparantur sine tali excarnatione, quia plane inepta est investigationi, jam relinquo omnia sicut a Summo Opifice facta sunt, membranam ambientem solummodo auferendo. Itaque si quis ulterius cæcutire velit, per me sinatur judiciosus.

No. XXXV. Portio Cerebri in liquore conservata, postquam methodo Vieusseniana per quinque horas in oleo fuit decocta, in qua luculentissimè patet, Corticis Cerebri substantiam decoctione in oleo, talem in statum esse redactam ac mutatam, ut neutiquam apta sit demonstrando, nempe Corticem esse constitutum ex vasculis sanguineis, (qua de re prolixius egi in Prodomo Thesaur. vi.) neque Clariss. Dom. Vieussenium esse habendum auctorem hujus inventionis, sc. quod Cortex Cerebri sit vasculosus, sed me, uti omnes hujus ævi Anatomix amatores autumant.

No. XXXVI. Æthiopiæ foetus humanus abortivus quatuor, & quod excurrit, mensium, cujus caput tegitur membrana Amnios.

No. XXXVII. Hepar pueri integrum, balsamo induratum, & à plurimis annis conservatum, pedamento innitens, in quo Arteria Hepatica solummodo est repleta, ut videri posset, quomodo producat Arteriam Cysticam, præterea quicquid in Hepatis facie exteriori demonstrari potest, hic etiam cernere licet.

No. XXXVIII. Phiala in liquore continens Arteriam Splenicam vitulinam, egregiè præparatam.      No.

No. XXXIX. Pueri Stomachus inflatus, exsiccat, balsamoque conditus, & à plurimis annis conservatus, hic situ naturali supra pedamentum positus est, ut verus Stomachi situs possit videri, & hoc omnes auctores in suis delineationibus non observarunt.

No. XL. Portio Maxillæ inferioris Infantis in liquore conservata; in qua cernere licet, in junctura articulationis cum Maxilla superiore reperiri Cartilagine[m] mobile[m] & rotundam, articulationi interpositam, & valde motui necessariam.

No. XLI. Placenta humana integra in liquore conservata cum suo Funiculo umbilicali. Considerandum interim hanc ita esse reservatam, ac si jamjam corpore esset expulsa, sc. cum suo involucro, Uterum spectante. De quo supra egi in Thesaur. v. vasis sanguineis solummodo leniter repletis.

A S S E R I V.

No. XLII. **I**nfantis Caput in liquore conservatum, vitæ speciem referens.

Not. 10. Prolabia esse nerveo-papillosa, hic denuo constat, integumento, Epithelia dicto, ablato.

20. Auriculæ præ cæteris vivum habent colorem & constitutionem.

30. Nervi ex cerebro oriundi, quotquot sunt, hic sese videndos exhibent, ne Patheticis quidem exceptis.

40. Dura mater, per Capitis fundum dispersum, sericum album propter nitorem repræsentat.

No. XLIII. Pone hoc Caput reperitur sceleton Aviculæ nitidissimum, in quo ne minimum quidem Osliculum deficit, foraminibus naturalibus ubique apertis; & hoc nusquam in aliorum Thesauris inveni.

No. XLIV. Phiala sicca, & in ea dimidia pars Renis pueri, colore rubicundo prædita propter vasorum repletionem.

Not. Arteriæ non solum, verum etiam hic apparent illarum continuitates, sc. in ductus urinosos, qui ductus urinosi simul quoque sunt repleti.

No. XLV. Phiala sicca, in qua conservatur portio magna  
In-

Intestinorum tenuium foetus immaturi, hanc replevi ceraceâ materiâ albissimâ, & hæc visum allicit propter nitorem.

Nº. XLVI. Pone hoc subjectum absconditur, ne oculos omnium spectatorum incurrat, foetus monstrosus novem circiter mensium, vitæ speciem referens, hujus dextra curva, tribus tantum digitis prædita; pes ejusdem lateris extremus haud pluribus gaudet digitis. Pollice longè à cæteris duobus diffinito: Crus sinistri lateris plane deficit, relicto tantummodo monticulo, qui ex sinistro inguine emergere videtur. E latere sinistro Abdominis propullulat carnea quædam moles, cætera naturaliter sunt constituta.

Nº. XLVII. Phiala liquore repleta, continens portionem inversam Gulæ testudinis, millenis Papillis nervosis, admodum longis, Papillis nervosis Buccarum vaccæ æmulantibus, præditam.

Not. Cum reperiantur Anatomici, qui negant dari Papillas nervosas in interiore Tunica Gulæ humanæ, propter illarum exiguitatem, quæ, uti fateor, in conspectum non facile veniunt, sine prægressa præparatione, tamen illas dari, & à me sæpius fuisse demonstratas, nemo posthac amplius ambiget, qui ultimos Thesauros legerit, & hoc subjectum Testudinis viderit. vide Thesaur. VIII. fig. IV.

Nº. XLVIII. Supra foetum monstrosus reperitur phiala cum sceletò foetus humani immaturi sex circiter mensium, à cujus manu ossea dependent Laryngis interiora, ruberrimo colore prædita, propter Arteriolarum repletionem.

Nº. XLIX. Phiala sicca, in qua visui sese offerunt duo objecta ex gallina desumpta: quorum unum ossa sunt Alæ, quæ per Ancylosin contra naturæ leges sunt conjuncta; alterum verò duo sunt ossa, quorum alterum fracturam passum, à natura ferruminatum, & hoc solummodo ossea spongiosa substantia, Diploes instar, deficiente crusta aut lamina exteriori & duriore, idque propter defectum materiæ, quæ in statu sano, illud producere solet.

Hinc fit, quod ossa eo modo imperfectè sanata, minimam ob causam denuo franguntur; & hoc in homine quoque locum habere nullus dubito, cum reperiantur homines, qui post ossium fractorum ferruminationem, facillimo negotio, imo incedendo,

dendo, in recidivam incidunt, & sic Chirurghi, etsi infantes, qui præferre curationi, male audiunt.

Nº. L. Pedamentum, cui innituntur duo objecta, sc. portiones Intestini Ilei, Coli, cum annexo Cæco, suntque desumpta ex foetu recens nato.

In illis objicitur oculis differentia, quæ existit inter Cæcum hominis adulti, & jam jam nati; sc. in foetu Colon circa ejus principium diameter magis magisque diminuitur, & ita in Processum vermiformem degenerat, ut dici nequeat: hic aut illic est Intestinum Cæcum; in adulto vero Cæcum nil nisi protuberantia Coli, è cujus latere emergit Processus vermiformis.

Nº. LI. Phiala sicca, in qua continetur Hydatis ingens, quæ fuit reperta, à plurimis annis, dependere ab Hepate.

Nº. LII. Pedamentum exiguum, cui insidet Cordis auricula dextra bovis, abhinc circiter triginta annis à me ballamo indurata; &, quod notandum, naturalem magnitudinem & formam retinuit, id quod difficillimum factu.

\* Nº. LIII. Phiala in liquore conservans Pudenda Pseudo-hermaphroditi ovini, dico Pseudo-hermaphroditi, quandoquidem mihi veros hermaphroditos nunquam videre contigit, neque existimo unquam tales ab aliis visos fuisse, propterea quod illud longissime recederet ab instituto naturæ, & plurimos, ita dictos, hermaphroditos, mihi quidem demonstrarunt homines, quos pro hermaphroditis habebant; re autem penitus peripsecta, rep. ri utrumque membrum nunquam ita fuisse perfectum, ut simul alias imprægnare, & ab aliis imprægnari potuerint; & quod magis est, membrum illud quod pro Pene habuerunt, nil erat aliud, quam Clytoridis corpus contra naturæ leges incrassatum & longius extra Vulvam dependens, quemadmodum hic in ovis pudendo cernere licet.

Memini quoque me visitasse hominem, viginti quatuor circiter annorum, qui prima fronte visus, videbatur virilis sexus, cum tamen post accuratiorem inspectionem, sequioris esset.

Membrum, quod dicebatur virile, satis longum, propendebat quidem, sed vero meatus Urinarius deficiebat; quum vultum formotarum muliercularum adspiciebat, dicebat quidem hocce membrum sese erigere, contra, si in sexus virilis oculos

incideret, an hoc verum fuerit, nec ne, ambigo, saltem non vidi.

Duo quoque Tubercula, ceu Testes, reperiuntur in utroque inguine, an veri Testes, hæreo, nam cum mihi hoc subiectum ovinum traderetur pro hermaphrodito, dicebat mihi lanionis famulus, hic tibi offero hermaphroditum ovinum Testiculis præditum, verum cum ita dictos Testiculos examinarem, nil erant, quam tumores adiposi Testiculos mentientes; itaque dico nunquam me verum offendisse hermaphroditum, quamvis plures, ita dictos, mihi videre licuerit.

In hoc subiecto ovino Vulva & meatus urinarius sunt aperta, non autem ita dicta Glans penis, quæ revera Clytoridis Glans est, ea propter quoque imperforata, illa autem pars, quæ dicitur Penis muliebris, vel corpus Clytoridis, ut & Præputium Clytoridis satis quoque erant grandia, quemadmodum Fig. V. Thefaur. VIII. indigitat.

No. LIV. Phiala sicca & in ea Linguae Corpus Reticulare Malpighii, nitidissime præparatum & cribri instar perforatum.

No. LV. Phiala sicca continens Membranæ portionem, cujus Arteriolæ tam artificiose sunt repletæ ceraceâ materiâ rubrâ, ut nil curiosius unquam viderim; ultimæ enim extremitates sunt adeo tenues, ut nil tenuius excogitari possit, attamen repletæ.

No. LVI. Phiala sicca, in qua reservatur fundus Velicæ urinariæ foetus vaccini, recens nati, cum Uracho suo.

Not. In foetu humano quidem ad digiti transversî longitudinem, non autem ulterius apertus est, in vitulis verò cavitas (sicuti hic apparet) procerior quidem, an autem in totum tali modo sit apertus Urachus, ut urinam admittat in ita dictam Alantoidem, ulterius inquirendum: saltem hoc verissimum est, in homine tale quid non reperiri.

No. LVII. Pone dictas phialas reperitur sepulchrum artificiose confectum ex ossibus albissimis maxima ex parte foetuum humanorum, saxulis, membranis, vasis sanguineis, instar mæandri, repletis.

Not. 1<sup>o</sup>. Sepulchrum continet Cadaver foetus humani sex fere mensium, ab annis viginti circiter, balsamo in Muniam conversum & lapidis instar induratum; hujus caput Corona, ex floribus & fructibus naturalibus confecta, ornatur, sc. ex

*Mil-*

*Millefolio Africano fl. luteo, Stachade citrina Hispanica, Conyza Africana graveolente fl. luteo, Mesembrianthemo Afric. Breynii, Limonio eleganti. Rauwolf. Tanaceto Afric. fl. decuplo minoribus. Prof. & Collegæ Commelini Centinodia fl. muscosis. &c.*

2<sup>o</sup>. Funiculus umbilicalis quidem abscissus, duæ tamen Arteriæ, unaque vena umbilicalis ceu inflatæ luculenter apparent.

3<sup>o</sup>. Sinistra continet fasciculum florum naturalium, qui flores colorem naturalem quoque retinuerunt, inter illos reperiuntur flores *Leonuri Cap. bonæ spei*, *Breynii*, *Variæ Gnaphaly* species: dictus fasciculus, naribus appositus, quasi odorem attrahere vellet.

4<sup>o</sup>. Forum, aut operculum ejus, quod notandum, conflatum est.

1<sup>o</sup>. Ex superiore parte Cranii humani foetus, cujus Dura mater, ut & Falx, Cranio naturaliter connata & relicta, scattet Arteriolis repletis ceraceâ materiâ rubrâ, & hoc visum allicit.

2<sup>o</sup>. Ex lapillis marmoreis & officulis infantum, nec non membranis vasis sanguineis repletis.

3<sup>o</sup>. Inter hæc officula nonnulla adhuc sunt composita, inter quæ ossea manus, cujus digiti continent ramum Arteriosum crassum ceu scipionem, vel ramum arboris, foliis privatum: omnia ossa Vertebrarum Colli sibi invicem adhuc connexa &c.

Pone hoc monumentum posita sunt duo sceleta foetuum abortivorum gemellorum septem circiter mensium, dictum cadaver ceu deslencia & exululantia, hunc in finem genibus advolutis strophiola ex membranulis, vasis sanguineis repletis, superbientia, orbitis oculorum apposita sunt.

Cum Reverend. Vir Dr. Herm. Schyn hocce sepulchrum ita ornatum videret, donavit illud eleganti epitaphio.

N<sup>o</sup>. LVIII. Pedamentum, cui innititur portio Venæ Portæ variis locis in substantiam osseam redacta.

N<sup>o</sup>. LIX. Phiala in liquore continens portionem Cerebelli humani, cujus substantia corticalis in myriades particulas est subdivisa, Vid. hujus Figur. in Epist. Anatom. problem. XII.

N<sup>o</sup>. LX. Phiala liquore repleta, & in ea portio Intestini Ilei infantis, cujus Tunica carnea avulsa, in conspectum veniunt ejusdem Tunicæ Fibræ carnosæ circulares. C 2 Præ-

Præterea cernere licet, quam pauca sint Arteriolaë per dictam Tunicam distributæ, & contra, quam copiosis Arteriolis gaudeat sequens Tunica, sc. Nervosa.

Cum autem hæc portio Intestini in sui extremo ligata sit, prominet extra ligaturam portio, cujus Tunica Villota, (mihi Papillosa) conspicitur rubicundissima, præ copia vasculorum Arteriosorum nostra methodo repletorum, & ita dictas Glandulas Intestinorum constituentium.

Nº. LXI. Phiala in qua continetur venenatissimum animal, Incolis Ind. orient. Gecko dictum, quod in ore suo detinet & quasi devorare vellet, foetum humanum trimestrem.

Nº. LXII. Foetus humanus quinque circiter mensium, sexus masculini, cujus caput ex parte Tunica Amnios, ceu casside aut pileo naturali, est coöpertum, propter defectum liquoris, cui innatat foetus, in Utero materno hærens, & hoc minus cautè vulgò dicitur, *het kind is met een helm gebooren*. Hocce subjectum in liquore conservatur.

Nº. LXIII. Phiala sicca & in illa portio Intestini leporis, cujus Tunica Trochlearis oppido bene hic cerni potest.

Nº. LXIV. Duæ extremæ portiones Balenæ Penis, in liquore conservatæ, quarum una à capillo dependens, visui exhibet corporis nerveo-spongiosi majoris fibras, quæ arctius sibi invicem appositæ sunt, quam in corpore nerveo-spongioso minore, & hoc contrarium in homine.

Inferior & secunda portio in phialæ fundo, extremitas seu mucro Penis est, absque ulla glande.

Nº. LXV. Portio Ovarii testudinis, à qua dependent plurima Ova.

Nº. LXVI. Foetus humani Facies, quæ ita à me relicta, sicuti mihi tradita est sc. sine reductione in statum faciei viventis; hæc autem insidet portioni Placentæ Uterinæ, nitidissime præparatæ: omnia enim vasa ad extremum usque sunt repleta.

Nº. LXVII. Phiala maxima sicca, in qua continetur Cor humanum magnum, cujus vasa sanguinea, ad unum usque repleta, unde colore rubicundissimo perfusum.

Quomodo autem Arteria magna è Corde exeat, & quot  
rami



rami ex illa emergant, & sursum ascendant, hic luculentissime videri potest.

Præterea omnes trunci Vasorum Cordis, sc. Venæ Cavæ ascendentis & descendentis, Venæ & Arteriæ Pulmonalis, Vasa Coronaria nec non Auriculæ hic in conspectum veniunt.

Cum autem in Cordis extremo, seu cono, ut plurimum multum pingue tinis reperiatur, unde Conus æqualis apparet; in hoc Corde pinguedine à me ablata, cuspis seu conus Cordis in duas partes apparet divisus.

Hic mihi in mentem venit historia cujusdam hominis, qui cultro nuper fuit interemptus ab homine maligno, cujus vulnus extremum circa Papillam sinistram inflictum, longitudinem unius uncia non excedebat, Cor autem à Cono ad basin fere usque in duas partes erat divisum, id quod nunquam me vidisse fateor, quantumvis violenta morte extinctorum visitationi quadraginta & quod excedit annis præfuerim: post punctiorem (dubio procul) Cor in retractione cultri quoque intercidit.

Nº. LXVIII. Supra dictam phialam est reposita phiala sicca, continens substantiam osseam, porosam productam in ossibus Tarsi, quæ mutata sunt post spinam ventosam & cariem in substantiam osseam confusam, coalitam & nil minus quam ossa Tarsi repræsentans.

A S S E R V.

Nº. LXIX. **P**hiala in liquore continens portionem Piæ Matris, cui portio Corticalis Cerebri adhæret, quam ex meris Arteriolis constare, hic apparet.

Nº. LXX. Phiala in liquore continens magnam Stomachi muliebris portionem, in cujus tunica Villosa, vel potius Papillosa, variis locis ulceribus affecta, Arsenicum album hæret, quod cum vitæ tæderet, sumpterat.

Hic patet illorum error, qui in tali casu solummodo sanguinem coagulari autumant; aliquoties enim ejusmodi exempla vidi, nunquam vero reperi sanguinem esse coagulatum, sed stomachum esse exulceratum; si autem brevius, post assumptionem Arsenici è medio tolluntur, antequam Arsenicum vires

perfectè exferuerit, variis locis puncta sanguinea, per stomachum dispersa, inveni.

Nº. LXXI. Phiala liquore repleta, in qua continetur ramus Arteriæ Pulmonalis, ceraceâ materiâ rubrâ artificiosissime repletus, & mirum vitu, quot sint ramusculi ad ultimum usque repleti, & quam male depinxerint nonnulli Auctores Arteriam Pulmonalem: impossibile quoque foret illud tam perfectè, sine tali repletionem, peragere: quicumque hoc subjectum viderit attento animo, Opificis miranda opera in stuporem illum adducent.

Hujus objecti parti inferiori quoque adhæret portiuncula Asperæ Arteriæ, cujus extremitates non minus numerosæ, nec tenues, tamen repletæ, visui occurrunt.

Nº. LXXII. Phiala in liquore continens maximam Piæ Matris portionem, ex homine desumptam: hujus Arteriæ in totum artificiose sunt repletæ materiâ ceraceâ rubrâ, unde dicta membrana summam induit rubedinem: harum Arteriarum extremitates ultimæ tomenti aut gossypii in modum sunt tenuissimæ.

Nº. LXXIII. Ren Infantis in duas partes divisus, cujus vasa sanguinea sunt repleta: cum autem secundum longitudinem per dorsum dissectus sit, Papillæ renales variis locis non solum in conspectum veniunt, verum etiam illarum Oscula, per quæ urina in Tubulos Pulvis stillat.

Nº. LXXIV. Infantis brachium, in quo vasa sanguinea denudata in conspectum veniunt; in ejus manu continetur Chamæleon Africanum.

Nº. LXXV. Phiala, in qua cernere licet Renem fœtus humani, cum suo Rene succenturiato sibi imposito, & non à latere posito, uti variæ figuræ repræsentant in tabulis Auctorum.

Nº. LXXVI. Testiculus humanus ex parte dissolutus, ut ejus constitutio vasculosa appareat.

Nº. LXXVII. Lumbricus latus, aliquot ulnas longus, & in liquore conservatus.

\* Nº. LXXVIII. Penis virilis inflatus, balsamo præparatus, & in lamellas dissectus, ut ejus constitutio nerveo-spongiosa videri possit.

Nº. LXXIX. Phiala in liquore continens Lienis humani portionem.

Not.

Not. Quod truncus Arteriosus, ut & Venosus repleti sunt ceraceâ materiâ albâ, ramuli autem non sunt repleti, ut videri possit, quomodo horum vasorum extremitates sint constitutæ sine repletionem, sc. sine glandulosa, cellulosa aut fibrosa substantia. Vide ulterius Epist. Anat. Problem. IV.

Nº. LXXX. Pedamentum, cui innititur Cor vitulinum, à viginti quinque annis præparatum, & lapidis instar induratum; hujus Arteriæ mercurio vivo sunt repletæ.

Nº. LXXXI. Phiala sicca, & in ea membrana, cujus Arteriolæ minutissimæ nec non copiosissimæ mirum in modum sunt repletæ.

Nº. LXXXII. Phiala sicca, in qua continetur sceleton foetus humani, quatuor circiter mensium, à cujus sinistra dependent Intestinula ranæ inflatæ, & tam bene conservatæ, ut ne minima quidem fovea in illis reperiat.

Nº. LXXXIII. Phiala liquore repleta, & in illa, Auricula foetus recens nati, & vitæ speciem referens.

Nº. LXXXIV. Muris sceleton nitidissimum, in cujus dextra detinetur ossea cauda Anguillæ, in qua ne minima quidem particula deficit; foraminibus exitui nervorum & vasorum sanguineorum destinatis, ne quidem neglectis, & hoc difficile factu.

Nº. LXXXV. Phiala sicca continens duos digitos osseos humanos niveos & curiose præparatos.

Nº. LXXXVI. Pedamentum, cui innititur Ren humanus, suberis ope ita præparatus, ut naturalem magnitudinem & formam recuperaverit.

Nº. LXXXVII. Intestinula foetus vaccini immaturi, quæ inflata, balsamo indurata & exsiccata, naturalem retinuerunt constitutionem: horum Arteriæ eleganter quoque sunt repletæ.

Nº. LXXXVIII. Portio Spinæ dorsæ foetus humani, transversim secta.

Not. Corticem Spinalis medullæ, qui situm internum occupat, ex meris Arteriolis esse conflatum, hic optime cerni potest, propter dictarum Arteriolarum repletionem.

A S S E R VI.

Nº. LXXXIX. **P**hiala sicca continens Hepar foetus recens nati, balsamo induratum. Not.

Not. Hoc Hepar naturalem constitutionem & magnitudinem servasse, propter vasorum repletionem.

No. XC. Portio Cutis humanæ rubicundissima propter artificialem vasorum repletionem, suntque vascula tam numerosa, ut Cutis ex meris vasculis videatur constituta.

No. XCI. Phiala in liquore continens Venæ Cavæ ramulum, per Hepar disseminatum, & ceracea materia repletum.

No. XCII. Portio Intestini Jejuni humani, cujus Tunica Villosa (mihi Papillosa) ut & Juga, seu Valvulæ conniventes, egregie visui sese offerunt.

No. XCIII. Ovis Cor, in mumiam (veteri methodo à quadraginta annis) conversum & pedamento insistent.

No. XCIV. Pedamentum, cui insidet portio Arteriæ magnæ foetus vitulini, cum portione Arteriæ Pulmonalis, quas inter videre licet Ductum Arteriosum, & hoc magis distincte, quam in foetu humano, propter ejus molem.

No. XCV. Vermes in bronchiis Pulmonum reperti, qui admodum tenues.

No. XCVI. Ren pueri rubicundus propter Arteriæ Renalis repletionem.

Not. in illa repletionem non solum Arteriæ, Ductus urinosi, Tubuli Pelvis, Pelvis tota, verum etiam Ureter, ad unum usque simul fuerunt repleta, & hoc propter omnium illorum vasorum continuationem.

No. XCVII. Phiala in liquore continens duo objecta, quorum primum & supremum Epidermis humana.

Innum autem bestiae marinae, Roris marini, dictæ.

Not. I. Cum Epidermis humana ab insequente Corpore reticulari & Cute excoriceatur, tunc apparent ac propullulant protuberantiæ innumeræ & tenuissimæ, parte sc. interiore, duabus lineis circiter longæ, quæ mihi nil nisi theculæ inversæ pilorum, & Papillarum cutanearum, quibus radices illorum intra Cutem teguntur.

Cuticulâ & Papi lis cutaneis jam excoriatis, insequuntur quoque dictæ theculæ, & sic inversæ nobis occurrunt ceu monticuli minimi, & hoc luculentius apparet in Epiderme Roris marini.

2º. Dictæ theculæ sunt productiones Epidermidis, Epidermis productio & continuatio extremitatum Papillarum cutanearum, quemadmodum quoque Pili & Capilli, qui mihi nil quoque sunt, quam productiones & efflorescentiæ dictarum Papillarum, sicuti etiam Ungues: & cum radices Pilorum profundius radicentur in extremis nervis, ubi exquisitissimo sensu præditæ sunt, ideo tantus dolor, in illorum evulsione, excitatur.

Nº. XCVIII. Officulum anatis post fracturam obliquam, à natura firmiter ferruminatum.

Nº. XCIX. Hepatis humani portio, in liquore conservata, in cujus superficie visuntur vascula sanguinea mirifice constituta.

Nº. C. Phiala continens portionem Plexus Choroidei, in qua nil glandulosi apparet, in totum vero vasculosus, sicuti in Epist. Anat. Probl. XII. ulterius descripsi & depingi curavi.

Nº. CI. Portio Cerebri humani, à quadraginta annis balsamo lapidis instar indurata, glaciei instar micans, in illa Testes, Nates & Glandula Pinealis in conspectum veniunt.

Porro ab interiore facie januæ hujus Thesauri dependent sequentia.

Nº. CII. Tumor prodigiosæ magnitudinis figuræ cucurbitinæ, lapidis instar induratus post balsamationem, circa os Uteri internum enatus.

Not. Mulier hæc erat vegeta & prosperæ valetudinis, habitans in foro butyraceo Amstelodami, ea in quartum mensem circiter gravida, incidit in fluxum Uterinum, & post aliquot dies in abortum; fluxu postea tamen ad tempus inordinate perseverante, tandem conqueri cœpit de incommodo circa os uteri internum, itaque Chirurghum vocari iussit, qui re explorata, existimabat, in hoc partu immaturo Uterum esse inversum: remediis interim in cassum adhibitis, me vocari iussit, dicens, fluxum supradictum non solum inordinate & per vices perseverare, verum etiam incommodum magis magisque augeri, itaque à me petiit ut expiscari vellem, quid esset de hac re, id quod feci, & reperi tumorem carnosum & molliculum circa uteri os internum emergentem, cum autem nulla daretur occasio accretionem domandi, multo minus extirpandi, in tam profundo loco, suasi ut ad tempus relinqueret, donec ulterius excreceret.

D. 27. 1713. Inte-

Interim intra anni spatium major factus, nec fluxu cessante, ex uteri vagina propullulare cœpit, & me denuo vocari jussit; reperi vero tumorem ex pudendis propullulare, itaque suasi, ut insequente die quoque Cornelium Boekelmannum, Chirurgum Expertissimum arcesserent; cum autem Boekelmannus ante meum adventum venerat, reperiēbat ægram humi decubentem, cum tam enormi hæmorrhagia ex dicto tumore proveniente, ut jamjam videretur moritura, & cum tumorem exploraret & adstantes dicerent, tumorem foetus maturi magnitudine haud cedentem, intra paucas horas excrevisse, Chirurgus, ægram in tam deplorabili statu videns, statim tumorem in Vulvæ orificio ligavit, & hoc facto in lectum deferri jussit, post ligaturam vero, quod notandum, ilico cessavit fluxus uterinus.

Cum ego paulo post ægram convenirem, relatum mihi fuit, quid actum esset, perculsus & attonitus fui illa relatione, verebar enim, ne Vesica, injectâ ligaturâ, quoque ligata esset, nam qualis esset tumor, an moles carnea præternaturalis, an ipse Uterus inversus post partum, an Uterus sine inversione & simul cum Vesica, nemo pro certo antea dicere potuerat.

Inde utraque manu arripiebam tumorem ita ligatum, & cum nullum os uteri invenirem, sedavi animum, præsertim cum audirem ægram urinam post ligaturam reddidisse.

Interim post ligaturam de die in diem tumor diminuebatur, per poros enim multum laticis aquosi rejiciebat; paucis post diebus Chirurgus extirpavit tumorem, qui adhuc tam magnus erat, ut urnam petierim cum pauca aqua, ut in statu, quo erat, conservaretur ad tempus; animus enim mihi erat ulterius expiscari, cujus esset indolis.

Hoc facto, mihi visus fuit prima fronte uterus, post partum inversus, qui in tantam molem excreverat, substantiâ enim mentiebatur uterum; itaque mihi proposui post aliquod temporis spatium, ægrâ sanitati pristinæ restitutâ, rem ulterius indagare, & hoc facto reperi os uteri & circumjacentes partes naturaliter esse constituta; ita ut dictus tumor nil sit quam tumor carnosus, seu sarcoma, variis locis cellulis aquosis repletus, & ex confinio oris Uteri emersus; hunc tumorem balsamo præparavi & peculiari methodo induravi, sine ullis foveis, propria quoque magnitudine, quantum fieri potuit, reservata. Dixi

Dixi superius, me fuisse attonitum, cum viderem prodigiosum illum tumorem esse ligatum, quia verebar ne Vesica quoque esset ligatura inclusa, cum nobis antea non constaret, an esset ipse uterus, nec ne: si enim fuisset uterus, qui non raro post partum inversus, in maximam molem excrescit, & è corpore propendet, moriendum fuisset ægræ, uterus enim è corpore prolabens, sc. sine inversione, prolabitur simul quoque Vesica, propter cohæsiorem naturalem circa utriusque os, idcirco incaute judicant nonnulli, sexum deteriozem posse supervivere, post uteri prolapsi extirpationem: ego autem censeo illud haud posse fieri sine vitæ dispendio.

Ante annos quadraginta semel vidi hanc operationem institutam à quodam Chirurgo temerario, præsentibus variis Medicis & Chirurgis, in Nosocomio Amstelodamensi, quibus persuaserat sine vitæ periculo sese illud posse perficere, quid sit? acum fatis longam & crassam, filo munitam, transigebat per tumoris fundum, inter labia uterina, inter quæ uterus propendebat, filumque fortiter circumvinciebat, sed altero die vitam cum morte commutabat, & sic mihi dabatur occasio expiscandi, quæ esset causa mortis tam subitanæ. Corpore aperto inveni non solum uterum totum quantum, è corpore esse prolapsum, verum etiam unum ex Ovariis hæere simul cum sua Tuba in Vaginæ medio.

Itaque monendi sunt Chirurghi, ut nunquam tam periculosam, imo detestabilem suscipiant operationem, ne mortem inevitabilem concitent, felix enim, quem faciunt aliena pericula cautum.

Cum autem hæc admonitio summe sit necessaria, & ne quis dubitet de rei veritate, sc. quod utero è corpore propendente, vesica quoque prolabatur & semper simul ligetur; in memoriam revocabo historiam, in observationibus Anatom. Chirurg. meis Anno. 1691 in lucem editis descriptam, quam de verbo ad verbum hic non solum, verum etiam figuram in hoc Thesaur. VIII. inserere volui. vide fig. 3. Tab. II.

**I**Nter omnes corporis affectus, qui hominem misere infestare solent, haud infimum locum obtinet Calculus Vesicæ. Hoc malum quantumvis in Batavia nostra admodum frequens, rarissimo &

*inaudito tamen modo sese nobis nuper obtulit in octogenaria, præ dolore admodum emaciata, & à viginti annis propendentiam uteri perpeffa, cum intolerabili mingendi difficultate & cruciatibus, ita ut ægra emori maluerit decies, quam hoc diutius perpeti, præsertim postremis duobus annis.*

*Tandem mense Majo Anni 1681 me vocari iussit, de uteri propendentia & mingendi difficultate conquerens. Mirabar vetula querelas, quoniam nunquam à solo uteri prolapsu ita dolere solent mulieres, verendumque esse adjeci, aliquid mali, præter uteri prolapsum, hæctenus in alta nocte latuisse. Hisce auditis, misera visum & ulteriorem explorationem (sine quibus nil certi asseverari poterat de absconditi morbi essentia) non renuit, ostenditque mihi uteri, justo paulò majoris, prolapsum, eâdem formâ & magnitudine, qua illum expressit sculptor.*

*Palpitando hunc Uterum, calculos sentire putabam, nec me fefellerit: quamvis circa calculorum formam deceptus: videbantur enim tenuiores laminæ calculosæ (belgice Leyen) qui post incisionem reperti sunt angulosi & crassi, sicut i figuræ denotant in dicto libro fol. 4. Non autem interim certe determinare poteram, utrum locum haberent dicti calculi in ipsa uteri cavitate, an vero inter ejus membranas, vel in aliqua vesicæ portione.*

*Videbantur quidem Uteri locum occupare, qui totus quantus (ut figura demonstrat) è corpore propendebat, sine ulla vesicæ portione, (ut nobis videbatur) hisce visis & exploratis, calculorum sectionem proposui: accersuntur magistri, Petrus Adriani filius, & Andreas Bockelmannus, de re Chirurgica bene meriti, qui eandem quoque operationem commendabant, proximo die instituendam. Operationem in sequentem diem dilatatum iri misera illa vetula audiens, lamentari cœpit, exclamans, O me miseram! non reversuri estis, relinquetis me, &c. quibus permoti querelis, ilicò operationem instituimus, sola incisione, secundum uteri propendentis longitudinem, extraximusque momenti temporis spatio calculos quadraginta duos, partim instrumentis, partim solis digitis, quorum magnitudo & Fig. videri potest in dicto Libro.*

*In hac operatione non admodum doluit ægra, eaque peracta, & hoc onere exonerata, atroces ilicò evanuerè dolores, quos tot annis passa fuerat, & satis commode vivere cœpit. In ipsa sectione præ-*



*præter guttulas sanguinis, aliquid liquoris limpidi promanabat è vulnere, unde suspicabamur, vesicam quoque esse in procinctu; nec falso, nam sequenti die hoc penitus investigantes, & siphonis ope liquorem per meatum urinarium injicientes, eum vulnere exire reperimus: quod ut & lotium sequentibus diebus per vulnus stillans, nobis manifestavit, calculos dictos vesicæ portioni, simul cum uteri mole prolapsæ, inhæsisse.*

*Hoc urinæ stillicidium haud exiguo nobis fuit obstaculo in vulneris curatione, quæ tamen (gratia Deo ter opt. max.) brevi peracta fuit, sequenti methodo: Aliquot diebus post balsamo Arcei illitum vulnus, labia ejus artissime adducta sunt emplastro diapalma, tantillum terebinthinæ, ut magis adhæreret, recipiente; quod emplastrum scissum fuit uti in Fig. 4. pag. 4. videre est, superimpositis splenis & ligatura convenienti.*

*Quum autem hic faciendi modus expectationi non satisfaceret propter urinæ stillicidium continuum, & emplastri relaxationem, loco emplastri excogitavit Magister And. Boekelmannus annulum è plumbo tenuiore, cujus extremitates recurvatæ attrahebantur filo, ut ex Fig. 4. pag. 4. liquet, unde labia vulneris tam arte clauderentur; ut nihil urinæ amplius stillaret, & sic intra tri-duum conglutinetur vulnus.*

*In hoc affectu nonnulla consideranda, imo miranda occurrunt.*

1<sup>o</sup>. *Uterum è corpore propendentem secum raptisse tantam vesicæ portionem, quod rarissime (si unquam) antebac visum est, quantumvis partes sint circa oscula vel colla continuæ.*

*Crediderim hoc in illa vetula accidisse, propter difficultatem mingendi, à calculorum copia ortam, unde conatus urinam reddendi fuere continui, & quidem tanti, ut per cohæsionem dietam impediri non potuerit.*

2. *Quod moles è corpore propendens, & nil præter uterum mentiens, ob calculorum magnitudinem & numerum, nullam inæqualitatem, nec aliam formam sit adeptæ, superficies enim admodum erat æqualis & figura uteri naturalis.*

3. *Admirationi est, calculos omnes eandem fere obtinere formam, & adeo æquales esse superficie, ac si essent planati.*

4. *Vulnus ad consolidationem pervenisse, quamvis parti vesicæ membranosæ inflictum, per quod urinæ assiduo stillabat.*

5. *Considerandum est, non omnes calculos in illa vesicæ portio-*

*ne, quæ uterum investiens simul è corpore propendebat, hæssisse: non enim satis ampla, ratione magnitudinis & numeri calculorum, sed nonnullos in ipsa operatione ab altiori & profundiori vesicæ parte descendisse, dubitandum non est.*

*6. Inauditam Lithotomiam, in muliere adeo annosa, cum tanto successu esse institutam: in mulieribus calculi dilatatione urethræ quidem extrahuntur, ast perquam rarum est, sectione vesicæ idem perfici.*

No. CIII. A latere dicti objecti dependet quoque os Femoris cujusdam anus, quæ ante plurimos annos ceciderat ab alto, fracturamque passa fuerat in collo ossis Femoris; circa illud infortunium considerandum.

1<sup>o</sup>. Hanc vetulam non solum claudicasse ad vitæ terminum, verum etiam in cadaveris apertione inventum fuisse dicti ossis collum in totum deficere, & in nihilum adeo fuisse redactum, ut ne hilum quidem remanserit, Gerardus Borst, Chirurgus Amstelodamensis satis expertus, qui cadaver aperuerat, præsentibus variis Medicis & Chirurgis, liberalitate sua museum meum illo objecto adornavit.

2<sup>o</sup>. Os Femoris raro solâ vi externâ ex acetabulo ossium Innominatorum exarticulâri, propter Vastos Musculos & Ligamenta, articulum munientia: ab affluxu autem humorum id pluries contingere unicuique satis notum.


3<sup>o</sup>. Fracturam autem facile patitur in ejus collo, propter ejus teneritatem; Collum enim maxima parte constat ex osseo-spongiosa substantia, instar Diploës Cranii, quæ substantia obducta quidem lamella ossea dura, verum tamen illa est admodum tenuis; hinc facilius frangitur, quam ut articulus suo loco excidat. Vide Thesaur. V. Tab. II. Fig. 1, 2 & 3. & quid ulterius de hac re ibi scripsi.

4<sup>o</sup>. Dicitur magister Borst, qui in suo officio uberiozem habuit occasionem anuum cadavera aperiendi, mihi retulit sese octies aperuisse anuum claudicantium cadavera, & semper invenisse ossa in collo fuisse fracta, & ne ullum quidem exarticulatum.

## T A B U L Æ P R I M Æ

### Explicatio.





A. **T**umba, vel sepulchrum continens foetum humanum, sex præterpropter mensium, à viginti circiter annis in





C. Roberts. ad vivum sculpt.





in mumiam conversum. Dicta Tumba confecta est ex ossibus humanis, & præcipue infantum, lapidibusque, membranis cohærentibus, per quas disseminantur arteriolæ innumerae, Truncis, & ramis arteriosis, ramos arborum, aut potius corallia rubra circa sepulchrum repræsentantibus.

- B. Sepulchri Operculum, cujus basis est superior pars capitis ossi Infantis, externe undique supradictis rebus obsita, hujus superficies interior dura matre adhuc est succincta.
- C. Falx.
- D. Dura mater, per quam plurimæ arteriæ repletæ repunt.
- E. Fœtus immutati caput.
- F. Corona ex floribus naturalibus confecta, & capiti imposita, suntque flores Conyzæ, Africanæ foetidæ, Ptermicæ, Gnaphalii albi, citrini, rubri, Mesembrianthemi Afric. ericæ fol. Breynii.
- G. H. Fœtuum gemellorum immaturorum duo sceleta sex circiter mensium, pone sepulchrum, genibus inflexis, consita.
- I. I. Trunci arteriosi, arbusculas repræsentantes.
- K. Offa Cubiti & manus; manuum autem Officula ramum arteriosum arripere videntur.
- L. L. Duo Strophilia, confecta ex membranis, myriadibus arteriolarum tenuissimarum superbientibus; hæc autem strophilia, utriusque sceleti dextrâ, orbitis oculorum applicita sunt.
- M. Caput sceleti fœtus immaturi quatuor circiter mensium.

T A B U L A II

*Quinque continet figuras, quarum prima*

- A. Denotat uteri portionem, cujus superficies interior in milena corpuscula rotunda, glandulas mentientia, mutata est.
- B. Dicta corpuscula.

F I G. II. *Explanatio.*

- A. Pueri portio maxillæ inferioris.
- B. Labium inferius, deorsum protrusum, & ab epithelia denudatum, ut papillæ nervosæ in conspectum venirent.
- C. Papillæ gingivarum nervosæ.
- D. Papillæ nervosæ prolabii.

\* F I G. III.

- A. Pubes muliebris.

B. Ute.

- B. Uterus è corpore propendens, & vesicæ urinariæ maximâ parte obductus.  
 C. Os uteri internum.  
 D. Incisio longitudinalis à chirurgo inflicta.  
 E. Guttulæ urinæ, promanantes ex Vesica, ab incisione facta.

F I G. IV. *Expositio.*

Portionem Gulæ Testudinis marinæ cum suis papillis nervosis indigitat.

## \* F I G. V.

*Pseudo-hermaphroditi Ovini pudendum denotat.*

- A. Cutis prope anum.  
 B. Anus.  
 C. Vulva.  
 D. Caput clytoridis, in magnam molem emersum.  
 E. Clytoridis Præputium.  
 F. Cervix clytoridis.

## T A B U L Æ III

*Explicatio. F I G. I.*

- A. Superior pars ossis femoris humani.  
 B. Epiphysis superior.  
 C. Spatium cervicis, qui cervix hic deficit, utpote, post casum in nihilum redactus.  
 D. Trochanter minor.

## F I G. II.

- A. Ossis Tibiæ, carie exesi, pars superior.  
 B. Epiphysis superior.  
 C. Caries.  
 D. Fistula ossea, quæ proprie Tabula interior, à puris acredine separata, à tabula exteriore, & à chirurgi manu extracta.

## F I G. III.

Dicta Fistula integra.

## F I G. IV.

- A. Ejusdem ossis Tibiæ pars inferior.  
 B. Caries altera, ex cujus cavo ossiculum excrevit C.

F I G. V. *Duo Ossicula ex Anatis ala.*

- A. Ossiculum cubiti.  
 B. Ossiculum ulna.  
 C. Ferruminatio fracturæ infirma, propter exterioris crustæ defectum.

## F I N I S.



Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.




Fig. 5.



C. Huybarts, ad. vivum, sc.



FREDERICI RUYSCHII,

*Anatomia & Botanices Professoris, nec non Aca-  
demia Caesarea Curiosorum Collegæ*

THESAURUS  
ANATOMICUS  
NONUS.

In quo varia, circa corpus humanum notatu digna, occurrunt.

*Cum Figuris æneis.*



AMSTELODAMI,

Apud JANSONIO-WAESBERGIOS.

ANNO MDCCXXVI.

THE HISTORY OF THE  
CITY OF BOSTON  
FROM 1630 TO 1800  
BY  
JOHN H. COLEMAN  
AND  
JOHN W. COLEMAN  
PUBLISHED BY  
H. O. HOUGHTON, MIFFLIN & CO.  
BOSTON, 1888

VIRO ILLUSSTRISSIMO  
AMPLISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

ANDREÆ GUNDELSHEIMERO,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

BORUSSORUM

REGIS ARCHIATRO,

ET A CONSILIIS,

BOTANICO SUMMO, &c.

HUNC THESAURUM ANATOMICUM NONUM  
SACRUM ESSE VOLUIT, IN MONUMEN-  
TUM ET PIGNUS AMICITIÆ, NUN-  
quam intermorituræ,

FREDERICUS RUYSCHIUS.

In Virum longe celeberrimum  
FREDERICUM RUYSCHIUM.

**S**It minor virtus, quam quarere, parta tueri:  
Ars tua, Magne virum, præstat utrumque simul.  
Immortale tuæ nomen virtutis & artis  
ILLIUS Doctæ fama superstes erit.

In Thesauros Ruyschianos.

**C**orporis humani fabricæ quicunque stupendæ  
Usurpare oculis interiora cupit,  
Thesauros adeat, RUYSCHII quos ingeniumque  
Dexteritasque manus non imitanda struunt.

HENR. CHRISTIANUS KRUGERUS  
Lunenburgenfis.

PRÆ-

# P R Æ F A T I O

A D

## Benevolum Lectorem.



Etus verbum est: *bis dat, qui citò dat.* Illud autem mihi hac vice neutiquam competere fateor, cum jam pridem hujus Thesauri IX. editionem promissam, nunc demum ad finem perduxerim.

Nullus tamen dubito, quin me excusatum habiturus sis, consideratis meis occupationibus multifariis, tam publicis, quam privatis, inter quas haud minimum locum occupat praxis medica, satis superque vigens, ut & continuæ investigationes & perscrutationes cadaverum humanorum, quæ mihi multum negotii exhibuere, non solum nunc, verum etiam jam ultra quinquaginta annos, adeoque per maximum vitæ meæ cursum, cujus jam annum ago sextum & septuagesimum.

Considerandum etiam, nunquam mihi majorem datam fuisse occasionem cadavera perscrutandi, quam hoc tempore, & abhinc aliquot annis.

Occasiones verò datas, me nunquam neglexisse, sciunt illi, qui me optime norunt; verum noctu, atque interdiu ægros invisere, ad primam autem auroram cadavera perscrutari, certe apud æquos rerum arbitros me excusabit, quod non celerius hunc Thesaurum IX. typis mandaverim.

Quicumque vero hunc IX. Thesaurum cum attentione pervolvere dignabitur, illi varia occurrent, quæ summa, ni fallor, admiratione videbuntur digna.

Quis enim mortalium credidisset, in Visceribus integris; membranâ ambiente ne ablatâ quidem, peculiari arte demonstrari posse, & quidem luculentissime, ultimas vasorum sanguineorum pulpofas & succosas extremitates, idque in proprio

prio situ & formâ naturali, oculis non solum armatis, verum etiam inermibus?

Fateor quidem, neminem facile calculum appositurum hisce rebus inauditis; attamen me non vana jactare, aut quidquam hic dicere à vero alienum, norunt omnes, qui ea domi meæ, quotidie fere cum stupore vident, neque dubito, illud mirum iri visum illis, qui in perscrutandis cadaveribus versati sunt; illi enim ipsi procul dubio sæpe experti sunt, quam difficile sit, vasorum sanguineorum extremitates ad extremum usque rimari; hinc enim adhuc latuit vera illorum constitutio; hinc etiam haud infimi subfellii Anatomici in perversam sententiam deducti sunt, existimantes viscera constare ex prætensis Glandulis; cum contra nil sint, nisi vasa cum suis pulposis extremitatibus, quæ pulposæ extremitates continuantur cum illarum truncis, quemadmodum in Brassica pompejana, seu Florida (belgice *Blom-Kool*) cujus caulis fastigiatur in flores, nulla re intercedente; cum contra glandula sit pars per se subsistens, & peculiari membrana obducta.

Inter cætera nil magis admiratione dignum censeo, quam corticem Cerebri, qui pultis crassioris mollitiem obtinet, ex meris pulposis extremitatibus Arteriolarum constare, non autem ex prætensis Glandulis.

Quis mortalium illud poterit credere, nisi propriis viderit oculis domi meæ? imo inter omnia, quæ in corpore humano detexi, hoc inventum, puto, quod præfiscine dixerim, mihi esse palmarium.

Itaque indecorum esse, nemo negaverit, qui D<sup>m</sup>. Martinum Listerum, Anglum, ac defensores Glandularum Viscerum, in tractatu *de humoribus* legerit, in quo hic & illic me falsa proferre arguit, id quod potius retorquendum in illum ipsum, qui judicare voluit de rebus à se nunquam visis; certe ejusmodi obtrectatores vix ferendi sunt, qui judicant de rebus, quarum plane ignari sunt.

Insuper autem variis locis in dicto tractatu injuste me impetit, dicens me hoc & illud sentire & scripsisse, quod revera nunquam neque dixi, neque scripsi; se. tradit, me negasse dari glandulas in corpore humano; quod non animadvertim, Testiculos per se esse glandulas; quod voluerim,  
Glandu-



Glandulas Cerebri pinguedinem esse &c. quare non addidit, quo in loco aut libro illa scripserim? quicumque enim mea scripta perlegerit, contrarium animadvertet.

Interim defensori illi non insultabo, quod variis in locis à me diversa sentiat, atque etiam scripta mea infirmare conatus fuerit, & post meliora inventa adhuc glandibus vesci, & veteri sententiæ mordicus adhærere voluerit, cum apparentias novas & vera præparata domi meæ, Illi haud contigerit videre.

Haud minore admiratione legi in tract. de Itinere Anglicano ac Batavo, conscripto ab acutissimi ingenii D<sup>o</sup>. Christiano Henr. Erndl, ubi pag. 83. & 84. dicit.

*D<sup>m</sup>. Ruyschium invisi frequentius & neutiquam horas illas neglexi, quas explanationi Anatomies, ac demonstrationibus Gazophylacii sui Anatomici curiosi, in gratiam aliquot studiosorum exterorum destinaverat.*

*Incredibilis copia præparatorum Anatomicorum & stupendus ille naturalium Thesaurus, quæ possidet in ædibus suis vir hic celeberrimus, attonitos facit curiosos spectatores, in quorum enumerationem velle descendere, in vastum pelagum esset sese committere, quo de fidem facere possunt specimina illa, quorum VII. tunc ediderat sub Thesaurorum nomine, ut Observationes taceam & Epistolas ejus Anatomicas, quæ seorsim prodierunt.*

*Non possum tamen quin memorem, quod inter ejus rarissima sit præcipuum illa Mumia pueri cujusdam octennis, cujus corpus liquore & arte sua balsamandi, ut perhibet, tam nitide conservavit, ut color juxta & consistentia cutis & Musculorum visui & tactui naturales & viventes sese sistant; partes omnes & membra hujus Mumie non indurata sunt nimis, sed molliuscula, quasi succo & sanguine adhuc turgerent & vigerent, constituta.*

*Admirandum hoc est artificium, quod in præparatione hujus Mumie præstitit Clariss. Vir, & plane inauditum, omnem fidem superans, nisi quis ipse viderit; & licet diversimode de præparatione hujus cadaveris judicetur ab ejus adversariis, nemo tamen est, qui analogum quid conficere aut demonstrare huc usque potuerit.*

*Dixit*

*Dixit sapius D. Rauw de prodigio hoc, cum sententiam ejus expeteremus, male fraudes sunt, ac præstigiæ cum isto puero; Cuticulam detraxit misero, ita ut Cutis cum Musculis suis sanguine adhuc turgidis, naturalem quodammodo corporis colorem referant; alii de vacuo autumabant, in quo corpusculum illud perpetuo, excepto demonstrationis tempore, conservaret.*

*Sed omnes istæ hariolationes exigui sunt ponderis: monstra simile & in sententiam tuam lubentissime descendam.*

Quomodo fodes potuit Cl. D. J. Jac. Rau illud dicere, cum non semel, sed aliquoties publice visui exposuerim, Illo ipso præsentate, imo proxima (DEO annuente) à me publice instituenda Anatome, denuo visui exponere decrevi dictum cadaver, per 19 annos à me conservatum, & adhuc vitæ speciem præsentans.

Illud autem traducere si quis voluerit pro malis fraudibus, quid foret, nisi calumnia & ærugo mera? quod vero ad cuticulam attinet, quam ego dextraxerim, id quoque à veritate omnino est alienum: & si detraxissem an propterea malæ fraudis essem accusandus? aut an eapropter puer esset miser factus?

Sæpenumero illud facere cogor, quando animus mihi est Papillas cutaneas demonstrare; & utrum musculi adhuc sint turgidi sanguine, aliis judicandum relinquo, & hoc etiam concessio, nulla tamen fraus subesset.

Itaque, si Professor Rau illud sapius dixerit, uti ait D. Erndl, perverte de rebus meis judicavit, & tunc ad illa responderem, meliora doctus, meliora faceret.

Fraudes committere, nunquam non detestandum, & præsertim illud dedecet hominem tam provectæ ætatis, cui senilis anima in primis labris hæret; si D. Erndl illud typis non mandasset, ne gry quidem respondissem, sed flocci fecissem, at, quum hoc jam prælo sit commissum, me defendere coactus fui.


Hicce pro defensione dictis, ad cætera me conferam, sc. in eodem hoc IX. Thesauro occurrit quoque animalculum quadrupes canis simile, IV. pedicellis, capite, cauda, ore, lingua & funiculi umbilicalis analogo, instructum, ex ore rejectum, & in liquore meo conservatum, simul cum burfula, in qua, loco secundinarum, hæsit.

Hicce Vale L. B. & vitia typographica, quæ irrepserunt, benigne corrigere velis,

THE-

# THESAURUS ANATOMICUS NONUS.

*In cujus fundo sequentia reperiuntur.*

N<sup>o</sup>. I.  Yxis rotunda, in qua conservatur uterus cujusdam ovis gravidæ, multis abhinc annis balsamo præparatus, induratus, & nitide conservatus,

Not. 1<sup>o</sup>. Cum ab aliquo tempore utero gessisset, foetusque in eo mortuus fuisset, circa uteri regionem abscessus fuit ortus, eoque sponte aperto, simul cum pure, varia officula foras fuerunt expulsa, id quod in mulieribus nonnunquam quoque contingit.

Post mortem uterum aperui, & in illo varia officula inveni, quæ adhuc in uteri cavo continentur.

2. Cornua uterina (quæ nil aliud sunt, quam bifurcatio uteri in duas partes) frustra quis quæreret in sexu foemino, quamvis Carolus Stephanus, & alii ea extare in sexu sequiore affirmaverint.

Hæc cornua Uterina oppidò quam bene præparata, conspiciuntur cum suis arteriis, ceraceâ materiâ rubrâ repletis.

N<sup>o</sup>. II. Capsula, & in ea, ossis Tibiæ portio superior bisecta, ex homine à multis annis humato.

Not. 1. Cum dictum os siccum & exsuccum sit, osseo-spongiosa substantia distinctius videri potest.

2. Ubi definit osseo-spongiosa substantia in ossis cavo, conspiciendam sese exhibet medulla ossis, quæ indurata, nivea, & granulosa in sepulcro facta, adhuc superstes remansit; il-

lud autem in hominibus a multis annis sepultis, & terræ siccae commissis, semper ita reperi.

3. Ex hac observatione patet, quanta sit analogia inter pinguedinem humanam, & ossium medullam: Pinguedinem enim in tumulis in terra sicca positis, post 25 annos reperi in corporibus obesis, mutatam, duram, & albam extitisse, instar supradictæ medullæ ossium.

Imò existimo, medullam ossa non nutrire, uti ab omni ævo fuit creditum, sed medullam ossa reddere firmiora, idque humectando. In illa opinione magis magisque confirmabar, cum ad meas pervenisset manus os Tibiæ cujusdam hominis defuncti, in quo nullam reperi cavitatem; ita ut ex illo confici curaverim varia manubria, inter quæ aliqua chalybe munita, tanquam culter, & furca in museo meo conservantur, & quidem in vagina, confecta ex corio Pueri, per quod myriades vasculorum sanguineorum, ceraceâ materiâ rubrâ repletorum, decurrunt, unde tota vagina est rubicunda.

Nº. III. Capsa, in qua reperitur Funiculi Umbilicalis tumor durus, de quo nunquam legeram, aut videram, conspicendum tamen sese dedit in cujusdam lanionis foetu humano vivo, recens nato.

Cum a parentibus vocatus fuisset, simul cum Chirurgo expertissimo Petro Adriani Verduyn, hærebamus qualis esset affectus: Prima fronte, visus & ad sensum tactus, herniosi quid præ se ferebat, proxime abdomini enim adstabat.

Tandem consultum duximus, cum obstetrix ante nostrum adventum funiculum umbilicalem extra tumorem versus placentam ligasset, & abscidisset, secundam ligaturam adhibere, & quidem ante tumorem versus abdomen; quo facto, paucis post diebus, emoriebatur tumor, eoque abscisso, reperi in illo nil nisi substantiam, partim carnosam heterogeneam, paucis humore permixtam. Foetus interim nil incommodi aut mali perpeffus videbatur ex illo tumore, cum vegetus in lucem venerit.

Nº. IV. Capsula continens varia fragmenta Lapidis Bezoardici occidentalis rara, ut & plures integros, in bursula crassa membranacea contentos, in qua nati sunt, id quod consideratione dignum esse censeo.

Nº. V.

Nº. V. Capsula, in qua conservatur Aneurisma cujusdam arteriæ intercostalis ex homine, magnitudine ovi gallinacei.

Not. I. Admiratione dignum est, arteriam tam exilem in tantam molem sese potuisse extendere, id quod mihi ter quaterve videre contigit. Juvenis erat, cujus affectum hic recito, qui à longo tempore de præcordiorum anxietate quæssus fuerat, & tandem summis angoribus & lipothymiis correptus, tussi molesta subito fati cessit.

2. Haud minus mirabar, imò obstupesceram, Aneurisma tam firmiter, costis & adjacentibus vertebrarum corporibus, fuisse adnatum, ut non sine malleo & cuneo, ab illis separare potuerim.

Nº. VI. Capsula quadrata ex ligno indico, & in illa auricula humana, balsamo præparata, in forma sicca, cujus Arteriolæ, ad unum omnes sunt repletæ ceraceâ materiâ rubrâ, unde totum objectum summa rubedine perfusum.

In eadem Capsula quoque videre licet hominis Vernam cavam, quatenus tribus suis ramis per hepar dispergitur, ademptis, vel abruptis extremitatibus.

Nº. VII. Capsula quadrata, ut supra, continens Pulmonem juvenis, cujus cellulæ ad unum omnes materiâ ceraceâ albâ repletæ sunt; & sic videri potest, quæ sit pulmonis figura, in inspiratione.

Nº. VIII. Capsula, ut supra, continens infantis brachium, cum annexis scapula & clavicula: suntque omnia balsamo indurata, & à plurimis annis conservata.

Not. I. Claviculam fuisse fractam, & denuò (post malam repositionem) in formam semilunarem, ferruminatam.

2. Cute brachii aperta, conspiciendam sese exhibet Arteria brachialis, præsertim eo loci, ubi pulsus quotidie exploramus.

3. Vasa sanguinea ad extremum usque repleta, summam rubedinem cuti afferunt.

4. Ungues extra cutem quidem prominent, non quod excreverint post mortem, sicut vulgo & perperam olim creditum, & pro certo habitum fuit, sed propter cutis contractionem, exsiccationem & objecti indurationem, ne dicam,

quod non solemus ungues refecare quum ægrotamus, & lecto decumbimus.

Cum cutis, Pili, ut & capilli, corporis nostri partes sint, quæ communi vita, pariter cum corpore, fruuntur, post mortem, cum cæteris quoque moriuntur; id enim expertus sum, & exploratum habeo, nam eum in finem sæpius intra vi sepulcra, & nunquam contrarium observavi.

Nº. IX. Capsula, ut supra, in qua reperiuntur variæ partes corporis foetuum humanorum, sc.

Lit. A. Notatur Brachium cujus cute apertâ, visui sese offerunt vasa sanguinea per brachium disseminata, & repleta; Nervus item ejus & musculi.

B. Pes Infantis, eodem fere modo præparatus.

C. Pes foetus humani, per cujus cutem apparent vasa sanguinea repleta.

D. Portio Dorfi foetus humani cum scapulis, in mumiam à meredacta.

Nº. X. Capsula, ut supra, in qua reperiuntur tres Renes humani bisecti, in quibus productiones Pelvis, ut & Papillæ renales comparent; cum autem Arteriæ sint repletæ, summa rubedine perfusi sunt Renes.

In medio hujus Capsulæ visui sese exhibet Renis humani portio, cujus arteriolæ, ut & ductus urinarii papillam constituentes, in totum sunt repletæ.

A latere conspicitur quoque Ren humanus extabefactus, cujus productiones Pelvis extra renis substantiam ita propululant, ut pelvis ipsa videatur tripartita: uretur quoque ita dilatatus, ut digitum minorem fere admittat.

Nº. XI. Capsula quadrata, ut supra, in qua reperiuntur varia puerorum intestinula, & inter cætera videre licet portionem intestini cæci cum appendicula ejus, idque è foetu humano, ut diversitas appareat inter hoc objectum desumptum ex foetu, & illud quod desumitur è corpore adulti.

Nº. XII. Capsula, ut supra, in qua comparet coli humani portio, cujus arteriæ mirum in modum sunt repletæ ceraceâ materiâ rubrâ, ne, appendiculis quidem pinguibus coli exceptis.

Nº. XIII.

Nº. XIII. Capsula, ut supra, in qua duo objecta, quorum

1. Cranii humani Portio, cum dimidia parte ossium faciei, in quibus videre est primò Antrum, vulgo Higmori dictum, quia ab illo primum delineatum.

2. Foramen, qua communionem habet antrum cum naso in utroque latere.

3. Membranula vel periostrium, antrum interne succingens, per quam membranulam disseminantur arteriolæ repletæ, unde rubedine imbitur dicta membranula, quæ telæ aranearum instar tenuis.

4. Ductus lachrimalis osseus, cum sua membranula (quæ interne obducitur) quæ valde quoque rubra est ob eandem supra dictam repletionem

5. Utrumque os spongiosum narium unius lateris, sc. superius & inferius cum suis involucris, ob eandem causam rubedine imbutum.

6 Ductus Eustachianus.

7. Ossis frontis cavitas, tenuissima membranula quoque obducta, quæ non minus rubicunda, quam in supra dictis.

8. Communicatio hujus cavitatis ossis frontis cum naribus, id quod hic luculenter scilicet conspiciendum præbet.

9. Altera portio cavitatis cellæ equinæ, cum sua membranula interna, per quam quoque repunt vascula sanguinea, ut supra.

10. Infundibulum in medio cellæ equinæ, cujus cavitas reservata, & adhuc aperta est, sicuti in vivo homine.

In altero objecto demonstratur nobis calami scriptorii latitudine, ante meatum auditorium osseum

1. Condylodei processus maxillæ inferioris locus, ubi sese applicat cum sua cartilagine mobili, scilicet supra basin ossis sigomatici, ubi adhuc ligamentorum reliquiæ supersites sunt.

Nº. XIV. Capsula ut supra, & in ea

1. Portio thoracis pueri, ita præparata, ut vasa intercostalia, eorumque reptatus, luculenter videri possint; præterea membranâ Pleurâ ex parte elevatâ, membrana cellulosa, & sub illa, periostrium, sese videnda exhibent.

2. Os Pectoris Infantis, cum annexis partibus cartilagineis

neis costarum, ut & vasa intercostalia, nec non mammaria interna.

3. Portio Thoracis cum adhærente brachio & scapula, per quæ vasa sang: ubertim disseminantur.

### A S S E R   P R I M U S.

Nº. XV. Capsa, ut supra, continens úterum Puerperæ, à multis annis à me conservatum.

Not. 1. Quantus sit Uterus post 14 dies à puerperio, hic videri potest, ut & mutatio situs ovi-ductuum, Ovariorum, & ligamentorum quæ tempore gestationis, (propter extensionem fundi uteri) longius à fundo distant.

2. Vesica Urinaria hic valde exigua comparet, utpote tempore mortis evacuata, & postea à me non inflata.

3. Os uteri, per quatuordecim dies post partum, valde patulum remansit, sicuti adhuc apparet, & sæpius in puerperis contingit; ita ut male sibi prospiciant Puerperæ, quæ justo citius conclavia relinquunt, quo pacto, utero nondum clauso, aëri frigidiori uterum exponunt.

Nº. XVI. Capsa, ut supra, in qua duo objecta, quorum

1. Gallinæ Ovarium cum annexo utero.

Not. Inter ova (seu potius ovorum vitellos) qui ceraceâ materiâ flavâ sunt repleti, reperitur una atque altera membrana, infundibuli instar cava, è quibus unum atque alterum ovum maturum decidit in uteri cavitatem, dicunturque membranæ superstites, Calices, ab excellentissimo Anatomico Regnero de Graef, qui, dum viveret, mihi fuit conjunctissimus ante annos 50 & quod excurrit.

Nº. XVII. Capsa quadrata, ex ligno indico, ut supra confecta, in qua reperitur stomachus ovinus nitidissime præparatus; scilicet omnes arteriæ non solum sunt repletæ, verum etiam IV stomachi partes; nempe venter primus, Reticulum, Omasus, ut & Abomasus videri possunt.

Nº. XVIII. Capsula, ut supra, & in illa foetus septimestris Balsamo præparatus & induratus, & à plurimis annis conservatus.

Not.



Not. 1. Caput, ut & artus, detruncata sunt.

2. Arteriis omnibus repletis, & sternô elevatô, in conspectum veniunt Cor, Pulmo, ut & Thymus. Abdomine aperto, hepar, stomachus, intestina, ut & vesica, arteriæ umbilicales, scrotum, nec non Penis conspici possunt; idque in proprio & naturali situ.

Nº. XIX. Capsula, ut supra, in qua conservantur Thoracis diversæ partes, idque è corporibus foetuum humanorum: inter illas, quæ Lit. A. notata, videre licet soboles arteriarum mammariarum internarum, decurrentes per spatia intercostalia, quæ tandem cum arteriis intercostalibus, ex arteriæ magnæ trunco oriundis, uniuntur & inosculantur.

Lit. B. indigitat portionem Thoracis, cujus membrana pleura ex parte à subjecta cellulosa & perioestio costarum separata est.

Lit. C. portio Thoracis, cum annexa portione Diaphragmatis, in quo duo occurrunt aperturæ, pro transitu œsophagi, & venæ cavæ. à latere ditorum foraminum in conspectum quoque venit exigua portio Arteriæ magnæ.

Nº. XX. Capsula, ut supra, continens varias portiones funiculi umbilicalis, cum & sine nodis.

Inter omnes illas una Nº. I. notata, quæ gaudet nodo prodigioso: suntque nodi nil nisi errabundi reptatus vasorum umbilicalium, nodum ob incrassationem, representantes & mentientes.

Nº. II. Funiculi umbilicalis portio, ex foetu vaccino, constans ex duabus arteriis, totidemque venis, secus ac in homine, in quo una tantum arteria, & duæ Venæ concomitantes reperiuntur. Huic objecto cohærent quoque duæ arteriæ umbilicales, ut & vesica.

Nº. XXI. Capsa, ut supra, in qua inveniuntur placentæ Gemellorum foetuum humanorum, quorum membrana Amnios in duas partes à me est divisa, id quod nonnunquam à natura (foetu vivo) factum offendo. Hinc forsitan suspicati sunt Anatomici, & quidem non infimi subsellii, inter Chorion & Amnium peculiarem vel tertiam in homine reperiri membranam, quam Alantoidem nuncuparunt.

Has duas placentas à se invicem separavi, id quod facile  
contin.

contingit, si quis inconsultò illas arripiat, præcipuam enim inter se habent unionem, membranarum dictarum, ut & vasculorum contiguitate, non autem vasorum sang: inosculatione; ita ut facile à se invicem recedant, quemadmodum duæ adstantes plantæ gramineæ, cum è terra eruantur.

No. XXII. Rupes confecta ex calculis alterius Rupis, coralliis albis, Arteriis, ceraceâ materiâ rubrâ repletis, & sic corallia rubra mentientibus, circum tecta.

Hæc Rupes, pedamento Cedrino imposita, in sui medio concavo continet Phialam magnam cryst: liquore repletam, continentem infantis hepar per cujus superficiem occurrunt vascula repleta, & tanto quidem numero, ut totum hepar summâ rubedine superbiat.

Supra operculum sericeum dictæ Phialæ, reperitur alia exigua rupes, è qua emergunt vasa sang: repleta, ex hepate, & aliis partibus corporis desumpta, corallia rubra erecta representantia.

Nº. XXIII. Pedamentum ex ligno Cedrino confectum, & supra illud Rupes, Vasis sanguifluis repletis abundans, in cujus medio concavo Cor hominis, cum suis truncis abscissis.

Not. 1. Cor Balsamo esse induratum, & rubedine præditum, propter Vasorum sang: repletionem.

2. Cor naturalem retinuisse formam, exceptò, quod utraque cavitas simul cum auriculis repleta sit materiâ sæpius dictâ: id quod in statu vivo non fit.

3. Venas aliquot emergere ex auriculâ dextrâ, hic luculenter videri potest; ita ut non omnes ex coronariâ producantur, sicuti olim creditum fuit.

4. Quomodò Arteria pulmonalis pulmonem ingrediatur post suas divaricationes, hic quoque apparet.

5. Arteriæ magnæ truncus, cum tribus suis ramis fursum spectantibus, ut &

6. Portio æsophagi, & Asperæ arteriæ, dictis tribus ramis adstantes, oppidò quam bene oculos incurrunt.

7. Venæ cavæ Truncus ascendens & descendens, cum sint repleti materiâ supradictâ velut in statu vivo, videri potest illarum continuatio, & quod auricula dextra propter ejus capacitatem maximum sit sanguinis receptaculum, & contra auricula sinistra.

8. Quo

8. Quo modo, & quo loco, vena Azygos ex trunco Venæ cavæ ascendente oriatur, hic quoque apparet.

9. Vera forma auricularum Cordis, visui hic etiam occurrit.

Nº. XXIV. Phiala in liquore continens funiculum umbilicalem, cum exigua portione placentæ uterinæ, cujus margini connectebatur crus foetus humani. vid. Tab. 1. Fig. 2.

Nullus equidem dubito, mirum quibusdam visum iri, hunc casum legentibus, sc: mulier quædam in platea Harlemensi degens, cum anno præterito foetum vivum, robustum, & bene formatum, in lucem edidisset, à latere placentæ seorsim adhærebat crus foetus humani, sicuti sculptor hic expressit Tab. 1. Fig. 2.

Præterea ubi funiculus umbilicalis Placentam intrat, adhærebat, vel affixum erat Atheroma ingens, uti ex fig. annexa quoque liquet.

Not. quoque 2º. Hocce crus constare ex osse femoris, extremo pede, & tribus digitis copiosa pinguedine obsitis, absque ullis musculis.

3. Ossa in totum esse cava, fistulosa, substantiâ admodum tenuia, absque osseo-spongiosa substantia interiore, in utroque extremo.

Memini me ante annos 50 dissectuisse cadaver cujusdam ovis, ex cujus Collo integer excreverat, in cujus pedis cavitate, nullis musculis etiam instructi, nil osseo-spongiosæ substantiæ invenisse, & loco musculorum totus pes pinguedine erat obsitus.

Nº. XXV. Pueri stomachus gossypio repletus, & ita præparatus, ut vivi speciem repræsentet.

## A S S E R . II.

Nº. XXVI. Sepulchrum, seu Tumba, confecta ex frustis rupis, ossiculis puerorum, & vasis sanguifluis, quæ corallia rubra mentiuntur, & ex rimis rupis mergere videntur.

Operculum, ceu janua hujus sepulchri est suprema pars cranii infantis, per cujus cranium plurimæ repunt arteriolæ repletæ.

Interior ejus superficies adhuc dura matre, ceu pericra-

C nio

nio interno testâ, plurimis superbit arteriis repletis; & in  
cujus medio quoque occurrit Falx, idque in statu naturali,  
ne arteriolis quidem per illam decurrentibus, destituta.

Ex falce dicta emergit, contra naturæ leges, tenuis pro-  
ductio membranacea, nervi instar teres.

In illo objecto sinus falciformis remansit apertus. Hanc  
Tumbam occupat sceleton foetus humani immaturi septem  
fere mensium nitidissimum; in ejus dextra continetur scele-  
ton muris artificiose, & nitide præparatum, cujus pedes an-  
teriores arripere videntur membranas quasdam, per quas re-  
punt vasa sang: repleta, mirum in modum, & turmatim de-  
currentia. Idque a me factum puta, ne videantur otiosi cu-  
juscumque generis objecta, quæ apud me conservantur, &  
sic in spatio exiguo multa cumulantur.

Supra Tumbam, cor Pueri, Balsamo præparatum & in-  
duratum, situm est, cujus truncus arteriæ magnæ, tam as-  
cendens, quam descendens, non solum superstites sunt, ve-  
rum etiam trunci Arteriarum & pulmonalium, ut & venæ  
cavæ ascendentis, & descendentis, ne venæ azygos quidem  
trunco neglecto.

Inter ramos trunci ascendentis innititur sinistro brachio sce-  
leton immaturum quatuor circiter mensium, dextra conti-  
nens Ramusculum Arteriæ Pulmonalis repletum, & tam ar-  
tificiose præparatum, ut ramusculi tenuissimi conspici pos-  
sint. Caput autem cœlum versus conversum, admiranda  
Dei opera demonstrare videtur.

Nº. XXVII. Phiala sicca, in qua visui sese offert superior  
portio cutis capitis, è foetu humano, propter vasorum  
sang: repletionem rubicundissima: ita ut verum locum & re-  
ptatum præcipuorum & minutissimorum vasorum, ut & illo-  
rum inosculationes arteriarum cum arteriis in utroque latere  
conspici possint.

Operculo hujus Phialæ imposita est exigua rupes, interpo-  
sitis vasis sang: corallia rubra repræsentantibus, & inter illa  
varia cutis humanæ frustra, è capite desumpta, quorum super-  
ficies interior gaudet vasculis sang: minutissimis, musci te-  
nuissimi speciem referentibus; superficies verò interior pin-  
guedine adhuc obsita, vasculis gaudet millenis, diverso & ser-  
pentino reptatu decurrentibus.

Nº. XXVIII.

Nº. XXVIII. Phiala cryſtallina ficca & in ea Vituli ſplen, in quo luculenter videre licet, quid ſit de vena ſplenica vitulina, ſc: quomodo illa, quamprimum lienem intravit, ſtatim poroſa & foraminulenta fiat, & paulò penitius, in fibras, tandemque in nihilum redigatur, ita ut loco ramorum venarum, nil niſi fulci cavernoſi appareant.

Operculo quoque impoſita eſt Rupes parva, in cujus cavo continetur fruſtum lienis vitulini, ut magis pateat, quid ſit de ſupra dictis, & quid de fibris lienalibus vitulinis, eum in finem tantum inſervientibus, ne lien vitulinus in majorem molem ſeſe extendere poſſit, ob concitatioſem & uberiorem ſanguinis arterioſi impulſum, id quod in homine locum non habet, quia lien humanus gaudet vena lienali, arteria comitante ad ultimum extremum, idque pari paſſu.

Itaque hallucinantur homines, qui lienem humanum ſimilem ſtatuunt vitulino, & fibras tranſverſas, in liene vitulino pro nervis habent. Non minus quoque errant, qui lieni attribuerunt glandulas, & cellulas; id autem luculentiffime omnibus, qui me conveniunt, à vero alienum eſſe, demonſtro. Itaque, quicumque de liene ſermonem vult habere, ejuſque conſtitutionem veram exhibere, non debent vitulorum, ſed hominum lienem arripere.

Et quam perverſe quoque judicarint de ita dictis glandulis lienalibus, uberrime olim oſtendi, & poſthac novam delineationem harum rerum me exhibiturum (volente Deo) promitto, ſicuti in hoc Theſauro 9º. nunc feci circa hepar hum: ſc: ſine ulla hepatis læſione, ſine coctione, cum & ſine induratione, abſque maceratione, & ne nulla quidem vi adhibita.

Tunc nemo quoque poſthac me amplius accuſabit (ſaltem admodum abſurdum eſſet) ac ſi in prætenſa excarnatione glandulas annihilarem.

Nº. XXIX. Pedamentum ex ligno Indico, ſupra quod poſita eſt Rupes ex ligno Indico, coralliis albis, variis vaſis ſang: &c. in ejus medio concavo poſita Phiala cryſtall: continens in liquore foetum human: 6 circiter menſium Hydrocephalo laborantem, cum autem in liquore limpido natet, nitide occurrit dictus affectus.

Foetus autem, cum videatur à Serpente rariore Indiae Occiden-

cidentalis arripi, dextrâ avellere conatur serpentem, idque ore aperto, tanquam consternatus & perterritus.

Supra operculum hujus phialæ quoque posita Rupes exigua, maximam partem confecta ex variis miseris corpus humanum debellantibus, sc: calculis humanis, maxillæ portionibus carie exesis & corruptis, Ossiculis vario modo corruptis, & à natura expulsis. Inter calculos occurrit primò unus magnæ molis, formâ mori fructum æmulans, alter ejusdem fere magnitudinis, variis Tuberculis, coloris fusci, obsitus; tertius præcedentibus major, undique quidem æqualis superficiei, sed particulâ exterioris lamellæ ablatâ, occurrit lamella gibberosa; quartus quantumvis præcedentibus minor, agmen tamen ducere videtur, utpote unus ex illis, quorum mentio facta, & figura admiranda delineatus reperitur in observ. Anat. Chir. meis Tab. prima.

Circa maxillam supradictam consideratione dignum id, quod sequitur, censeo, sc: juvenulæ meretricis morbo venereo laborantis, post salivationem mercurialem à Chirurgo institutam, maxilla inferior carie obsessâ, à parte laterali vacillare incoepit, itaque me, filiumque meum, simul cum expertissimo Chirurgo Petro Verduyn, arcessi jussit: cum autem magnam portionem dictæ maxillæ inferioris vacillare deprehenderemus, supradictus Chirurgus portionem illam vacillantem extraxit: sed quid sit? aliquot post diebus, altera & major portio undique etiam facile moveri poterat: hisce visis, hanc quoque extraxit Chirurgus; quo facto, vidimus hanc superiorem portionem esse maxillæ inferioris, simul cum suo processu condyliformi: nihilominus post curationem, masticationem rite peragere, & tam articulate loqui poterat, sine ullo obstaculo, quasi nihil perpessa fuisset in istis partibus.

Nº. XXX. Infantis caput Osseum, cujus cranium lapideâ substantiâ variis locis obsitum.

Not. I. Caput infantis indideram liquori, ad illud conservandum, qui liquor compositus erat ex variis liquoribus, sc: ex spiritu Vini, Frumenti, Sacchari, nec non Arach; aliquot post mensibus, observabam dictum caput osseum variis locis substantiâ lapideâ esse obsitum, id quod mihi ansam dedit illud conservandi.

2. Oper-

2. Operculum hujus Phialæ, in qua illud objectum conservatur, variis rebus petrefactis, & Lithophitis marinis obductum est.

Nº. XXXI. Phiala sicca, continens caput quadrupedis Americani, ab Indigenis Belgis, *Quast* dicti, illud autem facie, agilitate, & astutia simiæ aliquam similitudinem habere observavi, dum viveret in ædibus meis.

Nº. XXXII. Foetus Æthiopissæ septimestris circiter, in liquore conservatus.

Nº. XXXIII. Phiala in liquore conservans infantis brachium, in cujus manu continetur portio placentæ uterinæ nitide præparata.

Nº. XXXIV. Ren pueri in liq: conservatus, cujus superficies, (uti vulgo apparet) inæqualis, secus ac in homine adulto: huic parti superiori insidet adhuc Ren succenturiatus, tanquam glans in calyce, secus ac in figuris variorum auctorum videre est, qui succenturiatos a latere renum depingi curarunt.

Nº. XXXV. Cutis capitis infantis, pileolum repræsentans, per quam disseminantur Arteriarum soboles innumerosæ; cum autem repletæ sint materiâ sæpius dictâ, cutis plane rubram sese exhibet.

Nº. XXXVI. Pia Mater humana in liquore, quæ nitidissime præparata, & summâ rubedine prædita. Quam tenuis autem illa sit, hic videri potest, nam absque Vasorum repletionem illius aspectus imposuit olim nobis: sc: post mortem piæ matris vasa ut plurimum sanguine destituuntur, & sic illa vasa, colore cum ipsa membrana convenientia, conferre videntur ad illius crassitiem, cum interim tenuissimæ sit substantiæ.

Nº. XXXVII. Phiala, & in ea Plantæ pedis portio epidermidis hum:, per cujus superficiem internam innumeræ occurrunt abruptæ papillarum cutanearum reliquiæ, ex dicta superficie propullulantes, quæ per expansionem (uti olim dixi) cuticulam constituunt.

Nº. XXXVIII. Portio Placentæ uterinæ, tam nitide præparata, ut luculenter videre liceat, nil glandulosi inesse Placentæ in statu naturali, nec ultimas extremitates vasorum illorum circumvolutiones vasorum esse, sed contra, pulpofas

& succofas extremitates, ficuti in liene, cortice cerebri & aliis partibus.

N<sup>o</sup>. XXXIX. Phiala ficca, in qua fceleton Pfittaci minoris ex Africa allati.

N<sup>o</sup>. XL. Pedamentum ex ligno indico, cui impofita eft Rupes, in cujus cavo in confpectum venit Ramus magnus Arteriæ Pulmonalis, in liquore confervatus; cum autem ceraceâ mat: repletus fit, oppidò quam bene cerni poffunt illius extremitates.

Præterea dicto ramo annectitur portio pulmonis, in innumeros lobulos divifa, ne adverfariis dubitandi anfam præbeam, an verus fit ramus arteriæ pulmonalis, nec ne.

N<sup>o</sup>. XLI. Ovum Gallinaceum in liquore confervatum; hujus figura serpentem reptantem repræfentat.

N<sup>o</sup>. XLII. Portio Piæ Matris in liquore, cujus superficies exterior obfita variis particulis prominentibus exiguis, quas pro glandulis habuerunt nonnulli; cum autem fint diverfæ formæ, & colore pinguedinem repræfentent, pro pinguedine potius illas habeo, præfertim cum inter duplicaturam piæ matris aliquoties pinguedinem invenerim.

N<sup>o</sup>. XLIII. Teticulus humanus, ftudio ex parte tantum diffolutus, ut in illa parte diffoluta, vasculorum tenuitas, & in parte non diffoluta vasorum reptatus vermicularis, confpici poffint.

### A S S E R III.

N<sup>o</sup>. XLIV. Portio fuperior Offis femoris vetulæ claudicantis in liq. confervata.

Not. Cum Patiens à multis annis fracturam paffa fuiffet, & tandem fupremum diem obiiffet, cadaver ejus cultro Anatomico fubjecimus, & obfervavimus, cervicem hujus offis deficere, & caput rurfus ferruminatum parti offis femoris decliviori, quam ob rem affectum in liq. confervare mihi animus fuit, ne quis de veritate anceps hæreret. Vide ulterius, quid in Thef: VIII. fuper hac re fcripfi, & delineari curavi.

N<sup>o</sup>. XLV. Corculum fœtus humani in forma ficca præparatum, & fupra fruftum rupis pofitum, in quo utriufque auri-



auriculæ forma & naturalis magnitudo conspici possunt.

Nº. XLVI. Phiala in liquore continens magnam portionem Piæ Matris Hum., cujus arteriolæ in totum sunt repletæ, unde summam rubedinem induit.

Nº. XLVII. Portio intestini jejuni ex homine, super pedamentum exiguum, in qua juga, valvulæ conniventes, vulgo dicta, non solum in conspectum veniunt, verum etiam arteriæ per illa juga dispersæ & repletæ, ut & dicta intestini & menterii cellulofitas membranacea.

Nº. XLVIII. Quæ hic sequitur historia, adeo rara, ut captum hominis fere superet, neque aliquis facile calculum addet, nisi ipsemet propriis viderit oculis, & testimonia sequentia legerit; imo cum Cl: Professore Bartholino, in tractatu suo de insolitis partus viis, dico, me vereri, ne putent historiarum medicarum ignari, me novas fabulas narrare, cum interim vera sint, quæ profero, sc:

Anus quædam, (in insula de Wester-Schelling dicta) & adhuc (ni fallor superstes,) annum agens 78, Anno præterito, vomitu per os rejecit Animalculum, caniculo simile, in quo luculenter visui occurrunt, caput, os, lingua, oculi, pedes, cauda, & funiculo umbilicali simile quid.

Dictum animalculum gratis mihi oblatum, simul cum burfula crassa, ficum rotundam & planam referente, in qua, loco secundinæ, hæsit.

Post oblationem petii ab eo, qui mihi miserat hunc partum, ut me certiozem faceret de rei veritate, & ut expiscaretur ex iis qui interfuerant, cum eructaret illum dicta vetula, itaque sequentes ei quæstiones transmisi, ac rogavi ut indicaret

1. Nomen patientis.
2. Ætatem ejus.
3. Locum, ubi contigerit.
4. Rationem victus ejus.
5. Quis præsens fuerit cum per os eructaret?
6. Quænam incommoda, ante & post rejectionem, passa fuerit?
7. Quo in liquore conservarint post rejectionem?
8. An magnitudo ejus jam fuerit imminuta?

9. Et

9. Et ultimo, an integumentum, quod veram repræsentat Bursulam crassam, apertum fuerit in rejectione, an verò studio cultelli, vel forcipe factum?

*Sequitur responsio.*

1. Nomen ejus *Grietje Willems*, uxor *Adriani de Leeuw*, piscium venditoris.

2. Annos agens septuagesimum octavum.

3. Habitat in Pago, qui vocatur *Wester-Schelling*.

4. Ante rejectionem appetitus non nihil erat poltratus & in rejectione adedò anxia, ut jam jam videretur moritura, ita ut

5. *Jacomina Alberts*, quæ filia est filiæ dictæ patientis, coacta fuerit materteram suam illicò advocare, ut & alias vicinas mulieres.

6. Jactaverant primo in testam quandam, & ex ea denuò exemptum, indiderunt Phialæ spiritu vini repletæ, & tandem addiderunt, in ejus conservationem, (uti putabant) oleum olivarum, unde jam nonnihil imminutum est.

### A T T E S T A T I O.

*Nos subscripti testamur hæc omnia hausisse ex ore patientis, nec non ex ore ejusdem mariti & aliarum mulierum, quæ cum eructaret animalculum adfuere.*

ADRIANUS BYMAN.  
*Verbi Divini Minister.*

ADRIANUS KLEYN..  
*Prator Substitutus.*

Si quis interim fidem huic rei deneget, adeat vetulam dictam, quæ adhuc (ut puto) superstes est: ego, de veritate hujus rei dubitare nequeo, propterea quod impostores, qui hominibus imponere conantur, id lucri gratia ut plurimum faciunt; hæc autem vetula ne hilum quidem inde lucrata fuit, gratis enim mihi oblatum est.

In hoc partu, aut rejectione per os, consideratione dignum cen-

cenſeo, ſc: quod dictum Animalculum membris perfectis inſtructum, non hæſerit in membranis Chorio & Amnio, ſed è contrario in burſa craſſa & plana, cui annexum erat Funiculo umbilicali analogum quid. Vid. Tab. II. Fig. II. & III.

Quamvis hic videar latum campum differendi aperuiſſe, L. B., mihi tamen animus non eſt, diu in eo morari, aſſumerem enim materiam viribus meis haud æquam, nec humeri eſſent ferendo, itaque potius illud Philoſophis relinquam, utpote in rebus tam abſtruſis perſcrutandis magis verſatis.

Præterea Theſauri limites excederem, cum mihi tantum propoſuerim illa deſcribere, quæ in hoc nono Theſauro reperiuntur; eâ ratione quoque brevitati ſtudere cogor, in citandis auctoſibus, qui de prodigioſo partu per os & anum ſcripſerunt. vid. Ephemerid. An. r. obs. 108. nec non 109. & diſſert: inaugural. Dn. Joh: Jacobi Stangii. &c.

Itaque ad ulteriorem Theſauri deſcriptionem me conferam; unicum hoc tamen, tanquam Problema proponens, ſc: utrum impoſſibile habendum, dictam burſulam cum ſuo contento, Atheroma fuiſſe? cum in confeſſo ſit, varias corporis partes repertas eſſe in ejuſmodi tumoribus, immò in Theſauris meis reperiuntur, quæ hic pro Atheromate certare videntur, ſc: Racemus Dentium à me in Ovario muliebri repertus, Capilli, Pili, &c.

Nº. XLIX. Pedamentum ex ligno indico, ſupra quod poſitum Hepatis fruſtulum è corpore humano, in quo luculentiffime apparet apparentia nova, de qua paulò inferius.

Nº. L. Pedamentum ex eodem ligno, in cujus medio comparet Brachium foetus humani immaturi balfamo conditum & induratum, in cujus pugno continetur faſciculus Pilorum, variis locis ſubſtantia lapidea, Lithophyti inſtar, obſitorum.

Dictum faſciculum per vias urinarias rejecit Matronda quædam, ſimul cum purulenta materia; an ex Atheromate Veficæ in Abſceſſum converſo? Vid. Tab. II. Fig. I.

Circa Cubiti flexuram reperitur faſciculus Pilorum humanorum in Atheromate Omenti cujuſdam mulieris, poſt mortem à me inventus & deſcriptus in Obſervat. meis Anatomico-Chirurgic.

A lateribus hujus pedamenti comparet Capillorum copia cujuſdam Virginis ſponte à Capite in gremium ipſius prolapſa,  
 D idque

idque digitum transversum à Capite, & quod notatu dignum, prociderant à totius Capitis circumferentia, tanquam forcipe simul abscissi, & quidem momenti temporis spatio, retulitque nobis illud sextâ vice fuisse, quod sibi hoc desfluvium contigerit.

De veritate hujus rei dubitandum non est, quoniam, dum viveret admodum honestam & sinceram traduxit vitam, cujus parens quoque homo frugi, honestus, atque etiamnum superflus, praxin medicam Harlemi exercens, cui nomen Butlero.

In illa Virgine, quæ jam ultimum obiit diem notatu quoque dignum existimo, sc: quod eodem tempore, quo supradicti pili sextâ vice prociderant in ejus gremium, laboraverit alio quoque affectu insolito, sc: à latere Carpi dextri suborta fuerat protuberantia parva, cum dolore intolerabili, ad quam debellandam, sese Amstælodamum contulit, & me vocari jussit, simul cum versatissimis Chirurgis Petro Adr. Verduyn, atque ejus genero Gomaro à Bortel.

Consultum duximus (demulcentibus remediis nil proficientibus) aperitionem instituere, eâque peractâ, invenimus tumorem repletum granulosis, duris, rotundis, albis corpusculis, capitæ aciculæ minoris magnitudine, quæ tam firmiter Tendinibus Musculorum erant affixa, ut vix potuerimus avellere; dolore porrò perseverante, denuò fomenta demulcentia adhibita sunt, verum etiam incassum; itaque ferro candente malum debellare conati fuimus, ast quoque frustra, & sine ullo levamine.

Post aliquot hebdomadas læva manus eodem malo affiebatur, tandemque summis doloribus afflictâ, animam Deo reddidit.

Nº. LI. Brachium infantis in liquore, vitæ speciem repræsentans, in cujus manu continetur Lamella Testiculi in Cartilaginem mutati, prodigiosæ magnitudinis.

Not: prolapsus ab alto patiens quidam, accepit contusionem gravem Testiculi dextri, unde remediis adhibitis, nilque proficientibus in tantam duram molem accrevit, ut tandem non solum pueri caput adæquaret, verum etiam patiens non sine magno incommodo & dolore incedere potuerit; itaque coactus fuit

fuit expertissimum Chirurgum à Bortel consulere, qui me quoque in consilium unà vocavit: cum autem ad munia imposset factus patiens, proposuimus Testiculi extirpationem, sicuti à supra dicto Chirurgo animose & dextre expeditum fuit, primis diebus mediocriter quidem sese habuit, postea verò febre ingruente in pejorem statum redactus, incidebat enim in spasmodum Oris imperfectum, id quod pluries contingit post extirpationem Testiculorum, qui in tantam molem excreverunt: attamen post varia adhibita remedia, convaluit æger, atque etiamnum pancreaticè vivit.

Not: Præterea, post extirpationem Testiculi, pondus erat trium librarum cum semisse, & quod notatu dignum, omnia vascula seminalia Testiculum constituentia, confluerant, & cartilaginea erant facta.

Totum hoc objectum in lamellas dissectui, quarum aliquot reservo, eratque diameter intimæ lamellæ vii. unciarum seu pollicum. Vid. Tab. III. Fig. 1.

A latere hujus lamellæ, quæ hic continetur in phialâ, adjacet quoque portio Uteri mulieris, cujus superficies interior corrupta, in aliud esse mutata, & plurimis tuberculis Piperis nigri magnitudine obsita.

Nº. LII. Portio Cerebelli humani, in cujus facie exteriori & inferiore videndam sese exhibet, subdivisio Corticalis substantiæ in innumeras particulas, sicuti antehac depingi curavi in Epist: Anatom: problem.

Præterea oculos quoque incurrit, quo modo Cerebello inciso, ramuli arborum repræsentantur.

Nº. LIII. Phiala sicca, in qua conservantur Arteriæ per Cerebrum & Piam Matrem dispersæ, ceraceâ materiâ rubrâ repletæ, quæ substantiâ adeo sunt teneræ, ac si vasa essent Lymphatica, id quod forsan, & quidem facile aliis imposuit, statuentibus per Cerebrum ejusmodi Vasa esse dispersa, quæ tamen nunquam inveni, neque ab aliis vidi demonstrata, itaque illa inter exequias recenseo, cum ita dictis Glandulis Corticalis substantiæ Cerebri.

Interim ratio inquirenda esset hujus teneritatis, & quare Arteriæ per Cerebrum & Piam Matrem decurrentes tam teneræ sint substantiæ; si enim tantummodo essent destinatæ

ad sanguinem arteriosum ducendum versus Cerebrum, quorum illa teneritas?

Ego (salvo aliorum iudicio) censeo, totum illud, quod confici existimarunt auctores in præteritis Glandulis Corticalis Cerebri substantiæ, illud fieri in Vasculorum Arteriosorum extremis; & cum spiritus animales sint corpuscula subtilissima instar spiritus vini toties cohobati, ut, si quis ab altiore loco guttatim illum vellet effundere, ne guttula quidem avolando, ad terram perveniret; sic quoque spir: animales, cum sint, uti puto, non minus subtiles, quam memoratus spiritus vini toties cohobatus, indiget forsitan quoque in conficiendis spiritibus animalibus machinâ, texturâ tam tenerâ, uti sunt dictæ Arteriolæ, quæ repletæ ne minimum quidem attactum perferre possunt sine ruptione, id quod non putarem ullis in partibus corporis nostri locum habere.

Quicumque mecum domi meæ viderit quanta sit diversitas inter extremitates vasorum sanguineorum Viscerum, ratione structuræ, reptatus & substantiæ, facile mecum sentiet illud non frustra esse à natura (cujus Opifex Deus est) ita constitutum.

Olim depingi curavi & publicavi figuram Renis humani, in qua repræsentavi cursum Arteriarum Renalium; enimverò, Venarum distributionem repræsentare non poteram, nam replendo Arterias, simul quoque replebantur venæ, & sic confundebantur inter se propter Anastomoses.

Jam verò aliam viam ingredi coactus, replevi illorum Venas, & tanto artificio, ut non minus ultimi Venularum ramusculi tomenti, vel telæ aranearum instar tenues, oculis armatis luculenter conspici possint: sed quanta differentia inter reptatum Arteriolarum & Venularum Renalium! cum primâ vice illud adspicerem, eram attonitus, & quibuscumque hoc demonstravi, obstupuerunt.

Si Deus T. O. M. longiorem mihi vitam concedere dignetur, per figuras publicare decrevi veram Renis structuram, toto cœlo diversam, quam ab aliis hætenus factum vidi.

Nº. LIV. Phiala in liquore continens Cerebri humani portionem, in qua comparent Nervi Olfactorii, Trunci Arteriarum Carotidum, Pia Mater Arteriolis repleta, nec non  
Arteriæ

Arteriæ Cervicales abscissæ, cum illarum unione cum Carotidibus Nervi Optici, uti & Cerebellum integrum; ne autem hoc objectum suo recederet loco, ramum Arboris Pomi Aurantiæ apposui.

Supra operculum phialæ reperitur rupes confecta ex Conchilibus, ramis Arteriosis (loco Corallorum rubr.) intertextis.

Nº. LV. Lien humanus grandinibus obsitus, quas olim pro Glandulis habuerunt auctores, cum interim nil sint nisi tubercula, quæ Glandulas mentiuntur, & ab obstructione extremitatum vasorum oriunda.

Supra operculum conspicitur quoque rupes parva, in cujus medio excavato posita est phiala, in liquore continens portionem Lienis humani; cum autem ejus membrana ablata sit, nil comparet, quam vasa sanguinea Lienem constituentia.

Nº. LVI. Pedamentum ex ligno indico, supra quod posita phiala liquore repleta, in qua videndum sese exhibet caput infantis viventis speciem repræsentans, cujus Prolabia, ut & cuspis Linguae rubicunda: cum autem Oculi clausi sint, dormientis caput repræsentat: nullas quoque rugas præternaturales aut foveas contraxit cutis, id quod gratiam conciliat aspicientis oculis.

Scutellâ Cranii ademptâ in conspectum veniunt Nervi Olfactorii, gaudentes adhuc Piâ Matre, qua obducuntur, cum suis vasculis sanguineis repleta.

Plexus choroideus inter relictas Cerebri Arterias visui quoque occurrit.

Dura Mater, serici albi colore superbit.

Pinguedo subcutanea naturalem quoque retinuit colorem.

Supra operculum hujus phialæ alia quoque phiala posita est in exiguæ rupis cavo, repletis Arteriis undique ornata, & in illa phiala videre licet portionem Cerebri humani, cujus cortex summam rubedinem, propter vasculorum repletionem ceraceæ materiæ rubræ, induit.

Nº. LVII. Portio magna Placentæ Uterinæ humanæ, ex meris vasis sanguineis composita, suntque illa vasa flava propter materiam flavam, qua usus sum.

Horum extremitates succosæ aut pulpôsæ, hic oppido quam bene apparent.

Nº. LVIII. Phiala sicca & in ea sceleton foetus immaturi sex circiter mensium, cujus manus ossea elevata continet vesiculam Felleam humanam apertam, in cujus cavo cernuntur variæ cellulæ membranôsæ, calculos subnigricantes continentes, quos capite elevato adspicere videtur.

Nº. LIX. Pueri Hepar, tam artificiose præparatum & repletum, ut omnes ultimæ ramusculorum vasorum extremitates in conspectum veniant.

Cum mihi à longo tempore innotuerit, Hepar ex solis vasis sanguifluis & nullis Glandulis constare, sicuti descripsi & delineari curavi; id autem repræsentavi in Jecore dissoluto propriâ membranâ ambiente adempto, & in liquore conservato.

Cum autem in illa præparatione extremitates vasorum recedant à naturali reptatu & loco, aliam quoque viam incedere consultum duxi; itaque replevi vasa, totumque Hepar peculiari artificio balsamo induravi, quo factò, integrum illud viscus, ne membranâ ambiente quidem ablatâ, visui expono, & sic ultimæ extremitates pulpôsæ vel succosæ luculenter in conspectum veniunt formâ rotundâ & ceu stellatâ, nullâ peculiari membranâ succinctæ; hæ extremitates à Malpighio vocantur *Acini hexagoni*, & totum hepar ab eodem appellatur *Glandula conglomerata*, cum interim nullis gaudeat particulis, per se subsistentibus, & propriâ membranâ præditis, quo sine nullam partem Glandulæ nomine insigniri voluerunt Anatomicorum Principes.

Quatenus totum Hepar pars mollis est, quod per se subsistit, & propriâ membranâ ambiente amictum est, non male dicitur Glandula; sed dico, neutiquam constare ex Glandulis, & si quis contrarium sustineat, demonstrat illud tam luculenter, uti ego exhibeo, quicquid dico.

Ithæc res non male conferri potest cum pomis ac piris, horum pedicellus ex plurimis fibris tubulosis constat, quæ, cum ulterius pervenerint, molliores atque molliores factæ, in pulpôsam substantiam degenerant, in qua succus continetur,



netur; sic quoque in Jecore humano non abfimili modo in Vasorum ultimis extremitatibus pulposis Jecoris continetur quoque sanguinis serositas, cujus rei analogum demonstro in hac meâ præparatione; nam post repletionem omnium extremitatum vasorum, materia instar roris aut fumi exitum quæsitit ex ultimis pulposis extremitatibus, & hoc luculentissime videri potest in hoc objecto supra citato, præsertim si claræ luci objectum expositum, oculis armatis inspiciatur. Vid. Tab. I. Fig. I.

Quicumque illud domi meæ viderit, facillimè prætersarum Glandularum existentiam in interiore Hepate renuet, & pro certo mecum habebit, ita dictas Glandulas Hepatis nil esse nisi continuationes vasorum sanguineorum, quæ degenerarunt in ejusmodi fasciculos pulposos subrotundos & stellares.

Observamus quoque in Brassicâ Pompejanâ, seu floridâ (Belgice *Blom-kool*) sc: caules tandem fastigiari in flores, qui flores nil nisi efflorescentiæ caulis, neutiquam per se subsistentes, sed caulis veræ continuationes.

Dixi superius ceraceam materiam rubram (sicuti sanguis in corpore vivo) ex extremis vasculis in mea repletionem roris instar exitum quærere; noli autem L. B. illud pro vitiosa repletionem & præternaturali evagationem habere; tunc enim non roris instar, sed globulorum in modum illa exiret.

Cum primâ vice hæc apparentia in oculos meos incurret, tanquam attonitus, in illa verba erumpebam, Bone Deus quàm admiranda sunt tua opera, quæ mihi hic revelas in rebus, ne minutissimis quidem exceptis! nam ut verum dicamus, res haud parvi est momenti, jam posse oculis exhibere, quæ tam diu hætenus recondita fuerunt & fugerunt sensus nostros, sc: Hepar humanum integrum, propriâ membranâ amictum, sine decoctione, (ut facere assolent Anatomici, ut prætersarum Glandularum existentiam stabilirent) absque excarnatione futili, (uti ab aliis adhuc factum video) sine ulla adhibita vi, in conspectum posse producere ultimas extremitates vasorum sanguineorum hepatis in proprio situ & statu naturali.

Isthæc admiranda præparatio causam pro me dicet contra-  
adver-

adversarios, dicentes, Ruyschium in sua excarnatione annihilare & delere Glandulas Hepatis.

Operculum hujus Phialæ superbit quoque alterâ phialâ, varia frustra Hepatis humani continente.

Dictum Hepar ope balsami nostri in ligneam duritiem reductum, in frustra lamellatim secui cultello acutissimo; & quod notandum, in illis lamellis à latere conspectis, æquebene succosæ extremitates comparent, ac arbusculæ in lapidibus figuratis ferrâ in lamellas divisas: non solum hoc experimentum feci in Hepate multoties, verum etiam ad incudem revocavi Lienem, & Renes, in quibus non minus dictæ extremitates vasorum succosæ sese videndas exhibent: O quanta diversitas occurrit in istis apparentiis!

Jam ut vela contraham, me ad sequentia conferam, quæ etiam artificiosissime sunt præparata, sc:

Nº. LX. Duo Renes pueri, vitæ speciem referentes; horum alter suspenditur in phiala à capillo, idque in liquore; superiori parti Renis adhuc insidet Ren succenturiatus, quemadmodum Glans Quercina cupulæ, secus ab auctoribus factum in illarum figuris.

Nº LXI. Phiala ficca, in qua vituli splen, cujus extremitates pulposæ in totum sunt ablatae, id quod factum per Venam, ejusque sulcos, qui loco venæ sunt in vitulo, non autem in homine; & quod hic notatu dignum, membrana Lienem ambiens, nusquam læsa est.

Supra operculum phialæ, vituli Ren reperitur, eodem modo præparatus, nisi quod membrana ambiens sit ablata, ut fibræ transversales, seu stamina ligamentosa, luculenter videri possent.

Hæc stamina neutiquam habenda sunt pro Nervis, id quod perperam factum ab auctoribus, etiam haud infimi subsellii.

Nº. LXII. Pedamentum maximum ex ligno indico xvii. phialis instructum, in quibus continentur ea quæ ad stomachum & intestina pertinent. Inter illas Lit. A. notata, continet stomachum Gigantææ fœminæ prodigiosæ magnitudinis: supra cujus operculum in conspectum venit Auris marina magna, in cujus cavo continetur stomachus foetus humani

recens

recens nati, obfitus plurimis ramis arteriosis, repletis instar Coralliorum rubrorum.

Lit. B. Phiala instructa portione intestini coli ejusdem foeminae supradictae, quae tantae capacitatis, ut foetus humanus septem mensium a gestatione, in illa abscondi possit.

Supra ejus operculum, oculos quoque incurrit Auris marina magna, & in ea varia frusta intestinorum, sc: Intestini Jejuni cum sui Jugis, seu valvulis conniventibus *Kerchringii*; intestini ilei cum vasis sanguiferis repletis; ut & ilei cum portione annexa Mesenterii, Hydatidibus copiosis repleta; nec non intestini canis, cujus vasa peculiare quid in se continent, ratione vasorum: haec omnia in formam siccam conservata sunt.

Lit. C. Phiala, in qua continetur in liquore susceptio intestini ilei ex homine.

Lit. D. Portio Stomachi, cujus structura Tunicae villosae admiranda videri potest, idque vasis non repletis.

Lit. E. Portio intestini hominis, corpusculis minoribus in agmen sitis, quae Glandulae audiunt, obsita.

Lit. F. Os Stomachi foetus humani apertum, ut rugae longitudinales facie interiore conspici queant, suntque rubicundae, propter vasorum repletionem.

Lit. G. Portio intestini jejuni, in qua Juga, seu valvulae conniventes non solum, verum etiam Papillae nervae conspiciuntur.

Lit. H. Phiala sicca, & in ea portio intestini pueri, in qua Tunica cellulosa ceracea materia rubra repleta est; praeterea occurrunt Papillae nervae, idque in objecto sicco.

Lit. I. Tunica villosa intestini humani a Nervea separata, ita ut non dubitandum sit, quin sit vera Tunica, non autem mucosa substantia, uti voluere Anatomici: haec etiam ob eandem rationem rubra.

Lit. K. Portio intestini coli circa Rectum abscissa, in qua magna & varia ulcera, a praegressa Dysenteria producta.

Lit. L. Portio intestini ilei inversi, in qua variae, ita dictae, Glandulae solitariae reperiuntur.

Lit. M. Phiala sicca, in qua reperitur portio intestini canis, in qua occurrunt glandulosa corpuscula numerosa.

Lit. N. Phiala in liquore continens portionem intestini Ilei è puero, per quam vasa fanguinea repleta maximo numero repunt.

Lit. O. Phiala sicca retinens portionem Mesenterii, per quam Glandulæ sunt dispersæ, quæ ex vasculis miro reptatu decurrentibus constitutæ sunt, & luculenter videri possunt.

Lit. P. Portio Stomachi humani, cujus vasis fanguineis repletis, in conspectum venit admiranda structura intimæ Tunicae.

Lit. Q. Portio Coli è puero, per cujus superficiem anteriorem variæ occurrunt foveæ, capitis aciculæ minoris magnitudine, quæ glandularum nomine nuncupantur ab auctoribus.

Lit. R. Infantis intestinum Cœcum, longe aliter dispositum, quam in corpore hominis adulti.

Nº. LXIII. Pedamentum ex ligno indico, & supra illud rupes, in cujus medio reperitur cor humanum balsamo induratum, in quo nonnulla occurrunt, quæ notatu digna censeo.

1. Ex Cordis substantiâ prodeunt variæ venulæ, quæ sese exonerant in Auriculam dexteram, ita ut omnis sanguis è Corde redux, non derivetur ad venam coronariam, uti ab auctoribus traditum.

2. Oesophagus, qui circa hoc objectum ex parte remansit, non rectâ viâ & perpendiculariter descendit, sed tortuoso & incurvato tramite; id quod in homine vivo aliquando contingere potest à convulsione, & hinc cibi deglutitio læsa.

3. Exortum Arteriolæ Bronchialis in hoc objecto, supra Arteriarum Intercoostalium exitum emergere, hic conspicuum.

4. Cum omnia vasa in hoc Corde repleta sint, illorum cursus naturalis videri potest, & longe quidem distinctius, quam in objecto recenti.

5. Utraque Auricula repleta, vera illarum figura, seu forma in conspectum venit, quæ longe differt à figuris ab auctoribus exhibitis.

A S S E R IV.

Nº. LXIV. Phiala ficca, in qua Passeris sceleton nitidissimum.

Nº. LXV. Truttæ, piscis sceleton.

Nº. LXVI. Duæ Linguæ puerorum in liquore, quarum superior hoc peculiare habet, quod per ejus medium decurrentem videamus Arteriam repletam: præterea in utraque visuntur Papillæ Linguales per superficiem dispersæ.

Nº. LXVII. Portio Venæ Jugularis ex Equo.

Nº. LXVIII. Portio Ossis Frontis & Nasi, in qua septi nasi pars cartilaginea non solum obducta comparet integumento exteriori & crasso, quod membrana pituitosa vulgò audit, verum etiam Epichondrio suo sub illo, quo, in homine vivo unguibus aut ab alia causa, abrato, difficulter novo obducitur.

Nº. LXIX. Portio Intestini Ilei, cujus Vasa sanguinea ita sunt repleta, ut objectum totum sit rubicundissimum.

Nº. LXX. Pedamentum Pulmone & corde instructum ex infante.

Not. Cor naturalem retinuit locum, ut & magnitudinem, etiam si balsamo præparatum & induratum.

Auricula dextera, ceraceâ materia repleta, naturalem quoque reservavit magnitudinem & formam, id quod etiam intelligendum de trunco superiore & inferiore venæ cavæ.

Tres tantum ramos emergere ex trunco Arteriæ Aortæ sursum tendentes in statu naturali, hic etiam palam est.

Cum Pulmo quoque repletus sit dictâ materiâ, naturalem magnitudinem in illa ætate repræsentat, sc: quam in inspiratione obtinet.

Præterea dexter lobus in tres, sinister verò in duos dividitur lobos, id quod ut plurimum & fere semper reperi in hominis Pulmone.

Supremum & eminent vas, Aspera Arteria est, quæ situm quoque retinuit in illa præparatione.

Nº. LXXI. Placenta Uterina integra & expansa super suberem, cujus vasa sanguinea repleta sunt, sc: binæ Arteriæ umbili-

bilicales & Ven: Placentæ ceraceâ materiâ albâ, vena autem rubrâ.

Nº. LXXII. Pedamentum ut supra, cui imposita est phiala liquore repleta, & in ea portio Spinæ Dorfi, in duas partes divisa, ut caudæ equinæ portio in una parte, & spinalis medullæ in altera sese conspiciendas exhiberent, & hæc omnia tanquam in statu vivo.

Nº. LXXIII. Cerebri ut & Cerebelli transversim sectorum, pars inferior, balsamo, lapidis instar, indurata, cum Nervis Opticis, Olfactoriis, Infundibulo &c.

Quamvis autem hæc omnia naturalem magnitudinem fere reservarint, colorem tamen amiserunt post indurationem.

Nº. LXXIV. Phiala in liquore conservans, Ossis Femoris portionem supremam cujusdam vetulæ, quæ ante plures annos fracturam Femoris passa fuerat.

Cum autem ultimum obiisset diem, non solum mihi data fuit occasio cadaver inspiciendi, verum etiam Dº. Ger. Sermes, Collegii Medici Inspectori meritissimo, ut & Chirurgo versatissimo J. Borst. Reperimus non solum collum in totum deficere, verum etiam naturam, loco dicti colli, substituisse Ligamenta varia, dura, crassa, teretia, quorum ope caput Ossis Femoris connatum fuerat supremæ parti Ossis Femoris, & quod mirandum, non ex exteriori, sed interiore læsa parte utriusque Ossis, sicuti ex Fig. I. Tab. I. liquet.

Dicta Ligamenta, adeo sunt crassa & fortia, ut patiens per aliquot annos (quamvis claudicans) per plateas incedere potuerit.

Cum autem tale quid nunquam viderim, neque audiverim aut legerim, consultum duxi hunc affectum in liquore conservare, ne quis de veritate hujus rei dubitare possit.

Nº. RXXV. Vitulorum duo Corda, ab Anatomico Excellentissimo Stenone, in meum usum & amicitiaë tesseram, præparata, in quibus fibræ motrices luculentissime in conspectum veniunt; & quod notandum, hæc duo objecta sunt ultima, quæ ante obitum præparavit, ita ut illa in ejus memoriam reservaturus sim.

A S S E R V.

Nº. LXXVI. Portio Intestini Jejuni hominis, in cujus superficie internâ propullulant Papillæ nervosæ, de quibus in posterum plura dicere decrevi.

Nº. LXXVII. Asperæ Arteriæ exsiccata portio, cujus ramuli sunt expansi, & horum unico adhæret lobulus unus inflatus & exsiccatus.

Nº. LXXVIII. Phiala in liquore reservans portionem Ductus Hepatici, cujus Tunica intima calculosâ materiâ est obfusa, idque ex bove.

Nº. LXXIX. Phiala in liquore continens ramulum Arteriæ Pulmonalis, cujus extremitates oppidò quam bene in conspectum veniunt, propter repletionem.

Nº. LXXX. Phiala sicca, in quâ tres Calculi triangulares è Vesica fellea hominis, qui tam leves sunt, ut aquæ innatent.

Nº. LXXXI. Phiala sicca continens portionem Intestini Recti humani, in qua corpuscula rotunda (quæ Glandulæ nuncupantur, & mihi nil, nisi vasculorum sanguineorum extremitates sunt) extra superficiem internam propullulant, & in forma fovearum antea comparebant; illa autem, post præparationem & balsamationem, tuberculorum modo sese exerunt.

Hinc patet, quam necessarium sit, partes corporis rite & variis modis præparare, ut vera constitutio oculos incurrat.

Per illarum Arteriolarum extremitates, serofus latex exoneratur, in cavitatem Intestinatorum, ad illorum lubricationem: id quod palam fit per repletionem Arteriæ Mesentericæ; nam replendo ejus ramulos ceraceâ materiâ, per has dictas Glandulas, ubique excurrit in cavitatem Intestinatorum; si autem essent particulæ per se subsistentes, & propriâ membranâ obductæ, talis materia vix ac ne vix quidem, tam facile transiret in cavitatem Intestinatorum.

Præterea in hac portione Intestini, tanta copia Pororum sensum incurrit, ut ne cuspis quidem acus inferi possit absque illorum tactu; monendum interim, mihi oculus esse armandum, ut luculenter in conspectum veniant, propter

exilitatem; ast qui gaudent visu acutiore, absque adminiculo illos videre possunt.

Nº. LXXXII. Pueri Genu supra frustum rupis positum, in quo sensui subjicitur vera distributio vasorum sanguineorum in Cute humanà, quæ planè discrepat ab illà, quæ viscera, sc: Hepar, Lienem, Renes, & alia constituunt.

Nº. LXXXIII: Portio Hepatis hydropici, in totum in vesiculas crassas mutata, ita ut omnia vasa, eorumque extremitates hydatidum naturam induerint. Vid. aliam portionem delineatam. Thef. I.

Nº. LXXXIV. Portio Arteriæ Splenicæ vitulinæ repleta.

Nº. LXXXV. Testiculus humanus, cujus Tunica propria ablata, videre licet verum reptatum Vasculorum, feminis rudimentum conficientium.

Nº. LXXXVI. Phiala in liquore conservans, foetus humani immaturi Pulmonem: cum autem hic in fundo phialæ reperiatur, infallibile signum est, foetum in utero materno fuisse denatum.

Nº. LXXXVII. Phiala liquore repleta, & in illa portio Pulmonis humani, cujus vasa sanguinea innumera repleta sunt; cum autem Vesiculæ pulmonales non sint repletæ, vasorum cursus oppidò quam bene videri potest.

Nº. LXXXVIII. Phiala in liquore continens portionem Testiculi humani, non solum dissoluti, verum etiam à contento feminis rudimento, arte evacuati, ut veram tenuitatem vasculorum feminis rudimentum conficientium videre liceret, quæ vascula adeo tenuia sunt, ut fere telam araneorum adæquent. Vid. Tab. III. Fig. III.

Nº. LXXXIX. Ren pueri, in quo vasorum sanguineorum verus cursus comparet, non uti Domini Vieussenii figura præsentat, cum multis arcubus, (id quod in homine locum non habet) sed sicuti revera reptant.

Nº. XC. Phiala in liquore continens, portionem magnam Pulmonis humani, per quam numerus Arteriarum affatim reptit, in proprio situ & cursu.

Nº. XCI. Portio Thoracis foetus humani balsamo indurata.

Nº. XCII. Capsula continens duos calculos ingentes, quos Gommarus à Bortel, Chirurgus & Lithotomus Amstelodamensis



menfis expertiffimus, extraxit per incifionem (ficuti facere afo-  
lent in sexu virili) ex muliere LXVIII. Annos agente.

Hanc operationem præftitit in mea, & præfeftorum Col-  
legii Chirurgici præfentia, & quidem tam dextre & citò,  
ut feliciorẽ calculi operationem ne unquam quidem vide-  
rim factam; & quod notandum, ne ullum quidem sympto-  
ma hætenus patienti fupervenit. Vid. Tab. v. F. I. & II.

Ejufmodi operationem ante aliquot hebdomadas quoque in-  
ftituit dictus G. à Bortel, feliciffimo cum fuffeffu in puel-  
la, cujus calculi figura III. notata in eadem Tab. repræfentatur.

In Gallia Lithotomi hoc tempore operationem quoque eod-  
em modo efficiunt in sexu fequiore, fc: incifione, ficuti in  
sexu virili.

Methodum operandi defcripfit quoque Chir. expertiffimus  
Dionis.

Dictam operationem vidi olim factam ab alio, in illa arte mi-  
nus verfato, & quidem infeliciffimo cum fuffeffu, facta inci-  
fione in vulva ipfa.

Interim fatius fore exiftimo, hanc operationem perficere  
poft dilatationem Urethræ, forcipibus adæquatis, cum cal-  
culi fint exiles; fi majores verò, per incifionem, ficuti in vi-  
ris, ut incontinentia urinæ evitetur.

Nº. XCIII. Embryo pifcis Narwal, f. unicornu Groenlandi-  
ci, in liquore. Vid. Tab. V. Fig. V.

Quæ fequuntur, interiori valvulæ Thefauri adhærent, nempe

Nº. XCIV. Membrana quædam, cujus arteriæ mercurio  
vivo funt oppletæ.

Nº. XCV. Vefica fellea bovina, quæ videtur gemina, pro-  
pter bifurcationem; fed cum unicus tantum fit ductus Cyti-  
cus, gemina dici non meretur.

Nº. XCVI. Portio Inteftini Coli, prodigiofæ magnitudinis  
aut capacitatis.

Nº. XCVII. Portio Thoracis pueri, cujus Mufculus inter-  
coftalibus fupernitibus, illorum tractus fibrarum cruciformis  
luculenter videri poteft.

Nº. XCVIII. Atheroma offeum in Pulmone bovino repertum.

Nº. XCIX. Portio Pulmonis humani in forma ficca, in qua  
comparent veficulæ Pulmonales naturali magnitudine & capa-  
citate,

cite, sc: in inspiratione, suntque admodum exiles.

Nº. C. Portio Pulmonis ovini, ita præparata, ut vesicularis substantia in conspectum veniat, suntque vesiculæ minores, respectu vesicularum humanarum.

Nº. CI. Duo Renes ovini, prodigiosæ magnitudinis propter illorum extensionem præter naturalem ab impedito urinæ stillicidio versus vesicam.

Not. 1º. Ureteres versus Renes in tantam molem sunt extensi, ut Pastinacam crassam recipere possint, versus Vesicam angustiores facti, tandem singuli desinunt in Vesiculam rotundam nucis juglandis magnitudine. In hisce vesiculis, seu expansionibus, ubi cum vesica urinaria uniuntur, relictum est foraminulum minutissimum, per quod urinæ locus quodammodo dabatur vesicam intrandi.

2º. In utroque horum Renum extremo superstes remansit portio Renis ceu bene constituta, spatium autem intermedium est membranaceum, propter enormem expansionem.

Nº. CII. Foetus gemellorum coalitorum porci, qui ita coaluerunt, ut unico tantum gaudeant ventre.

Nº. CIII. Portio Intestini Coli ex caballi foetu, cujus valvulæ coli sunt unitæ, ita ut moriendum fuerit foetui in lucem edito.











Fig. I.

Fig. II.




Fig. III.

J. Mulder ad vivum Sculp 1713

21

# E X P L I C A T I O T A B U L A R U M T H E S A U R I N O N I .

## T A B U L A I .

**FIG. I.** Indicat ossis Femoris partem superiorem, seu caput. A. Ducti ossis Epiphysis.

B. Ligamenta crassa, dura, quæ loco cervicis Epiphysin, seu caput ossis cum Trochantere majore conjungunt: hæc ligamenta non ex exteriori, sed interiore utriusque superficie emergunt.

C. Denotat defectum cervicis ossis Femoris, utpote in totum deficientis.

**FIG. II.** Denotat crus foetus humani, ex Atheromate Placentæ uterinae dependens.

A. A. Est Funiculus umbilicalis.

B. B. Atheroma, in medio placentæ subortum, quam Placentam Vulcano tradiderunt, ob superstitionem veterem.

C. Crus.

D. Pes extremus cum tribus digitis pedis.

**FIG. III.** Demonstrat segmentum Cruris.

A. Cutis.

B. B. Pinguedo, sub qua nil Musculosi apparet.

C. Os Femoris abscissum & rotundum.

## T A B U L A II.

**FIG. I.** Demonstrat partem brachii foetus humani, in cujus pugno; balsamo lapidis instar indurato, continetur fasciculus capillorum ceratholithophyti instar calculosâ substantiâ obsitorum.

A. Brachii pars.

B. Capilli.

C. Capilli, in atheromate à me reperti.

D. Capilli, sponte à capite, tanquam forcipe, momento abscissi & decidui.

F

FIG;

FIG. II. Phiala in liquore continens Animalculum quadrupes, Caniculo simile, vomitu rejectum.

- A. Capillus, à quo dependet animalculum.
  - B. Funiculo umbilicali analogum quid.
  - C. Duo pedicelli posteriores.
  - D. Cauda.
  - E. Scapula ex parte denudata, propter continuum attactum hominum.
  - F. Pedicelli anteriores.
  - G. Caput.
  - H. Os apertum, in quo luculentissime videri potest lingua, id quod non satis bene hic repræsentatur.
  - I. Bursula, in qua hæsit animalculum ea superficie visa, ubi erupit.
  - K. Rupes, in cuius cavo phiala posita.
- FIG. III. Exhibet figuram diætæ bursulæ facie posteriore visam.

## T A B U L A III.

FIG. I. Indigitat phialam liquore repletam, in qua reservatur foetus humani brachium, in cuius manu continetur lamella, seu segmentum humani testiculi prodigiosæ magnitudinis in cartilagine mutati: cum autem totum testiculum in lamellas diffecuerim, repræsentavi hic unam ex minimis lamellis.


- A. Superior pars brachii linteo tecta & ligata.
  - B. Digni manus.
  - C. Lamella Testiculi.
  - D. Portio Uteri fæminæ, cujus facies interior maxima parte degeneravit in tubercula rotunda.
- FIG. II. Exhibet portionem cutis plantæ pedis humani, cujus vasa sanguinea adeo sunt locupletata, ut ne cuspe quidem acus, sine læsione vasorum pungi possit; id autem à sculptore hic satis repræsentari non potuit.

- A. Cutis.
- B. Vasa, præsertim arteriosa, quorum reptatus plane diversus ab iis, quæ Lienem, Renes, Hepar, Placentam uterinam &c. conficiunt.

FIG. III. Exhibet Testiculum humanum dissolutum, cujus vascula, à contenta feminali materia arte sunt destituta; hoc enim factò, tomenti instar, tenuia sunt dicta vascula.

- A. Tunica albuginea.
- B. Vascula, feminis rudimentum conficientia.





J. Müller delinavit et sculpsit





TAB. IV.




Fig. II.




Fig. III.




Fig. I.

J. M. Dehn Sculptor





Fig. III.

Fig. IV.

Fig. I.

Fig. II.

Fig. V.

T A B U L A IV.

FIG. I. Juvenis Hepar denotat.

- A. A. A. Substantia Hepatis, ne propriâ quidem membranâ ablatâ.  
 B. B. B. Pulposæ seu succosæ extremitates, quæ tanto sunt numero,  
 ut sculptor vix potuerit omnes hic repræsentare, & si hoc fecisset,  
 integrum Hepar fuisset nigerrimum propter copiam.  
 C. Truncus Venæ cavæ abscissus.  
 D. Truncus Venæ portæ.  
 E. Vesicula fellea, tot vasculis Sanguineis locupletata, ut ne cuspidibus  
 quidem aciculæ inferi possit.  
 F. Ligamentum umbilicale cum suis arteriis repletis.  
 G. Ligamentum Hepatis tertium, quo, suo in loco, continetur He-  
 par.

FIG. II. Exhibet portiunculam membranæ Hepar ambientis, sub qua  
 in conspectum veniunt succosæ & pulposæ extremitates microscopio  
 visæ.

FIG. III. Portionem, ut supra, denotat tali lente visam, quali pul-  
 posæ extremitates ad naturalem magnitudinem propius accedunt.

T A B U L A V.

FIG. I. & II. Duo calculi è muliere LXVIII. annorum per incisio-  
 nem, sicuti in viris, extracti.

FIG. III. Calculi eodem modo ex virgine extracti, facies anterior.

FIG. IV. Eiusdem calculi facies posterior.

FIG. V. Embryo Piscis Narwal, seu Unicornu Groenlandici.



1870

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
1570 SOUTH DIVISION  
CHICAGO, ILL. 60607





F R E D E R I C I R V Y S C H I I

*Anatomes & Botanices Professoris, Academiae Cæsareæ Curioforum  
Collegæ, nec non Regiæ societatis Anglicæ & Paris. Membri,*

T H E S A V R V S  
M A G N V S & R E G I V S

qui est *DECIMUS*

T H E S A V R O R V M  
A N A T O M I C O R V M.

In quo præcipuæ corporis humani partes, ceu in statu  
vivo, nitidissime præparatæ, reservantur.

*Cum Fig. Æneis.*



A M S T E L Æ D A M I,

---

Apud J A N S S O N I O - W A E S B E R G I O S.

M D C C X X I X.

ИЗДАНИЕ ПЕРВОЕ

Второе издание

ИЗДАНИЕ  
ИЗДАНИЕ



ИЗДАНИЕ  
ИЗДАНИЕ



Medicinæ , & Philosophiæ

Cultoribus , salutem precatur

FREDERICUS RUYSCHIUS.

**P**ostquam Andreas Vesalius orbi medico illuxerat, incomparabili de Fabricâ corporis humani conscripto opere , censuere optimi in Arte judices , absolutam jam haberi cognitionem Anatomies : neque verò majoris momenti superesse aliquid , quo ad inventa ejus addito , laudem pararent Posterì : verum aliter longe ipsam se rem habere experti sunt , simulac Accuratissimus Bartholomæus Eustachius inventa sua protulit , summusque inter Anatomicos Gabriel Fallopius , sua in Vesalianum opus observata propalavit.

Ipsè quippe Vesalius , anima profectò candidissima , aperte in suis ad Fallopianas notas responsis agnovit , plurima , eaque pulcherrima , deberi sagaci industriæ  
\* 2 sui

## P R Æ F A T I O.

fui pridem discipuli, & jam antagonista. Neque tamen vel ita spem elegantissima & utilia detegendi, præreptam esse reliquis, post Nobiles hosce Auctores, successu mox egregio nos docuit Julius Casserius, atque Casparus Asellius.

Quin & Guilielmus Harvæus evidenti deinde fuit exemplo, unum se, post tot præclara omnium inventa, diligentia indefatigabili reperire potuisse illa, quæ cuncti ignoraverant, quorumque interim major foret in medicina usus, quam eorum omnium, quæ junctis alii omnes laboribus invenerant.

Splendidissimum autem hoc sidus Britannicum, ut ut multa lumina evanescere coegerit, non impedivit tamen, quo minus Pecquetus, Bartholinus, Lovverus, Willisus, Graafius, Swammerdammius, Malpichius Nuckius, & Du Verneyus, suo micare potuerint jubare. Quid verbis opus est? hac re impulsus ego credidi semper, esse mihi celebrandos ex Hippocraticâ lege labores alienos: ita verò, ut & meâ industriâ hos explorem, adjutem, & si datur corrigendo perficere utcumque ausim conari.

Quare ante quinquaginta elapsos abhinc annos, Bilsii eâ tempestate ante alios omnes Celebratissimi Anatomici, sententiam examinare, rerumque experimentis refutare solus tum sustinui. Veram Venularum Lymphaticarum, Lacteorum canalium, Bronchialis Arteriæ, formam depingere sum ausus; meque jam tum reperisse artem, quâ minimos ultimorum vasculorum reptatus

## P R Æ F A T I O.

tus profequi, detegere, spectandos exhibere, re & verbis publicè professus sum.

Ab eo deinceps tempore, tantæ ætatis decursu, noctes impendi atque dies, ut omni artis molimine notitiam mihi compararem fabricæ illius, quâ hanc nobis construxit machinam Deus.

Visumque fuit Creatori meo, improbum huncce laborem eo rerum successu coronare, ut tandem vicerim obstacula per varias artes omnia: ut acies oculorum meorum tandem se penetraverit in intima recessuum naturæ penetralia: patuit denique post tot conatus, mutatosque toties labores, vera minimarum partium structura.

Statim vero ac ipse hanc addidici, primâ oportunitate natâ, elegantibus harum formarum spectatoribus ita exhibendam eandem curavi, ut & illi meo indicio conspicere potuerint: unde multi candidi rerum æstimatores priora super his animi sensa refellere, corrigere, & novam faciem agnoscere, non erubuerunt.

Nunc igitur, quum ingravescens ætas spem vitæ longam inchoare vetet, in animum induxi pulcherrima inventorum meorum specimina omnium colligere, eaque in unum corpus digerere, ut appellari mereatur **MUSEUM RUYSCHIANUM ANATOMICUM**. In eo autem constituendo, nolui uti pervulgata solius scripturæ viâ; sed proposui ipsa illa per artem meam parta corporis organa, quorum contemplatio mihi ipsi paraverat scientiam. Igitur à Capillo supremo inceptum opus ad intima abditissimorum viscerum meditullia perduxi, neque ullam ex mediis inter hæc extrema partibus omisi.

## P R Æ F A T I O.

Prorsus ut Fibræ, Membranæ, vasis, Glandulæ, Visceris, Cartilaginis, Ossis, Unguis, Pili, uniuscujusque denique particulæ, denudata hic appareat species, & vera à vertice in calcem forma.

Quin etiam addam hic humanum cadaverculum (arte mihi uni propriâ) sic paratum, ut nitor & gratia vitam non modo æquent, imo verò & superent: color enim, torositas, habitus, certè & flexilitas ipsa artuum, quæ in cadavere pereunt, hic conservantur simul, & aliquâ ratione sic emendantur, ut spectantem permulceat & oblectet, utque nisi propriis oculis convictus nemo crediderit rem ita peragi posse: quodque opus hoc maxime commendat, plurima à quinquaginta abhinc annis ita parata non sunt mutata.

Ne autem paucorum modo foret hoc annorum spectaculum, omnia hæc artificio balsamico mihi proprio sic condivi; ut, licet seculum ferant, haud tamen corrumpantur. Quin etiam dedi hanc operam, ut teter laceri cadaveris partium adspectus ita ornamentis emendaretur appositis, ut oculos neutiquam offenderet, atque nec terrorem incuteret, nec excitaret nauseam. Denique partes singulæ numeris inscriptæ, qui respondeant catalogo scripto super his, in quo ad numeros hos, qui designant singula, clara deprehenditur & accurata enarratio. Poterit itaque unusquisque Musæum hoc speculans ex catalogo ediscere Anatomen Ruyschianam omni fastidioso labore, tædio sordidæ attrectationis, vel tetrâ mephiti, liber.

Quisquis itaque Thesaurum hunc possederit, poterit

## P R Æ F A T I O.

rit eo uti, vel ut se oblectet speculatione veræ fabricæ corporis humani, eoque modo animum suum erudiat, vel ut in Academiâ, ubi Philosophiam & Medicinam docetur juvenus, demonstrari queat genuina constructio partium, sicque non verbis, nec conjecturâ, sed ipsâ demonstratione ob oculos poni possit.

Quare etiam Reges ipsi, Principes, Rerum publicarum, aut Academiarum Curatores, nacti hunc Thesaurum, eo Academias suas possent donare duraturo in seculum, ut ornamentum pariter & doctrinæ instrumentum sit perenne atque utilissimum.

Ipse ego, qui hoc perfecit, venale nunc offero, opus dum in vivis dego, ut ante fata suprema certus sim extare monumentum inventorum meorum completum: neque enim me pluribus adscripto facile id fieret. Patet hic Thesaurus videndus in ædibus meis, illis tantum, qui certa habent indicia, quibus constet eos posse & velle totum hunc emere.

Ne autem metuat emtor, hæc peritura esse ubi sibi comparavit, sincerâ fide illi, postquam pretio conduxit, aperiam artem conservandi, quâ utor, & quæ differt ab eâ, qua alii utuntur: meam enim differre docet comparatio eorum, quæ apud me conservantur, cum iis, quæ illi ostendunt. Indicabo itidem modum, quo liquor immersa condians in lagenis parari, & datâ necessitate superaffundi iterum debeat.

Et ne hoc fieri opus sit, ita replebo vasa, & claudam accuratè, ut pluribus annis nulla additione egeant. Tandem, quum expertus sim, præparatas corporis hu-  
mani

## P R Æ F A T I O.

mani partes diversas, varios liquores sibi requirere, in quibus ferventur, aut aliter perdant nitorem, ipsum & hoc secretum illi, ut alia, sub fide silentii revelabo.

Si ergo Principes, Academiæ, Societates, vel privati, capiuntur horum dulcedine, poterunt sibi comparare, quæ arte singulari, continuato fere per annos sexaginta labore, confecta, nusquam in orbe terrarum videnda, neque ulli seculo visa, sunt.



**VIRO**



V I R O C E L E B E R R I M O

FREDERICO RUYSCH, Med. Doct.

Anatomiae & Botanices Professori experientissimo, ac membro  
Caesareae Academiae naturae curiosorum; cum sua ille mihi  
Cimeliarchia, omnibus interioris & reconditae naturae  
ostentis instructissima, in quibus declarandis summum  
Viri ingenium & dexteritas singularis juxta elucent,  
qua est humanitate, aperuisset comiter, ex itinere  
domum reversus, & voti damnatus, hoc  
grati memorisque animi testimonium

*Perfolvi L. M. Q.*

Ipsis idibus Sept. a cio id ccxiv.



*Artis Apollineae decus, & par gloria clarae  
Urbi, quam placidis Amstelae lambit aquis!  
Quo tua commemorem, RUYSCHI, miracula dextrae  
Carmine, quae nuper cor rapuere meum?*

*Dulcia carpentem dum me procul otia Musis,  
Excipit in laetos terra Batava sinus.  
Vix animi compos relego vestigia rerum  
Quas tua tunc oculis obtulit arca meis.  
Scilicet admissus cultor tua tecta tueri,  
Tecta Machaoniis conspicienda bonis;  
Obstupui, longeque sacer comitatur euntem  
Horror, & humana major imago ferit.  
Nec mihi (quae suadent mysteria tanta sileri)  
Si valeam, arcanas prodere fas sit opes.  
Cum tamen humanus trahat immortalia corda  
Vocis honor, trepido verbaque fusa sono;  
Verba, deum augustos caste venerantia vultus,  
Quos licet infra omnis vis cadat eloquii:  
Quid prohibet, reserata mihi Paeonia templa  
Atque decus magni concelebrasse viri;*

A

Qui

Qui clara insistens, amplo fulgore sacerdos,  
 Atria, Phoebigenae sacra vicesque subit?  
 Sancte senex! cui vasta patet natura minoris  
 Mundi, & Daedaleis flexibus apta strues:  
 Abdita qui longe rerum primordia lustrans,  
 Visa prius nulli, detegis arte sagax.  
 Tu quae sit caecis monstras natura cavernis;  
 Te duce, Phoebaeus qua chorus omnis eat.  
 Qui veneranda simul sermonibus ora recludis,  
 Et venit ad partes praesul Apollo tuas;  
 Protinus eu gemini penetras spectacula mundi,  
 Et Proteus rerum quae nova cunque canis.  
 Unde Prometheae ductus tot mille figurae;  
 Quae sua vis cunctis, officique modus;  
 Quaeve laboranti deceat succurrere parti,  
 Et medica tuto damna levare manu.  
 Quo me, Musa, rapis? cerno penetrabilia RUYSCHII  
 Mystica, principibus jam celebrata viris.  
 Unde aliquis, turba in media fere, numine plenus  
 Adstitit, & tales protulit ore sonos:  
 Chironomos jaestet vicina Britannia dextros,  
 Herophilosque citet Gallia tersa suos.  
 Neve repertores sileat, quos laurea Phoebi  
 Aequavit stellis, Itala terra duces.  
 Invidit terris aliis, clementius astrum  
 Battaviae, tantum nomen habere viri.  
 RUYSCHIUS, in medica bonus & mirabilis arte,  
 Unus multorum gloria & instar erit.  
 Unus, cui ratio cum docto spirat amice  
 Usu, nec fallax semita trita placet.  
 Quem, nunc incano redimitum tempora sero,  
 Posteritas laetis frondibus usque colet.  
 Talibus ille modis. Applausit Musa precando  
 Nostra, pium meritis os resoluta viri:  
 Solamen miseris praesens, quem par decus arti  
 Integritas Clarium comprobat esse genus;  
 Vive diu, nomenque tuum celebretur in orbe,  
 Quo venit Batavi dedita fama soli.

J. C. SCHRODERUS.

3

T H E S A U R U S  
A N A T O M I C U S  
D E C I M U S.

A S S E R M A J O R. I.

No. I. **P**Edamentum ex ligno Indico, cui VI. exigua pedamenta rotunda sunt superstructa, quorum

I<sup>m</sup>. Lit. A. notatum, fasciculo gaudet Pilorum, longitudine sesquidigiti.

Hic fasciculus à me repertus est in Atheromate cujusdam mulieris Hydropicæ denatæ, & quidem in ejus Omento, hi Pili microscopio visi, plani sunt.

II<sup>m</sup>. Lit. B. instructum est Capillis, qui sponte, nec non momento, à capite deciderunt, tanquam forcipe essent abscissi. Vide Historiam in Thesaur. IX. descriptam.

III<sup>m</sup>. Lit. C. continet Pilos ex labio superiore Rosmari, Belgice *Walrus*, horum Pilorum radices cavas esse videri hic potest, quemadmodum avium plumæ sunt.

IV<sup>m</sup>. Lit. D. Fasciculum pilorum è corpore quadrupedis Ichneumonis, seu Muris Pharaonis, in desertis Ægyptiacis degentis, de quo mira narrantur ab auctoribus. Vid. plura apud D. Jac. Wernerum.

V<sup>m</sup>. Lit. E. Exiguam portionem Plicæ Polonicæ, cujus descriptio exstat in Sennerto & aliis auctoribus.

VI<sup>m</sup>. Lit. F. Supra quod positus est Fasciculus setarum è dorso Porci Americani desumptus, suntque colore variegato.

Not. Dicti animalis Umbilicum, situm habere perhibent Incolæ Americ. in dorso; cum autem foetum recenter natum nondum viderim, nil certi de hac re affirmare possum: attamen semel cultro Anatomico subjeci dictum animal provecioris ætatis, in cujus abdomine nullum omnino vestigium Umbilici offendi, in dorso verò comparebat Tuberculum, an autem Umbilicus verus, an verò quid simile fuerit, non ausim affirmare?

Hoc tamen observavi, cum cutem aperuissem, oculos incurrebant plurimæ fibræ ab illo tuberculo prodeuntes, per

pinguedinem & dorsi musculos dispersæ, an autem in foetu ejusmodi Fibræ, vasa fuerint, ad foetum alendum, comparata, quæ post partum arescunt, hæreo, nec tamen nego, propterea quod in Thef. 1<sup>o</sup>. Animalium, animal quadrupes delineari curaverim & descripserim, nomine Animal quadrupes, Bufoni simile, è cujus dorso foetus emergunt, idque è rotundis exiguis cellulis, cum funiculis umbilicalibus, nullam communicationem cum abdominis cavo habentibus. Vid. Thesaurum supradictum.

Præterea in Gazophylaceo meo reperitur quoque Cutis Porci Americani integri, in cujus dorso ejusmodi tuberculum quoque reperitur, absque ullo tuberculo in abdomine, & hoc causam cogitandi magis magisque auget, ejusmodi animalia funiculum umbilicalem in dorso gerere.

No. II. Pedamentum, ut supra, VII. exiguis pedamentis rotundis instructum.

Supra 1<sup>m</sup>. Lit. A. notatum, phiala posita est, in liquore continens portionem Cutis humanæ, qua dependet Epidermis, ut & Corpus reticulare Malpighii.

Not. Facies exterior a cute dependens albissima, est Cuticula, facies autem interior subflava, Corpus reticulare dicitur: cum autem Corpus reticulare coloris sit subflavi, cutis verò rubicundissima, propter vasorum sanguineorum repletionem, certissime constat, per Corpus reticulare nulla dispersa esse Vasa sanguinea, quamvis illa depingi curaverit Professor quidam.

II<sup>m</sup>. Lit. B. Phiala, eodem modo instructa, continens portionem Epidermis, seu Epidermidis foetus humani, ex cujus superficie interiore reliquiæ Papillarum cutanearum propululant.

III<sup>m</sup>. Lit. C. Phiala, ut supra, & in ea, portio Epidermis cujusdam viri, laborantis surfuratione cuticulæ horrenda, quæ Lepra vulgò audit, in hujus superficie interiore comparent longe quidem luculentius reliquiæ Papillarum cutanearum.

IV<sup>m</sup>. Lit. D. Portio Cutis capitis humani, quæ tam dense stipatur Vasis sanguineis, ut ne aciculæ quidem punctura possit fieri, sine Vasculorum læsione, suntque dicta Vascula repleta: horum Vasculorum Sanguineorum reptatus plane est diversus ab eo, qui nobis in Visceribus occurrit.

V<sup>m</sup>. Lit. E. Portio cutis Plantæ pedis humani, cujus vasculorum Sanguineorum extremitates ultimæ tam affabre sunt repletæ,

repletæ, ut nemo illas sine summa admiratione operum Supremi Numinis adspicere possit.

VI<sup>m</sup>. Lit. F. Epidermis Plantæ pedis, in qua lineæ parallelæ non solum, verum etiam oculis armatis in conspectum veniunt Papillarum cutanearum abruptarum reliquiæ.

VII<sup>m</sup>. Lit. G. Epidermis & corpus reticulare incrassata, & in varias lamellas divisa, è Plantâ pedis.

N<sup>o</sup>. III. Phiala in liquore continens Atheroma, inter Musculos Colli bovini repertum.

Considerandum 1<sup>o</sup>. Dictum Atheroma constare ex substantia peculiari, & à me nunquam visa in Atheromate: sc. est ea flava, molliuscula, nitens, instar pinguedinis carnis bovinæ recenter coctæ, & adhuc calidæ, sub qua vera pinguedo sese quoque videndam exhibet.

2<sup>o</sup>. Cum in omnibus Atheromatibus pilosis semper invenierim, pilos fasciculatim & confuse esse sitos: hi contra radicitus emergunt ex dicta substantia flava & nitente, & quidem densissime stipati.

An illa substantia flava consideranda sit, tanquam morbosæ & confluentes Papillæ nerveæ, ambigo? Pilos autem corporis nostri, efflorescentias esse Papillarum nervosarum, nullus dubito, & hinc etiam illorum evulsio tam dolorifica.

N<sup>o</sup>. IV. Phiala, ut supra, & in ea portio Epidermidis, ex cuius superficie interiore propullulant reliquiæ Papillarum cutanearum.

Ut objectum hoc, quam proxime ad latera phialæ accederet, pone illud posui Cereum Americ. spinosum multangularem. Dictæ phialæ adstat alia, & minor phiala, asterisco notata, in qua Epidermis, ut & corpus reticulare, ex Æthiopis planta Pedis. In hisce distinctius, oculis occurrunt nudis, papillæ supradictæ: Vid. Tab. 3. Fig. I.

N<sup>o</sup>. V. Pedamentum, & supra illud phiala, continens in liquore particulam exiguam Piæ matris, cum cortice Cerebri, egregie dissoluto: objectum exiguum quidem, sed admodum affabre præparatum.

In fundo phialæ reperitur exigua portio disci objecti, quæ tam tenera, ut fere captum hominis superet, & in ea quoque Divini Numinis potentia elucescat.

N<sup>o</sup>. VI. Pars superior Cranii foetus humani, ceu scutella, in qua comparent.

10. Falx, ceu in statu vivo expansa, & secundum longitudinem decurrens.

20. Fontanella quoque expansa.

30. Superficies interior hujus Scutellæ Dura matre adhuc obducta, per quam Arteriæ repletæ ab utraque parte prodeuntes, sibi invicem occurrunt.

40. Sinus longitudinalis, ut in statu vivo, apertus.

No. VII. Cerebellum humanum, in liquore conservatum, ne autem è suo excederet loco, in opposita parte apposui ramum Opuntiae Amer. Spinosa majoris.

Dictum Cerebellum ab aliquot annis tam nitide à me est conservatum, ut jam jam videatur è capite erutum.

Supra operculum alia phiala posita.

No. VIII. Liquore repleta, quæ continet portionem Cerebri hominis adulti; hujus cortex sanguinei coloris, propter vasculorum, corticem constituentium, repletionem; medulla verò alba remansit.

Supra hanc phialam reperitur quoque pyxis exigua,

No. IX. In qua ossicula Auditus nitidissima.

Not. præterea, primam phialam positam esse velut inter rupem, Vasis sanguineis, ceraceâ materiâ rubrâ repletis, loco Coralliorum rubrorum, circumseptam, inter quæ rubicundissima vasa, ramuli exstant tomenti instar tenues.

No. X. Phiala in liquore continens Piam matrem humanam, cum annexis particulis Corticis Cerebri dissoluti.

Hæc autem Pia mater ab una parte, contra naturæ leges, incrassata occurrit, & vasa sanguinea sunt repleta ceraceâ materiâ, ast dilutiore rubedine.

No. XI. Portio Cutis Rosmari, in qua luculenter apparent Papillæ cutaneæ, ut & earum abruptiones, Corpori reticulari adhærentes, id quod in homine, ac in aliis objectis oculos quoque incurrit, & quod notandum, in cute humana, Cuticula à Cute revulsa, comparent papillæ minores & minus acuminatæ.

No. XII. Pedamentum supra quod locavi ramulos Arteriarum, per Cerebrum dispersos, quos inter ramusculi minutissimi tomenti fere instar tenues, & tamen repleti, & non nihil expansi, idque in forma ficca.

Dicti ramuli adeò sunt teneri & tenues substantia, ac si essent Vasa Lymphatica, & per consequens facillime attactu fran-

franguntur. Vide de hisce plura in Thef. Anat. IX.

Nº. XIII. Phiala liquore repleta, in qua continetur Piæ matris portio incrassata, cui variis in locis cohærent Arteriolæ in corticem mutatæ.

Nº. XIV. Lingua humana, in liquore conservata, in qua videre licet tria genera Papillarum lingualium, ut & Epiglottidem cum vasculis suis sanguineis repletis.

Nº. XV. Cerebellum humanum in liquore conservatum, & ita præparatum, ut principium Spinalis medullæ videri possit, simul cum Arteria cervicali & ramis Vertebralibus.

In medio Cerebelli cerni quoque possunt Pons Varolii, ut & Corpus globosum: supra hæc omnia Arteriæ innumeræ rubicundissimæ sunt dispersæ, id quod visui gratiam conciliat.

Supra operculum hujus phialæ, alia phiala,

Nº. XVI. posita, in liquore continens utramque hominis Palpebram, quarum superficies intima rubicunda est facta, tanquam inflammata, propter vasorum sanguineorum repletionem: præterea luculentissime videnda sese exhibent oscula in utriusque Palpebræ limbo sita, quibus excernitur liquor, de quo postea plura dicam, propria inventione observata.

Nº. XVII. Phiala in liquore conservans totam fere hominis Piam matrem, quæ telæ aranearum fere instar tenuis est: cum autem Arteriæ sint repletæ, veram tenuitatem videre licet, non autem in cadavere humano, tanta teneritas comparet, nisi post Arteriarum repletionem, qua sine, omnia Vasa sanguinea, ut plurimum maxima parte destituuntur sanguine, & sic ipsa vasa, quæ sunt innumera, ad ejus crassitiem conferre videntur, cum interim telæ aranearum fere tenuis sit dicta membrana in statu sano. Itaque Pia mater propter tenuitatem mihi præfertim videtur inservire, ut omnia illa vasa, ejus ope, contineantur, ne excedant suo loco: variis quoque locis occurrunt extremitates harum Arteriarum in corticem Cerebri mutatæ.

Nº. XVIII. Phiala in liquore retinens Linguam humanam, repræsentantem viventis speciem.

In hoc objecto visui occurrunt Papillæ Linguales, Uvula, Epiglottis, Æsophagus abscissus, ut & Aspera Arteria abscissa.

Circa Linguae cuspidem Epithelia quidem ablata est: Corpus autem reticulare ibi detegere haud potui: in Lingua autem bovina facile, separando, visui occurrit.

Supra

Supra operculum alia phiala

No. XIX. sicca posita, in qua occurrit portio Linguae foetus humani, per quam myriades Arteriarum currunt.

No. XX. Lingua humana præcedente nitidius præparata, & in liquore conservata, cum Epiglottide & illius Glandulis mucosis.

Supra operculum

No. XXI. Phiala sicca, in qua visui exhibetur portio Linguae pueri, cujus Vascula sanguinea tam nitide præparata sunt, ut totum objectum summa rubedine sit perfusum.

No. XXII. Phiala magna in liquore continens Caput infantis, viventis, & Oculis clausis dormientis, caput repræsentans, cujus Prolabia rubra, Genæque rotundæ sunt sine rugis, ita ut nitidissime sit præparatum & ab aliquot annis conservatum.

Not. Superior pars Capitis ablata est, Cerebrumque exemptum, ut sic, sub cute pinguedinis nitor naturalis, Nervorum è Capite exortus, Infundibulum &c. in conspectum veniant.

No. XXIII. Oculus humanus cum Palpebris, in iis Palpebris considerandum est, quod facie interiore, innumeræ Papillæ nerveæ luculenter conspiciantur: & hinc tanta sensibilitas, præfertim in inflammatione hujus partis.

No. XXIV. Plexus choroideus, qui continuatio est Arteriæ, neququam constans ex Glandulis, uti voluere auctores nonnulli, sed ex Arteriolis, quæ aliam naturam induerunt. Vide quid scripserim & delineari curaverim de hac materia, in responsione ad Epist. Anat. Problem. XII.

No. XXV. Phiala in liquore reservans portionem Piæ matris, cum exigua portione corticis Cerebri annexa: Arteriolæ autem sunt repletæ materiâ ceraceâ, coloris carnei, unde tantum levi rubedine perfusus est dictus cortex.

In medio hujus objecti videndum sese quoque exhibet Plexus choroideus, qui non, ut dixi, ex Glandulis, verùm ex Arteriolarum extremis constitutus, mirumque in modum contortis, & in peculiarem substantiam mutatis, cum Arteriolis tamen continuis & cavis.

No. XXVI. Portio Cerebelli humani cum portione Medullæ oblongatæ, ut & Glandula pinealis, ad quam tendunt Arteriolæ repletæ.

Ut autem Glandula pinealis prima fronte in conspectum veniret,



niret, spinulam Echinomelocacti sub dicta Glandula infixi.

Considerandum præterea, quod pone hoc subjectum reperiatur ramus Fruticis Afric. cum fructibus, ne movendo phialam suo excederet loco.

Quomodo Arteriæ decurrant supra Cerebellum, perbelle hic quoque videre licet.

Nº. XXVII. Pueri Facies dextra in liquore, vitæ speciem repræsentans, in qua videre licet

1º. Portionem Linguae cum suis Papillis Lingualibus.

2º. Quamvis Prolabia rubicunda ab Epithelia in totum non sint denudata, attamen Papillæ nerveæ in totum visum haud effugiunt.

3º. Per dentes molares, ferræ ope in duas partes divisos, vasa sanguinea esse dispersa, quemadmodum in aliis ossibus ferræ divisis, hic luculenter apparet, id quod non demonstrari potest, nisi tam bene vasa sint repleta.

4º. Dari quoque cavitatem in Dentium medio, quæ gaudet Nervis & Vasis sanguiferis, præsertim in ætate juvenili, in confesso est; sed dicta vasa quoque disseminari per Dentium substantiam durissimam jam demum observavi in hoc subjecto.

Nº. XXVIII. Portio Cerebri humani, cujus Arteriæ in totum non sunt repletæ, ita ut cortex nulla rubedine sit perfusus.

Cum autem Cerebrum illud, casei non admodum duri, consistentiam acquisiverit, in frustra illud divulsi, unde jam plurimæ apparent striæ, quasi tractus substantiæ medullaris essent, id quod facile imponeret aliis, existimantibus veros esse tractus medullares naturales.

In hoc objecto apparet quoque, quam profunde Pia mater sese variis locis intinnet inter sulcos Cerebri, & sic quoque cortex per consequens, non solum in Cerebri superficie superiore, verum etiam inter sulcos conficitur ab illis Arteriolis, per Piam matrem disseminatis.

Nº. XXIX. Phiala liquore repleta, in qua Embryo humanus magnitudine unæ, seu pollicis, conservatur, qui à capillo dependens, umbilicali funiculo affixus est.

Circa hoc objectum observandum est

1º. Quod sit coloris nivei, absque ulla fovea, aut rugis, sed undique æquali & naturali superficiei.

B

2º. Quo-

2°. Quomodo membra, temporis successu, emergere debeant è corpore, hic videre licet, quæ in hoc objecto sunt trium circiter linearum magnitudine. Vid. Tab. 3. Fig. 3.

3°. Funiculus umbilicalis à capillo dependens, in ambitu pellucidus est, interne verò (forfan à rudimento vasculorum sanguineorum) opacus.

4°. Cujus sit sexus nondum discernere possum.

5°. Extremis pedibus & manibus nondum apparentibus, occurrunt nobis rudimenta membrorum, quali essent detruncata membra: extremos pedes & manus postea ex iis emergere comperio.

6°. Vere dicere possum, me nunquam habuisse, neque vidisse hujus generis objectum pulchrius aut nitidius.

Nº. XXX. Phiala in liquore continens principium spinalis Medullæ hominis, cum corpore globoso, ut & corpora Pyramidalia, non solum superiora à Dº. Vieussens descripta, & per figuras illustrata, verum etiam inferiora, à me descripta & delineata in Thesaur. Anatom. Iº.

In hoc objecto quoque comparet Rima, quæ hic principium spinalis medullæ in dextram & sinistram partem dirimit; ut & aditus ad quartum Ventriculum.

Supra operculum alia phiala

(Nº. XXXI.) Posita, in qua portio Corticis Cerebri, quæ prima fronte & obiter visa, facile imponeret hominibus, existimantibus sese videre Glandulas, cum contra, re bene perspecta, luculentissime appareat, illas nil esse nisi Corticis Cerebri particulas non dissolutas: hoc autem distinctius apparet, si ambitus objecti inspiciatur, ubi ejusmodi corpuscula in totum sunt dissoluta, imò visui occurrunt tomenti instar tenuia, & tamen ceraceâ materiâ repleta, quæ materia dilutiore rubedine est imbuta.

Nº. XXXII. Pedamentum, supra quod posita est phiala, in qua conservatur portio Cerebri in liquore, quam decoxi in oleo Olivarum per V. horas, sicuti facere assolet Ds. Vieussens. Ea autem plane inutilis & perversa est præparatio, nam ne hilum quidem vasculosi visui occurrit post decoctionem in dicto oleo, id quod unusquisque tentare potest: ita ut inventor neutiquam habendus sit Ds. Vieussens, sc. quod Cerebri cortex nil sit, nisi extremitates vasorum sanguineorum: in eo

autem nemo hætenus (quod sciam,) me imitari potuit, aut analogum quid fecit.

Supra operculum alia phiala occurrit

Nº. XXXIII. Liquore repleta, & in ea videre licet particulam Piæ Matris, telæ araneæ inftar tenuem, per quam rubicundissimæ arteriolæ sunt dispersæ, quarum extremitates ultimæ in corticem Cerebri sunt mutatæ, & à me ita dissolutæ, ut evidenter videri possit, Corticem ex meris vasis sanguineis, non autem ex prætensis Glandulis constare, ut dixi.

Nº. XXXIV. Papilla Mammæ mulieris cum Areola.

Not. 1º. Cum Areola, quæ in mulieribus ut plurimum subnigra comparet, in totum hic involuero suo privata sit, cutis alba occurrit.

2º. Papilla ab involuero extimo quoque denudata, comparent Papillæ nerveæ obtusæ, analogiam habentes cum Papillis nerveis Glandis Penis. Vide Thesaur. Anat. 1<sup>m</sup>. in quo figuræ Papillæ Papillarum Uteris Balenæ reperiuntur, at cum sculptor non satis perfecte delineaverit Papillam muliebrem, emendavimus illud in hoc Thef. X. Vide Tab. III. fig. II.

Nº. XXXV. Cor humanum, cujus Vasa, ut & utraque Auricula, sunt repleta, ita ut vera constitutio & figura conspici possint; cum autem hic sint expansa, considerandum, in statu vivo hæc omnia simul non esse distenta: nam repletis Ventriculis, exinanitæ sunt Auriculæ, & vice versa.

Dicta vasa tam perfecte sunt repleta ceraceâ materiâ rubrâ, ut totum Cor perfusum sit colore rubicundissimo.

Imo videri hic quoque potest, quomodo dicta materia, ex ultimis Arteriolis, inftar roris, exitum sibi quæsierit, inter Cordis fibras carnosas, id quod in corpore vivo existimo fieri, à sanguinis sero nutritivo: Præterea in hoc Corde conspici possunt omnes trunci vasorum sanguineorum, sc. Venæ Cavæ ascendentes & descendentes, nec non Venæ sine pari, Aortæ, ut & tres trunci ramorum, ex illa prodeuntes, & sursum decurrentes, sic quoque IV trunci Venæ & Arteriæ pulmonalis, Vena & Arteria Coronaria, hic quoque repleta, in conspectum veniunt, cum suis ramificationibus.

Nº. XXXVI. Pueri Glandula Thymus, tam nitide præparatus, ut jam modo videatur è corpore desumptus.

Nº. XXXVII. Uvula humana, in qua videri possunt Glandu-

dulosa corpuscula, mucum producentia: cum autem hæc corpuscula vnum fugiant, nisi propius parieti phialæ accedant, posui ramum Tithymali Cyparissia, cujus ope objectum comprimitur versus phialæ parietem.

Nº. XXXVIII. Phiala sicca, & in ea Juvenis Cor balsamo induratum, in quo egregie occurrunt sequentia, sc.

1º. Uterque truncus Venæ Cavæ, cum Auricula dextra, quæ auricula hic apparet, ceu dictorum truncorum diverticulum.

2º. Truncus uterque Arteriæ magnæ, cum tribus ramis sursum spectantibus abscissis.

3º. Vena Coronaria.

4º. Quatuor trunci Venæ pulmonalis.

5º. Arteria Pulmonalis è sinu sinistro emergens.

Supra operculum hujus phialæ invenitur

Nº. XXXIX. Pedamentum, Valvulis Cordis triangularibus, sinus sinistri, instructum.

Nº. XL. Phiala sicca, & in ea hominis Auricula Cordis sinistra, ita præparata, ut vera constitutio visui occurrat.

Nº. XLI. Pedamentum, supra quod posita Auricula Cordis humani dextra, ita etiam præparata, ut ejus vera figura videri possit.

Nº. XLII. Phiala sicca, in qua continentur Pulmo, & Cor pueri, balsamo indurata.

In hoc objecto videre licet

1º. Quomodo Aorta sita sit à latere Arteriæ Pulmonalis, & ubi utraque è Corde emergat, ut &

2º. Pulmonis divisio dextra in tres lobos, sinistra vero in duos, id quod ut plurimum observo.

Nº. XLIII. Vituli Arteriæ Pulmonalis ramus, ceraceâ flavâ materiâ repletus, & ita præparatus, ut extremitates in conspectum veniant: suntque longe diversæ ab iis, quas auctores quidam exhibuerunt, & delineari curarunt ex vitulis loco humani.

Nº. XLIV. Pedamentum rotundum, supra quod posita portio Pulmonis humani, post balsamationem, indurata; hujus lobulorum divisionem & formam non convenire cum forma lobulorum Pulmonis vitulini, jam experior: præterea quoque liquet, quod multi auctores, in perscrutandis Pulmonibus

&

& figuris eorum faciendis, sæpius adhibuerint Pulmones Vitulorum, aliorumque animalium, id quod mihi nunc satis superque constare videtur ex illorum figuris.

Alatere hujus objecti quoque collocata

Nº XLV. Exigua portio Pulmonis vitulini, in qua visui occurrit distributio vasorum sanguineorum in singulis lobulis, quæ etiam discrepat ab objectis humanis.

Nº XLVI. Portio Asperæ Arteriæ foetus vitulini, cum annexis lobulis, ceraceâ materiâ flavâ repletis, & ita à se invicem separatis, ut vera forma videri possit, quæ non convenit cum forma lobulorum humanorum.

## A S S E R Major II.

Nº XLVII. Phiala, in qua circumvolutio Intestini Ilei infantis, nitidissime præparata, & rubedine perfusa, propter Arteriolarum repletionem, suntque hæc Intestinula conservata in forma sicca, sine foveis aut rugis.

Supra operculum reperitur phiala,

Nº XLVIII. Et in ea, segmentum Intestini Coli, in quo videri potest Tunica secunda, seu cellulosa.

Nº XLIX. Phiala in liquore continens circumvoluta Intestinula foetus humani, quorum vasa sanguinea repleta sunt.

Supra operculum pedamentum rotundum

Nº L. Continens portionem Intestini Ilei & Coli, cum suo processu Vermiformi, suntque summa rubedine perfusa, propter vasorum repletionem.

Nº LI. Portio Intestini Jejuni inversi, in liquore conservata: cum autem superficies interior, facta sit exterior, nitidissime comparent Glandulosa corpuscula Intestinorum solitaria, levi rubedine perfusa, propter ceraceam materiam.

Nº LII. Phiala sicca, in qua continetur magna portio Intestini jejuni pueri, propter eandem rationem summa rubedine prædita: in eo Intestino quoque occurrunt Glandulosa corpuscula, summa rubedine perfusa.

Supra operculum

Nº LIII. Portio Intestini Ilei, cum annexa portione Mesenterii: horum vascula sanguinea sunt repleta & nitide præparata.

Nº. LIV. Phiala sicca, in cujus fundo occurrit infantis portio Intestini Ilei, ut & Coli, cum suo processu vermiformi: cum autem in Colo apertura à me facta sit, in conspectum veniunt valvulæ Coli hiantes.

Supra operculum alia phiala

Nº. LV. in liquore continens portionem intestini Ilei inversi, in ejus facie, quæ hic facta exterior, lustrari potest agmen corpusculorum Glandiformium, è superficie interiore emergentium.

Nº. LVI. Phiala, & in ea Placenta Uterina humana, ita præparata & in liquore conservata, ut luculentissime conspici possit, Placentam in sese continere in statu sano, nil Glandulosi, & multo minus Glandulis esse præditam: omnia enim Vasa & Vasculorum extrema, ad ultimum usque sunt repleta, nulla vi, aut prætenfa, ita dicta excarnatione futili, adhibita.

Supra operculum phiala sicca

Nº. LVII. Et in illa portio Omenti, telæ araneæ instar tenuis, & sericum tenuissimum repræsentans.

Nº. LVIII. Phiala liquore repleta, & in ea portio Placentæ Uterinæ ceraceâ materiâ repleta, quæ non minus demonstrat Placentam constare ex meris Vasis, nullis intercedentibus Glandulis.

Supra operculum reperitur phiala sicca,

Nº. LIX. in qua reservatur portio Funiculi umbilicalis, cujus Vasa flatu repleta fuere.

Nº. LX. Placentæ Uterinæ humanæ portio, in liquore conservata, in qua sese videndum exhibet Integumentum, quo obducitur Placenta Uterina, ea facie, quæ Uterum respicit, quod integumentum mihi succosum, seu villosum dicitur in Thesaur. Anat. V.

Illud autem nil nisi productio Chorii, & sic Chorion, Placentæ utramque superficiem obducens, Vasa sanguinea Uterina cum Placentæ Vasis per Anastomoses immediate conjungi non possunt; imò illud quoque verosimile non est, cum Placenta non matris, sed foetus pars sit.

Nº. LXI. Portio Mesenterii humani, cum Glandulis Mesenterii: dictæ Glandulæ summa rubedine superbiunt, propter Vasorum sanguineorum repletionem, & hoc facto apparet dictas Glandulas Vasorum sanguineorum compositionem esse:

mol-

mollities autem substantiæ oritur ex Vasorum sanguineorum extremitatibus succosis; illudque habuerunt veteres pro Parenchymate.

Præterea hic quoque videre licet, qualem habeant cursum dicta Vascula, quæ non, instar glomeris, uti voluere nonnulli, sed sursum & deorsum decurrere, hic luculenter apparet.

Nº. LXII. Phiala in liquore conservans portionem Intestini Ilei, in quo Intestino videre licet dicti Intestini susceptionem.

Not. Dicitus affectus adq̄d familiaris, ut non solum quatuor quinqueve locis in uno eodemque cadavere cum filio reperirim; verum etiam in plurimis cadaveribus offenderim, cum mihi data sit occasio plurima cadavera aperiendi, imo tria memini nos successively cultro anatomico subjecisse cadavera, in quibus hunc invenimus affectum: ita ut pluries hoc contingere mihi persuadeam, quam quidem hætenus creditum fuit.

Suspiciandum ergo semper est, cum homines queruntur de intolerabili dolore abdominis, cum vomitu, & adstricta alvo, sine dolore in mingendo, quod illi in hunc morbum incidierint, itaque nil fatius fore existimo, quam, loco anodinorum, statim post injecta enemata, haustum purgantem validum per epicrasin exhibere, & ad vomitum sedandum seu arcendam, moneo, ut in ore detineant aliquantulum spiritus vini, post purgationis exhibitionem: alii verò mercurium vivum ad Libr. semis, alii globum sclopeti argenteum, seu aureum, exhibent, quæ remedia non sunt vituperanda.

Nº. LXIII. Pedamentum tribus phialis instructum, quarum

1<sup>a</sup>. Continet portionem Placentæ Uterinæ, cujus vasa sanguinea, è quibus Placenta constat, in hydatides mutari incipiunt; quem affectum olim, pro falsa conceptione, habuerunt Medici.

2<sup>a</sup>. Nº. LXIV. Phiala, & in ea processus istius affectus.

3<sup>a</sup>. Et maxima Nº. LXV. Phiala continet Placentam, quæ tota quanta in hydatides degeneravit, id quod mirum visu, quis enim, nisi experientia edoctus, potuisset credere, ipsa vasa sanguinea posse mutari in hydatides? videram quidem olim illas vesiculas ex Utero expulsi, verum non poteram explicari, è quo fonte ortum duxissent: postea occurrebat mihi Placenta uterina, partim sana, partim in hydatides mutata, & sic alio-

aliorum perversam opinionem & errorem, detexi ante annos circiter viginti.

Supra operculum hujus phialæ reperitur alia phiala sicca,

Nº. LXVI. & in ea, exigua portio Placentæ Uterinæ, cujus extremitates vasorum peculiari artificio subtilissime sunt expansæ, id quod difficillimum esse censeo, propter substantiæ molliem.

Nº. LXVII. Fœtus humanus VI. circiter mensium, ab aliquot annis conservatus, hic summa albedine & tanto nitore conservatus, ac si jam modo in lucem esset editus: & ne otiosus videretur, in dextra continet portiunculam Placentæ Uterinæ, rubicundam, dissolutam; & sic apparet nil glanduloli inesse Placentæ Uterinæ.

Supra operculum posita est phiala sicca,

Nº. LXVIII. & in illa, Fœtus humani Os Temporum seu Squamosum, cum Ossiculis Auditus, suntque albissima hæc omnia, & nitide præparata.

Nº. LXIX. Omenti portio, nulla pinguedine obsita, & in forma sicca conservata, quæ sericum subtilissimum repræsentat.

Nº. LXX. Omenti humani portio nitidissima, in quo apparet, quod in aliquibus tam tenuis sit substantiæ in statu sano, ut telæ aranearum sit similis, exceptis locis, qui pinguedine sunt obsiti, unde crassitiem aliquando acquirit, ut triginta librarum repertum fuerit pondere, sicuti legitur in Clariss. Bartholino.

Quamvis in hoc objecto vasa sanguinea non sint repleta, tamen superbit tot vasis sanguifluis, ut nemo sine admiratione illud adspicere possit, sicuti in aliis objectis meis videri potest.

Præterea detegitur hic dolus, ab aliis commissus, sc. quod Omentum in statu naturali retis instar, sit foraminulentum, id quod à rudioribus manibus facile acquirit.

Nº. LXXI. Phiala in liquore conservans pueri Brachium, inter cujus digitos continetur ramulus floris Passionis vulgaris.

In Cute volæ manus, Epidermide & Corpore reticulari Malpighii ablatis, vasorum sanguineorum extremitates oppido quam bene conspiciuntur, ut & Papillarum cutanearum abruptiones.

Nº. LXXII.



Nº. LXXII. Phiala, in qua continetur Pueri Tibia, cum extremo pede in liquore.

Quicumque hoc objectum viderit, confitebitur, illud oculos allicere, propter nitidum colorem, vitali similem, præfertim, cum nullas rugas aut foveas præternaturales contraxerit objectum.

Latere externo dicti pedis visui occurrit portio Placentæ Uterinæ, ne objectum recedat suo loco, & illa portio quoque artificiosissime est præparata.

Dictus pes supplantat Intestini Coli portionem, in qua, quamvis non inverfa (quod notandum) Glandulosa corpuscula sese videntia exhibent: Illud Intestinum desumpti è corpore cujusdam filiæ, viro maturæ, quæ gravida facta, & ab amasio relicta, arsenicum assumpserat, & sic è vita decesserat: cum autem illud sit facinus detestandum, pede calcatur ejus Intestinum, ut ne pes quidem in Thesauris meis otiosus videatur, id quod vitare studeo, quantum possum, in omnibus Thesauris meis, nam quæcumque apud Kuyfchium degere volunt, otiosa esse non debent.

Supra operculum alia phiala posita,

Nº. LXXIII. Et in ea, portio Cerebri humani, lapidis instar, indurata & nitens instar spermatis Cæti, quod sperma Cæti etiam non habendum pro spermate Cæti, sed pro Cerebro Cæti minoris, cui nomen Castin jot.

Nº. LXXIV. Pedamentum supra quod posita phiala cum liquore, continens foetum humanum immaturum sex circiter hebdomadam, qui arripitur ab exiguo serpente Orientali bicolore & nitidissimo.

Nº. LXXV. Infantis caput vitæ speciem præ se ferens, cujus superiore Cranii parte, & Cerebro ablatis, in conspectum venit Cerebellum cum Vasis sanguifluis repletis, nec non dura mater, quæ sericum album & nitens repræsentat.

Nº. LXXVI. Phiala in liquore reservans Felis foetum, gemellos imperfectos repræsentantem sc. octo pedibus, duabus caudis, uno capite, nullisque oculis donatos.

Nº. LXXVII. Pedamentum instructum Hepate infantis in forma sicca, & propter Vasorum repletionem rubedine perfuso, in eo luculentissime demonstratur, (quamvis hepar non immerito possit Glandula nuncupari) nullo modo ex Glandulis constare.

Not. Hoc objectum esse integrum, ne Membrana quidem ambiente ablatâ, ita ut nemini hæctenus relicta sit suspicio, prætenfas illas Glandulas esse destructas, in ita dicta excarnatione, cum hic integrum offeratur Hepar, & quanta sit differentia inter extremitates horum vasorum & Renum atque Lienis, in hoc Thesauro quoque lustrari potest: itaque illud, quod putaverunt auctores confici in prætensis Glandulis, peragitur in extremis Vasculis, tomenti instar tenuibus, & diversimode ab aliis Visceribus constitutis.

Hæ autem extremitates quidem occurrunt tanquam Glandulæ, verùm si quis peculiari encheyresi repleverit vasa, reperiet illas nil esse, præter vascula nullâ peculiari membranâ obsita, ad quas prætenfas Glandulas non alluunt Vasa sanguinea, uti in definitione asserunt auctores, sed sunt Vasa ipsa, uti sæpius dixi, non autem particulares particulæ, Glandularum nomine appellandæ.

Vesicula Fellea quoque scatet Vasculis sanguineis repletis.

Nº. LXXVIII. Phiala sicca, & in ea Vesicula Humana fellea, quæ quamvis solum inflata, & exsiccata, attamen nitidissime absque foveis conservata, quas foveas vulgo contrahere solent aliquanto temporis spatio, id quod arte averti, & sic naturalem retinuit formam.

Præterea ductus Cysticus hic in conspectum venit cum sua tortuositate, qua destituuntur Vesiculæ felleæ quadrupedum; hanc autem tortuositatem primò nobis demonstravit & per figuras illustravit Expertissimus Vir Dr. Mauritius ab Reverhorst, Anat. & Chirurg. Professor Hagæ-comitis: Et quod notandum, tortuositas hujus ductus producit variis locis in sua cavitate prominentias, Valvulas repræsentantes, quæ obstaculo sunt, ne Vesicula fellea involuntarie sese exoneraret, absque Vesiculæ stimulo.

Supra operculum hujus phialæ occurrit & alia phiala

Nº. LXXIX. notata, Vesiculam felleam foetus humani continens, hæc quoque inflata, & exsiccata, naturalem retinuit formam, absque ulla fovea, & sic repræsentare videtur unionem: vascula sanguinea, quæ per illam disseminantur, sunt repleta, & tanto quidem numero, ut tota Vesicula ex vasculis constare videatur.

Nº. LXXX. Ramus magnus Venæ Portæ Hepatis repletus,  
&

& pendens in liquore, quo ab ambiente membrana & ultimis succosis extremitatibus separato, ramusculorum numerus tantus, & extremitates tam subtiles sunt, ut fere ineffabile sit: illud objectum oculos omnium eorum, qui lustrarunt, allexit, propter nitorem, & structuram mirandam.

N<sup>o</sup>. LXXXI. Pedamentum, supra quo Pueri Pes positus est, vitæ speciem repræsentans, cujus extremi pedis dorsum aperui, & cutem ex parte ademi, ut Nervi & Vascula sanguinea in conspectum venirent.

\* N<sup>o</sup>. LXXXII. Fœtus humanus trimestris in liquore conservatus, cujus Clitoridis caput inter labia Vulvæ ita prominet, ut fœtus videatur esse sexus masculini, cum contra sequioris sit, & hoc in individuo semper reperio, circa ætatem trium, usque ad quartum mensem, ita ut raro, si unquam id à parentibus recte annotatum esse existimem, in illorum libellis.

Nuper mulier quædam peperit abortum trium quatuorve circiter mensium, eratque sexus non masculini, sed sequioris: omnes adstantes mulieres habebant illum partum pro masculino ante meum adventum, propter analogiam, nam eo tempore Clitoridis caput semper ita prominet, ut mentiatur membrum virile; temporis autem successu labia magis magisque auferuntur & ita prominent, ut tandem caput clitoridis visum fere fugiat.

### ASSER III<sup>s</sup>. & Major.

N<sup>o</sup>. LXXXIII. Renis humani dimidia pars, in qua Papillæ integræ & illibatæ conspiciuntur, idque in liquore.

N<sup>o</sup>. LXXXIV. Phiala, in liquore continens Renem Juvenis, cujus Ren succenturiatus tanquam Glans cupulæ, superiori parti Renis insidet.

Not. Hoc & præcedens objectum nitidissime præparata, superbiunt vasis arteriosis, & quod consideratione dignum est, Renes succenturiati rarissime, si unquam, figuram certam in corpore humano reservant.

N<sup>o</sup>. LXXXV. Semi-Ren humanus in phiala sicca reservatus, hujus Arteria, simul & Vena repletæ sunt, & corpuscula rotunda, quæ ante repletionem, & dissolutionem, ceu Glandulæ apparebant, in hoc objecto dissolutæ sunt, id quod indicio

est, dicta corpuscula nil esse, nisi circumvolutiones Arteriolarum, vel Vasorum sanguineorum extremitates.

Supra operculum

Nº. LXXXVI. Portio Renis humani, cujus Venam replevi, ut differentia appareret inter Venæ & Arteriæ ultimas extremitates, suntque dictæ Venæ extremitates tam mirifice constructæ, ut ne queam illud verbis exprimere, Clariss. Malpighius, & Bellinus, post se venturis ne spicilegium quidem reliquisse videbantur, circa illud, sed multa adhuc neglexerunt, quæ tanquam in Democriti puteo abscondita manserunt, neque id mirum, cum Renes tam admirandæ sint structuræ, ut vix ac ne vix quidem sculptores, etiam peritissimi, suo cælo veram structuram illam perfectissime possint exhibere.

In præcedentibus Thesauris Anatomicis reperiuntur varia in Renibus notatu digna, quorum objecta in liquore conservata sunt: nunc verò insatiabili desiderio & labore indefesso, ulterius progressus, hæc & alia in Renibus, balsamo induratis, demonstro, quæ spectatores attonitos faciunt; & quamvis millena possideam Anatomica, quibus Atheismum debellare queamus, illud unicum sufficeret.

Notandum ulterius quoque sc. summam esse differentiam inter extremitates Venarum & Arteriarum aliorum viscerum, quod admiratione dignum esse censeo, cum illud hætenus à nemine, (quod sciam) sit divulgatum.

Præterea Venularum renum tantus est numerus, talisque subtilitas, ut oculos effugerent, etiam lynceos, si non armati admoverentur.

Illud autem est, quod in superioribus Thesauris scripseram, sc. mihi novas apparentias in Renibus occurrisse, quas ulterius me indagaturum promiseram.

In hoc Thesauro X quoque inveniuntur objecta Renalia ex homine desumpta, in quibus non solum luculenter apparet, quid judicandum sit de prætensis Glandulis Renalibus, verum etiam quid investigatoribus Renum imposuerit, sc. in Renibus indagandis sæpissime occurrunt corpuscula rotunda Glandulas mentientia, quæ revera nil sunt, nisi Arteriolarum ultimæ extremitates contortæ; cum autem exactissime repleantur Arteriæ Renales, dissolvuntur vel expanduntur, quemadmodum filii glomer, ita ut nil minus sint, sicuti dixi, quam partes per  
fe

se subsistentes, & peculiari membranula obductæ, sine quo immerito dicuntur Glandulæ. Interim considerandum ejusmodi contorfiones vasorum sang. nusquam in cæteris visceribus reperiri.

Nº. LXXXVII. Phiala sicca, & in ea, Renis humani semillis, hujus membranâ propria ex parte ablata perspicue videre licet Vasorum Arteriosorum & Venosorum extremitates per superficiem reptantes.

Huic objecto cohæret adhuc portio Ureteris, suis Arteriis repleta.

Supra hujus phialæ operculum collocata est

Nº. LXXXVIII. Dimidiata pars Renis juvenis, in cujus superficie interiore plurimæ occurrunt Glandiformes particulæ rotundæ, quæ Glandulas mentiuntur, illa autem, ut supra dixi, nil sunt, nisi Arteriolæ contortæ, quarum nonnullæ hic dissolutæ, in ductus Bellinos degenerant; facie exteriore eadem fere apparentia in conspectum venit.

Nº. LXXXIX. Phiala in liquore continens Lienem humanum, cujus Arteria ex parte repleta: in eo luculenter videri potest, nullas fibras transversales in Liene Humano reperiri, sicuti in Liene vitulino: decepti enim fuerunt, qui existimant humanum in eo, cum vitulino, convenire.

Præterea hætenus nemo luculenter demonstravit in Liene five humano, five vitulino, aut Glandulas aut Cellulas reperiri, & hæc in præcedentibus Thesauris fatis superque demonstravi.

Nº. XC. Magna portio Lienis humani, in liquore conservata, hujus Arteria, ut & Vena, ita sunt repletæ, ut tota quantâ summa rubedine sint perfusæ.

In hoc objecto vasorum extremitates succosæ seu pulposæ variis in locis superstites sunt adhuc, easque pro Glandulis habuerunt autores, cum contra tantum continuationes sint vasorum, nulla peculiari membranula præditæ.

Nº. XCI. Pedamentum rotundum, supra quod positus Lien vitulinus, cujus Arteria ex parte repleta.

Not. 1º. Quod rami Arteriæ splenicæ vitulinæ, comites sint Sulcorum, qui loco Venæ in hoc viscere vitulino reperiuntur.

2º. Videri hic potest, quomodo Vena splenica in Liene vitulino, quamprimum Lienem intraverit. statim porosa fiat, &

in progressu magis magisque dispareat, tandemque evanescat, Arteriam relinquens.

3<sup>o</sup>. Constat Lienem vitulinum valde fibrosum esse, fibrasque maxima ex parte esse transversales, id quod in sequenti objecto luculenter apparet.

N<sup>o</sup>. XCII. Segmentum dicti Lienis vitulini, ita præparatum ut transversales fibræ luculentissime in conspectum veniant.

N<sup>o</sup>. XCIII. Pedamentum rotundum, cui impositus Lien foetus humani, ambiente membrana non ablata: hujus Arteria repleta, extremitates ultimæ sub membrana sese videndas exhibent.

A latere conspicitur quoque Pancreas, ob sæpius dictam rationem, rubicundissimum.

N<sup>o</sup>. XCIV. Segmentum magnum Lienis humani, membranâ ambiente non destitutum: in hoc objecto luculentissime patet, hoc viscus nil minus, quam ex Glandulis esse constitutum, Vasa autem longe differre circa illorum extremitates, ab iis, quæ Renes & Hepar constituunt, ita ut illorum officium non consistat in Pororum, nunquam visui exhibitorum, differentia, sed in vasculorum extremorum diversa substantia, configuratione, & repletu: cum autem nunc illa omnia clare demonstrarem, sc. substantiam dictorum viscerum, (sine excarnatione futili) constare, non ex prætensis Glandulis, quas nemo hæctenus mihi demonstrare potuit; jure merito (quod olim ignominiose factum) nemo in posterum me habebit pro Glandularum viscerum destructore.

\* N<sup>o</sup>. XCV. Phiala sicca, in qua suspenso, Colis cum Coliis suis, ex infante.

Scrotum nitidissime præparatum, naturalem retinuit formam, colore rubicundissimo, propter vasorum sanguineorum repletionem.

Cum autem Scrotum inflatum sit, tubulo inter Cutem & Membranam Darton (mihi Cellulosam) introducto, Penis quoque flatu sese erexit; & cum scroti membrana Cellulosa continua sit, per totum corpus, ratio est, quare homines tempore æstivo, (magnâ strage factâ in bello) occisi, & supra dorsum decumbentes, intra viginti quatuor horas sæpissime Penem habeant erectum, idque propter humorum fermentationem in dicta Tunica Cellulosa, cujus ope totum corpus, ne Capite quidem excepto, mirum in modum extenditur,

Cum

Cum olim interrogarer à quodam Dno. qui in castris versatus erat, quæ causa esset ejus erectionis in demortuis, rationem veram dare non potui, jam verò illud vidi in cadavere cujusdam viri, violenta morte cultro occisi, cujus cadavere ad putredinem & fermentationem redactò, membrum virile erectum invenimus.

Supra operculum reperitur alia phiala

Nº. XCVI. In liquore continens foetus humani Anum, vitæ speciem repræsentantem, cum suis rugis, & parte inferiore lineam prominentem, estque hæc præparatio nitidissima.

\* Nº. XCVII. Segmentum Penis in liquore, cujus tria Corpora Nerveo-spongiosa, ceraceâ materiâ rubrà repleta; in hoc objecto quoque visui occurrunt vasa sanguinea repleta, quæ per Penis dorsum & à latere decurrunt.

\* Nº. XCVIII. Phiala in liquore conservans Penis virilis portionem anteriorem.

Not. Sicuti Penis pone Glandis coronam abscissus, ita quoque ante coronam portio est ablata, castitatis causa.

In hac portione glandis, si faciem intuearis posteriorem, occurrunt versus Glandem duo Corpora Nerveo-spongiosa majora, ut & Corpus Nerveo-spongiosum minus, quod Urethram ambit: Cum contra, si facies anterior perlustretur, in conspectum venit quartum Corpus Nerveo-spongiosum, id autem nil est, nisi continuatio Corporis Nerveo-spongiosi minoris, Glandem ambientis. Vide quid super hac re scripserim, & delineari curaverim in observationibus meis Anatom. Chirurgic.

In superiore hujus objecti parte comparent quoque Papillæ nervosæ, quas delineari curavi in Thesaur. Anatom. & quas Vir Sagacissimus Morgagnus pro Glandulis descripsit & delineari curavit.

Supra Corpus Nerveo-spongiosum minus, duo visui occurrunt vasa sanguinea abscissa.

Cum autem hæc omnia ceraceâ materiâ rubrà sint repleta, oppido quam bene illa videri possunt.

\* Nº. XCIX. Pedamentum & supra illud rupes ex frustis alterius rupis concinnata, in cujus cavo phiala magna, in qua Testiculus humanus magnus dissolutus continetur: quam tenuia sint illa vascula Testiculos maximâ parte constituentia, cum seminali materia sint destituta, videri hic potest; tomenti  
eniam

enim instar tenuia sunt, in quibus tamen feminis rudimentum conficitur, nullis intercedentibus prætensis Glandulis, & quid obitaret, quo minus cætera viscera, quæ fere ex solis vasis constant, absque Glandulis, liquores requisitos conficere valerent?

\* No. C. Testiculus humanus alio modo, sc. feminali materiâ expressâ, præparatus, ita ut Vascula Testiculum constituentia adeo tenuia sint, ut telæ aranearum speciem referre videantur, attamen illa esse cava hætenus inconcusum est.

\* No. CI. Hominis Vesiculæ feminales, femine adhuc turgidæ, cum suis Vasis Ejaculatoriis, Prostatis, & Capite Gallinaginis, (seu Caruncula) cum rostro Gallinaginis Graffi.

No. CII. Infantis Sternum cum abscissis Cartilaginibus Costarum; hæc autem tam bene præparata sunt, ut cartilagines ceu pellucidæ sint.

Præterea vasa Arteriosa optimè sunt repleta, non solum ea, supra sternum & costarum Cartilagines sita, verum etiam illa, quæ repunt sub sterno, & Mammariæ internæ audiunt.

\* CIII. Glans Penis humani integra, cum portione Penis. Quamvis corpora Nerveo-spongiosa ceraceâ materiâ rubrâ repleverim, Glans integra candida remansit, idque propter inflationem membranæ cellulosæ sub Glandis Epithelia sitæ.

\* No. CIV. Pedamentum & super illud duo segmenta Penis virilis; cum autem Penis fuerat inflatus, balsamo præparatus, & induratus, oppido quam bene conspectui prodeunt tria corpora Nerveo-spongiosa cum Urethra & Septo.

\* No. CV. Phiala sicca, & in illa pueri Penis, cum annexo Scroto, vitæ speciem repræsentans.

Not. Horum objectorum Tunica cellulosa inflata, & sic Penis quidem rigidus factus; enimverò illud sola inflatio dicta Tunicæ excitavit, corporibus nerveo-spongiosis contractis, & non expansis. Scroti & Penis cutis, variis locis abscissa, ut Tunica cellulosa, ut & Scroti Septum visui occurrant; & quod considerandum, Septum cum Tunica cellulosa continuans, æque bene inflatum & cellulosum esse, ac Tunica cellulosa Scroti, quæ Dartos vulgo nuncupatur, lustrari hic potest.

\* No. CVI. Uterus humanus scirrhusus factus, & in majorem molem extensus, id quod in vetulis aliquoties observavi;  
præ-



præterea ex superficie superiore alter, & exiguus scirrhus, emergit, ut & Ovaria, Ovorum ductus, (Tubæ Fallopiæ dicti) satis bene disposita; & hæc omnia in liquore.

\* No. CVII. Phiala in liquore continens Uterum humanum cum annexis, (absque pudendis); unum ex Ovariis corruptum, & à me apertum, nil nisi materiam hæterogeneam continebat, id quod spinulâ intrusâ indigitatur.

\* No. CVIII. Partes generationis puellæ (pudendis abscissis.) Hisce quoque annectuntur portio Intestini recti, ut & Vesica integra.

Cum autem Uterus inter intestinum rectum & Vesicam semper positus sit, denotat homines inter sterco & urinam nasci: hæc omnia colore carneo superbientia, vitæ speciem repræsentant.

\* No. CIX. Phiala in liquore continens Uterum humanum cum annexis Ovariis, Tubis Fallopiis, Fimbriis, Ligamentis, & portione Vaginæ: cum autem omnes hi tres Uteri cum annexis liquori innatent, & per consequens locum naturalem non observent, in uno ex duobus diverticulis inferioribus hujus Thesauri reservatur Uterus humanus cum annexis in forma sicca, cum appensis litteris A. B. C. &c. in elucidationem præcedentium Uterorum in liquore conservatorum, ratione situs illarum partium.

No. CX. Foetus humanus quatuor circiter mensium & dimidi, portioni Placentæ Uterinæ insidens, in cujus sinistra continetur ramus Acaciæ Spinosæ.

No. CXI. Ovum gallinaceum caudatum.

No. CXII. Phiala liquore repleta, in qua infima portio spinalis Medullæ Humanæ, cum annexa Cauda equina, quæ cauda nil, nisi fasciculus Nervorum artubus inferioribus spiritus animales prospicientium.

Objectis supra tribus Asseribus latioribus jam absolutis, me nunc confero ad tres Asseres angustiores, continentes objecta varia rara sc.

### ASSER MINOR I.

No. CXIII. Phiala sicca, & in illa portio Cutis foetus humani

D

im-

immaturi, per quam disseminantur vascula sanguinea tenuissima & rubicundissima.

Nº. CXIV. Phiala in liquore continens portionem Spinæ dorsæ, in qua occurrit portio Spinalis medullæ, cujus cortex in medio medullæ situs, ex meris Arteriis hic repletis constans, rubicundissimus sese videndum exhibet cortex.

Nº. CXV. Capsula quadrata ex ligno juglandino confecta, in se continens Tibiam cum extremo pede infantis, balsami ope indurata.

Not. Cutis vascula sanguinea repleta tam numerosa, ut delectatione fatiari haud potuerint spectatores.

Nº. CXVI. Portio Diaphragmatis, de qua idem dicere auisim, quod de pede dicto, ratione multitudinis & subtilitatis vasculorum, omnia enim sunt ad extremum usque repleta.

Nº. CXVII. Portio Omenti in forma sicca, quod quamvis tenue sit instar telæ araneæ, sæpius tamen incrassatur, & tam ponderosum occurrit, ut Vesalius invenerit Omentum V. librarum pondere.

Nº. CXVIII. Sternum cum annexis cartilaginibus Costarum foetus septem à gestatione mensium.

Not. Facie anteriore indigitatur Cutis cum suis vasculis ad extremum usque repletis; facie posteriore subjicitur oculis Membranæ Pleuræ portio, per quam myriades Vasculorum tomenti instar tenuium repunt, quæ tamen ad unum usque repleta sunt.

Nº. CXIX. Portio Splenis vitulini, in qua occurrit Venæ Splenicæ vitulinæ porofitas, id quod in hominæ locum non habere supra monui.

Nº. CXX. Gabata lignea curiosa, in qua circa Intestinarum tenuium ex juvene, suntque Intestina nitidissime præparata & summa rubedine perfusa, propter vaforum repletionem.

Nº. CXXI. Tibia infantis dempto Pede extremo, ut & Femore, per cujus Cutem vasorum sanguineorum extremitates ita repletæ superbiunt, ut illorum reptatus & constitutio accuratè possit videri.

Nº. CXXII. Phiala liquore repleta, aliam phialam liquore repletam continens, supra cujus superficiem expansa est portio Omenti foetus humani nitidissima, in qua videre licet,  
quo.

quo modo in principio aggregetur Pinguedo in cellulis suis.

Nº. CXXIII. Pedamentum, cui imposita est portio Palmonis foetus humani, cujus Arteriæ ad ultimum usque sunt repletæ, unde integra portio rubicundissima visui occurrit.

Spinulæ Opuntiaë Americanæ majoris indigitant admirandum reptatum & numerum Arteriolearum hujus visceris.

Nº. CXXIV. Hominis utraque Palpebra, quarum superficies interna plurimis gaudet Papillis nerveis, unde Palpebræ intrinsecus aded sunt sensibiles, ut vix possint perpeti ullum contactum, vel aliquid arenosi, aut quid heterogenei alterius naturæ.

In dicto objecto comparent non solum puncta Lachrymalia, verum etiam oscula ductuum Excretoriorum in Palpebrarum limbo sitorum, à Clariss. Professoribus Meybomio & Morgagno, in scriptis suis depictorum.

Circa hæc oscula in limbo sita, observavi, illa nil esse, nisi oscula Canaliculorum serpentino reptatu reptantium: hi autem canaliculi continuant cum Arteriolearum extremis, sicuti extremitates Arteriolearum Renum cum ductibus urinosis, à Clariss. Bellino, & postea à me & aliis depictis.

Noli interim credere L. B. hosce canaliculos ortum habere ex prætenis Glandulis, nam infarciendo Arterias in confinio fitas, illi Canaliculi quoque replentur, ita ut continua sint corpuscula.

Nº. CXXV. Phiala in liquore conservans Oculum humanum, eoque forcipe aperto, in conspectum veniunt sequentia.

1º. Portio Scleroticæ & Corneæ tunicæ, ut & Tunica Ruyschiana, & Choroidea; & quanta differentia sit inter choroideam & Ruyschianam videri hic potest.

2º. Tunica aranea è medio emergens.

3º. Ligamentum ciliare ejusque

4º. Processus, ut &

5º. Iris, nec non

6º. Circulus in ambitu Pupillæ, qui constat ex fibris motricibus Pupillam constringentibus.

Considerandum ulterius, sc. quod

7º. Oculi superficies externa hic facta sit interna, ut supra dicta melius in conspectum venirent.

No. CXXVI. Fundus Vesicæ humanæ, in forma sicca, supra pedamentum: per hanc Vesicæ humanæ portionem repunt Vasa sanguinea innumera egregie repleta, horum reptatus minime convenit cum iis, quæ disseminantur per Cutem, Re- nes, Lienem, Hepar, & alias partes.

No. CXXVII. Frustum magnum substantiæ Osseo-spon- giosæ: supra frustum Rupis positum, illud autem fregi à frusto ejusdem substantiæ tam prodigiosæ magnitudinis, & ponde- rositatis, ut vix è terra elevare potuerim; cum autem partim ad amuffim respondeat interiori substantiæ Osseo-spongiosæ quæ reperitur in Epiphysibus ossium humanorum, partim quo- que in ossibus spongiosis Narium vitulorum, excogitare ne- queo, e quo animali prodierit, si non ex Balæna; illud pro certo tamen scio, quod repertum sit in oris nostris maritimis, & hæcenus in domo mea reservatum sit frustum illud mag- num.

No. CXXVIII. Phiala sicca in qua continetur Vesica Uri- naria foetus recens nati, cum annexo Uracho & duabus Arte- riis Umbilicalibus: suntque hæc omnia rubedine summâ, pro- pter Arteriolarum repletionem, perfusa, ita ut ne cuspis qui- dem acus immitti possit in Vesicam, sine vasculorum sangui- neorum læsione.

No. CXXIX. Membrana quædam, cujus Arteriolæ sunt repletæ ceraceâ materiâ flavâ, & tanto quidem artificio, ut ad ultimas usque extremitates in oculos incurrant, imo mæ- androrum in modum affabre divagentur.

Quicumque hoc in ædibus meis viderunt, satis mirari non potuerunt, vasa sanguinea me eo usque potuisse persequi, nam tomenti instar sunt tenuia, & tamen repleta.

### ASSER MINOR II<sup>s</sup>.

No. CXXX. Portio Cutis Plantæ pedis pueri, propter re- pletionem sæpius memoratam rubicundissima.

Cum circa hujus objecti Arteriolas extremas mihi videor ali- quid peculiare & ceu novam apparentiam videre; illud autem in posterum penitus perscrutari, mihi animus est.

Sæpius nobis videre contingit millena corpuscula rotunda extra cutem prominentia, non solum in corpore humano vivo,

&c

& mortuo, verum etiam in avibus, è quibus plumæ prodeunt, sicuti pili in nobis ex Nervorum extremis; si illæ particulæ rotundæ dicendæ sint Glandulæ cutaneæ, Papillæ cutaneæ deficerent, & vice versa. Quod ad me attinet, existimo corpuscula illa, quæ in aliquibus extra Cutem propullulant, nil esse, nisi extremitates Nervorum, Papillæ Nerveæ dictæ, eò magis, cum Papillæ nerveæ multifariæ & diversæ formæ sint, secuti in Lingua, Papilla Mammarum, Partibus Genitalibus, Prolabiis à me in Thesaur. Anat. III. delineatis, Palpebris &c. partibus.

Itaque operæ pretium esse existimo, ulterius expiscari, quid statuendum sit de sudoris fonte, an ex prætensis & ita dictis Glandulis cutaneis, sicuti Malpighius statuit, aut ex extremis Arteriolis roris instar, uti ego sustineo.

Nº. CXXXI. Portio Cutis capitis humani, non minus ac præcedens rubicundissima, cujus Arteriolæ ultimæ à præcedente reptatu differunt, ut videre est in dictis objectis.

Nº. CXXXII. Portio exigua Hepatis pueri, cum annexa Vesicula fellea, ut & portio membranæ Hepar ambientis.

Not. Vesica fellea extensa sine ulla fovea, & per illam reptant tanta quantitate Arteriæ, ut nullum spatium relictum, quin Arteriolæ in conspectum veniant.

Membrana supra dicta gaudet quoque Vasculis Arteriosis tanta quantitate, & tali fere reptatu, sicuti in foliis arborum Nervuli, suntque ultimæ extremitates tomenti aut Gossipii instar tenues.

Considerandum ulterius in repletione, me tantum infarcivisse Arteriam Hepaticam, ita ut rami Venæ Portæ neque Cavæ potuerint gaudere ex illa repletione, unde hæc portio Hepatis nigra nobis occurrit.

Jucundo spectaculo videndam sese quoque exhibet Arteria Cystica, quæ postquam Vesiculæ felleæ satis prospexerit, maximo ramulorum numero (ut supra dictum) distribuunturque ulterius soboles per Hepatis substantiam copiosissime: has soboles delinearunt auctores (perperam tamen) pro radicibus Vesiculæ felleæ.

Nº. CXXXIII. Foetus humani dimidia pars faciei.

In illo objecto spectandam sese offert.

1º. Villosa prominentia Labii superioris, post Epitheliæ

ablationem. Vid. Thesaur. Anat. III.

2<sup>o</sup>. Videndos sese exhibent Pori cutanei, eo scilicet loco, ubi Epidermis ablata est.

3<sup>o</sup>. Color faciei mentitur colorem viventis, ita ut nulla averfatio hic locum habeat.

N<sup>o</sup>. CXXXIV. Portio Intestini Ilei pueri, viventis speciem repræsentans, in qua visui occurrit Susceptio Intestini, ut & Glandulæ Mesenterii factæ scirrhosæ.

N<sup>o</sup>. CXXXV. Phiala sicca in qua à serico rubro dependet calculus marmoreus, in Vesicula fellea à me repertus, qui à latere visus, ululæ caput repræsentat.

N<sup>o</sup>. CXXXVI. Phiala in liquore continens portionem Maxillæ, seu Buccæ hominis cum annexa portione Maxillæ inferioris.

In hoc objecto luculentissime conspicimus (Integumento interno, seu Epithelia ablato) Papillas plurimas & quanta differentia sit inter eas, quæ locum superiorem occupant, cerne- re hic licet.

Papillæ autem maxima parte videntur tanquam ex duabus papillis constare.

Præterea in conspectum veniunt Papillæ Gingivarum, unde ita dolent Gingivæ, cum ab Epithelia sunt destitutæ. Vid. Tab. I. Fig. II.

N<sup>o</sup>. CXXXVII. Phiala sicca, & in ea portio Diaphragmatis carnea, cujusdam juvenis, per quam disseminantur innumeræ repletæ Arteriæ, reptatu plane diversæ ab iis, quæ per membranofam partem distribuuntur.

N<sup>o</sup>. CXXXVIII. Tumba, sive Sepulchrum, & in eo, Sceleton fœtus humani immaturi viginti duorum circiter hebdomadam.

Illud autem est nitidissimum, neque vulgari methodo præparatum, caput cinctum coronâ, perquam exiguorum flosculorum naturalium, præsertim Xeranthemorum &c. colorem naturalem reservantium: Sinistra manus ossea continet ramum Arteriæ repletæ, Corallium rubrum repræsentantem.

N<sup>o</sup>. CXXXIX. Pedamentum, supra quod rupes parva posita, in cujus cavo continetur Ovulum Gallinaceum, ex Ovo Gallinaceo desumptum.

Illud

Illud autem æque oblitum putamine duro, ac ovum è quo desumptum est. Vid.

Tab. III. Fig. III.

No. CXL. Portio Pulmonis foetus humani, supra pedamentum sita, cujus Arteria propter repletionem rubedinem in totum induit, locus autem ubi spinula Echinomelocacti majoris inmixta est, ibi ultimæ extremitates mirum in modum oculos incurrunt.

No. CXLI. Phiala in liquore continens portionem Stomachi humani, quæ rubicundissima propter sæpius memoratam repletionem.

In hujus objecti superficie interiore (quæ hic facta exterior) conspiciendos sese exhibent Pori innumeri, an emittentes, an admittentes, dicere nequeo: præterea rugæ naturales hic visui occurrunt facie interiore hujus objecti.

No. CXLII. Portio Stomachi humani, ex alio homine desumpta, cujus rugæ in varias particulas divisæ, Glandulas mentiuntur, quæ nil nisi subdivisæ rugæ sunt.

Suprema hujus objecti pars, portio est Intestini Duodeni, in cujus superficie interiore nova quædam apparentia visui occurrit, de qua in posterum.

No. CXLIII. Stomachus foetus recens nati, in cujus superficie interiore videndas sese exhibent novitates quædam, de quibus Vid. Thef. Anat. II. Tab. V. Fig. 3. & 4. ubi hujus rei constitutionem delineari curavi uno tantum loco, in hoc autem objecto per universam superficiem interiorem illud conspici potest.

No. CXLIV. Pedamentum instructum Stomacho foetus humani recens nati, balsamo condito & inflato.

No. CXLV. Portio Intestini Jejunii juvenis, cujus Arteriolæ sunt repletæ, & Juxta, Valvulæ conniventes dicta, vix propullulant, id quod pluries observavi.

No. CXLVI. Phiala liquore repleta, in qua conservatur Oculus humanus, ita præparatus, ut luculenter in conspectum veniant Tunica Choroidea, ut & Ruyschiana.

Hæc Tunicae gaudent Arteriolis repletis, diversum reptatum inter se observantibus, unde liquet geminas esse Membranas, seu tunicas.

No. CXLVII. Oculus vitulinus eodem modo præparatus,

in

in quo videre licet easdem Tunicas, & Ligamentum ciliare, nec non ejus Processum.

N<sup>o</sup>. CXLVIII. Brachium foetus, cum annexa Scapula, balsamo indurata.

Hujus Cutis rubicundissima est facta, propter repletionem extremitatum vasculorum, id quod in hoc objecto mirum visu occurrit.

N<sup>o</sup>. CXLIX. Ren foetus humani bisectus, & artificiosissime repletus, in quo nil occurrit, quod Glandulæ sit simile, quia

Corpuscula rotunda, & glandiformia, de quibus antea sermonem habui, in totum sunt dissoluta, & extricata.

Ductus, qui dicuntur Bellini, in totum quoque repleti sunt propter repletionem Arteriolarum.

### ASSER MINOR. III<sup>s</sup>.

N<sup>o</sup>. CL. Pedamentum, & supra illud phiala, in liquore continens foetum humanum majoris articuli digiti (præter propter) magnitudine, cujus membra externa, seu artus adsunt perfecta. Vid. Tab. I. Fig. I.

Circa hunc foetum considerandum sc.

1<sup>o</sup>. Quod adhuc hæreat in proprio liquore, in quo hæsit in corpore materno, idque in membrana Amnio, quæ telæ aranearum instar tenuis.

2<sup>o</sup>. Quod liquor pellucidus remanserit, ita ut foetus luculenter ab omni parte lustrari possit.

3<sup>o</sup>. Quod simul cum supra dicto liquore materno, jam confervetur in liquore balsamico meo, ita ut naturali albedine præditus, & vitæ speciem repræsentans, ita remanserit, ac si adhuc hæreret in Utero materno: cum autem hæc omnia captum hominis fere superent, haud adeo mirum est, neque ægre fero, quod quidam ex iis, qui mea rodere solet, dixerit, illud fieri non posse, & quod liquore primo effuso, a terum affunderim, nam ipsemet credidisset illud non posse ita præparari, sed qui objectum sine præjudicio perlustraverit, videbit, propter membranæ dictæ tenuitatem priorem liquorem effundi, & alterum affundi non potuisse: præterea cum illud fieri non possit sine nexu, vel nodatione supradicti capilli, à quo de-



dependet, hic nullum videbimus nodum; sumpsi tantum acam subtilem, capillo munitam, quam suspensa manu per Membranulam & Puniculum Umbilicalem transegi, & sic phialæ indidi, & hoc luculentissime videri potest, ita ut nemo dubitaturus sit, qui illud perlustraverit objectum, quemadmodum nemo jam amplius dubitat, quin detur in Oculo Tunica Ruyfchiana, atque etiam quod Cortex Cerebri, nil sit, nisi Arteriolearum pulposarum extremitates, sed quod adhuc inveniuntur, qui perverse judicant de vera Hepatis, Renum, & Lienis substantia, satis mirari nequeo, quandoquidem illud sole meridiano clarius (si ita loqui liceat) demonstro in Visceribus integris, & quicumque contrariæ opinioni adhærere velit, demonstret illud non mentis, sed corporeis oculis, id quod ego facio in meis exhibitis.

Nº. CLI. Pedamentum concinnatum ex frustis rupis, & loco Coralliorum rubrorum, ramos Vasorum sanguineorum ceraceâ materiâ rubrâ repletos sumpsi: Supra illud Pileolus rotundus è Cute Capitis pueri confectus, qui tantâ copiâ Vasorum sanguineorum repletorum præditus est, ut summâ rabedine superbiat: Superficies exterior Capillis cinereis crispis undique obsita.

Nº. CLII. Phiala liquore repleta, in qua visui occurrit fœtus humani Ren, cujus Capsula atrabilaria, (Ren succenturiatus dicta,) Reni imposita, tantæ magnitudinis est, ut Renem ipsum fere adæquet.

Huic objecto, portio Diaphragmatis parte superiore adhuc connectitur, Vasculis sanguineis plurimis repleta.

Not. Quoque dictam Capsulam esse ceu bifurcatam.

Nº. CLIII. Phiala, eodem modo præparata, & in ea portio Cerebri humani, in qua satis superque videre est, Corticem constare ex Vasculis sanguineis repletis.

Nº. CLIV. Auricula humana in liquore conservata, quæ naturalem colorem rubicundum in præparatione acquisivit.

Nº. CLV. Portio Membranz Chorii, in duas lamellas, seu membranulas, divisa, id quod aliquando in corpore vivo sit, nempe cum humor in Amnio contentus ex parte stillaverit, aut viam sibi quæsierit inter dictam duplicaturam, & tunc bini liquores in partu erumpunt, id quod forsan erroris causam dedit illis, qui, Tertiam & Allantoideam membranam

flatuerunt in corpore humano, quam frustra tamen aliquis quæreret in statu perfectiore.

Nº. CLVI. Pedamentum, & super illud, Segmentum Intestini Jejuni è corpore humano, ita præparatum, ut Vallulæ conniventes, (mihi Juga) non solum, verum etiam Jugorum Vascula sanguinea repleta conspici possint.

Nº. CLVII. Auricula infantis balsamo præparata in forma sicca, per quam millena repunt Vascula sanguinea repleta.

Nº. CLVIII. Portio Vermis lati, in liquore conservata.

Nº. CLIX. Portio Intestini jejuni infantis rubicundissima, propter Vasorum repletionem, hujus Juga magis prominent in superficie interiore, quam in juvene supra citato, & per illa innumera Vascula disseminantur, id quod antehac nunquam tam nitide me vidisse, fateor.

Nº. CLX. Portio Mesenterii infantis, per quam dispersæ sunt Glandulæ aliquot, quarum constitutio vasculosa, microscopio visa, profectò admiranda est.

Illa autem non glomeris instar in orbem disposita, sed inordinatè, & vagabundo ductu decurrentia, & tantà quidem copia, ut nil, nisi vascula diceres, quarum extremitates ultimæ succosæ aut pulposæ aliter dispositæ sunt, quam in Liene & aliis partibus.

Nº. CLXI. Phiala in liquore reservans Brachium infantis, ita præparatum, ut ad amussim respondeat Brachio infantis Febre purpurea laborantis: Inter digitos manus continet integumento lato & crasso analogum quid.

Illud autem nil est, nisi serum sanguinis inflammatorii post Venæsectionem in superficie supernatantis: hunc autem abstuli, & liquori meo indidi, unde tantam duritiem & tenacitatem acquisivit, ut mentiatur Integumentum validum & crassum.

Nº. CLXII. Phiala, & in ea, portio Intestini Jejuni hominis, è cujus superficie interiore propullulant Glandiformia corpuscula, seu Glandulæ solitariæ.

\* Nº. CLXIII. Pedamentum instructum Vesiculis seminalibus humanis, ceraceâ materiâ albâ repletis, & balsamo induratis; hisce annectitur Prostata, (vel, ut alii volunt, in numero plurali Prostatae,) ut & Vasa Ejaculatoria, quæ antequam sese in Vesiculas inferunt, Vesicularum naturam induunt: præterea

Caput Gallinaginis, ut & duo Oscula Vesicularum dictarum in conspectum veniunt, nec non Oscula Prostatæ, vel Prostatarum.

Nº. CLXIV. Phiala liquore repleta, & in illa Nervi optici, qui ex plurimis fibris Nerveis compositi, Arundinem Indicam æmulantur.

Nº. CLXV. Pedamentum, & super illud lobus Pulmonis humani, cujus Vasa sanguinea ita sunt repleta materiâ ceraceâ flavâ, ut totum objectum videatur conflare, non nisi, è vasculis sanguineis.

Nº. CLXVI. Portio Pulmonis humani super pedamentum, hujus lobulorum subdivisio melius, quam in præcedente objecto, oculis spectanda subjicitur.

Nº. CLXVII. Portio magna Pulmonis vitulini rubicundissima, propter Arteriarum repletionem: hujus lobos aliter esse constitutos, ac in homine, satis superque hic liquet: imò hoc objecto in conspectum producto, facile est judicare plurimorum auctorum figuras esse factas ad objecta vitulina, non autem ad humana.

Nº. CLXVIII. Portio Pulmonis humani, balsamo in forma sicca præparata, & quod notandum, quamvis Vasa Arteriosa sint repleta, attamen Vesiculæ Pulmonales remanserunt apertæ, ita ut illarum copia, forma & magnitudo superstites remanserint.

Nº. CLXIX. Lobus Pulmonis foetus humani, in quo Lobuli, ubi spinulis notati sunt, eodem modo visui occurrunt, quasi ibi loci portiunculæ illæ ex folis succosis extremitatibus Arteriolarum constarent.

In hujus Thesauri parte inferiore, duæ continentur thecæ, quarum

1<sup>a</sup>. Continet Nº. CLXX. Partes generationis muliebres, balsamo induratas, à quadraginta circiter annis conservatas, & supra asserem expansas: harum partium vasa sanguinea Arteriosa ceraceâ materiâ rubrâ sunt referta.

Litt. A. Denotat Truncum Arteriæ magnæ descendentis.

B. B. Duas Arterias Emulgentes, potius Renales.

C. C. Illarum divisiones.

D. Demonstrat ulteriorem distributionem Arteriarum Renalium in latere dextro, quæ præparatio nitidissima est.

E 2

E. E. Re-

E. E. Renes succenturiatos Subere repletos: horum finifler triangularis, dexter verò figuram Linguae pueri repræfentat.

F. F. Arterias Renum Succenturiatorum ex Arteriis Renalibus oriundas.

G. Renem finiftrum, subere repletum, ut figuram veram repræfentaret, quam obtinebat ante repletionem, gaudetque duabus Arteriis Renalibus, id quod rarò accidit.

H. H. Arteriam geminam Spermaticam, sub Arteriis Renalibus oriundam, ex Arteriæ magnæ trunco.

J. Arteriam Gaſtricam.

K. Arteriam Meſentericam ſuperiorem.

L. L. Arterias Lumbares.

M. M. Arterias Iliacas.

N. N. Illarum divaricationes.

O. O. Ramos, ex dictis divaricationibus oriundos, è quibus prodeunt Rami, per Vaginam & Uterum difſeminati.

P. Uterum Subere præparatum, ut naturalem repræfentaret formam & magnitudinem.

Q. Veſicam Urinariam inflatam, ceu naturaliter conſtitutam, absque rugis, aut foveis.

R. Vaginam Uterinam, admodum largam & capacem, forſan propter Uteri prolapſum, quem videtur fuiſſe paſſa, dum viveret.

S. Ductum Urinarium, cum ejus hiante orificio.

T. T. Duo Ligamenta teretia uteri.

V. V. Duos Ureteres.

Ligamenta duo lata Uteri, Ovaria, ut & Tubæ Fallopiæ deficient in hoc ſubjecto, quæ tamen in ſequenti objecto comparent.

No. CLXXI. Capsula continens fruſtum Dentis Elephantis, in quo adhuc hæret globus æneus, qui ſclopæti exploſione Dentem penetravit, & quod notandum, foramen, per quod intravit globus, tam anguſtum eſt, ut ne quidem eximi poſſit globus, ſine dicti fruſti Dentis læſione. Vid. Tab. II. Fig. 8.

No. CLXXII. Capsula reſervans fruſtum magnum Dentis Elephantis, innumeris exodontofibus præditum, forſan propter ſclopæti exploſionem, ut ſupra dictum, ſuntque exodontofes, tam raræ, ut rupem repræfentare videantur. Vid. Tab. II. Fig. 7.

No. CLXXIII.

No. CLXXIII. Capsula quadrata ex ligno Indico confecta, in qua continetur sceleton Muris nitidissimum, inter pedes anteriores osseos continens Vasa Arteriosa repleta, eaque desumpta ex Pia Matre foetus recens nati.

No. CLXXIV. Os Tibiæ à carie crassius, & deforme factum, ita ut extrinsecus undique exesum sit.

Intrinsecus contra, maxima parte solidissimum factum & occæcatum. Vid. Tab. II. Fig. 2. & 3.

### THECA II<sup>a</sup>. continet

No. CLXXV. Partes generationis mulieris in forma sicca balsamatas, & supra asserem explanatas; harum Vasa Venosa replevi quoque ceraceâ materiâ rubrâ, abhinc quadraginta annos.

Litt. A Uterus subere repletus & præparatus, ut naturalem magnitudinem & formam repræsentaret.

B. Ovarium sinistrum.

C. Ovarium dextrum.

D. D. Tubæ Fallopiæ, seu Ovi ductus.

E. E. Illorum Fimbriæ.

F. F. Ligamenta lata seu Alæ Vespertilionum, per quæ disseminantur vasa sanguinea Venosa, repleta.

G. G. Ligamenta teretia.

H. H. Venæ spermaticæ, quarum dextra ortum ducit ex Venæ Cavæ descendens trunco, sinistra verò ex Vena Renali, seu Emulgente.

I. Vesica Urinaria.

K. K. Ureteres.

L. Truncus Venæ Cavæ descendens.

M. M. Venæ Renales, seu Emulgentes, cum suis divaricationibus.

N. N. Glandulæ Renales, seu Capsulæ Atrabiliaræ.

O. Intestinum rectum.

P. Vagina, in qua Osculum ductus Urinarii videre licet.

No. CLXXVI. Hominis os Cubiti, carie exesum & deforme factum, in cuius cavo continetur Fistula ossea, in totum separata ab Ossis Cubiti exteriori substantia, ita ut undique mobilis sit, & hoc factum existimo à pure acriore: hujus rei

exemplum olim repræsentavi in Theſaur. Anatomicis circa Os Tibiæ.

Illud autem poſſe fieri nemo ambiget, qui domi meæ viderit Os Humeri, in quo Oſſeo-ſpongioſa ſubſtantia, tanquam Diploë Cranii reperitur, inter duas lamellas, & hoc in nonnullis contingere comperi, & quid obſtaret, quo minus pus acre in tali caſu poſſit erodere ſubſtantiam illam Oſſeo-ſpongioſam, & hoc factò, facies horum oſſium exterior ſeparatur in totum, à facie interiore.

Conſiderandum quoque, dictum Os Cubiti ita eſſe conſtitutum, ut nemo poſſit dictam Fiſtulam interiorem eximere & denuo indere, ſicut patet ex annexa Fig. I. Tab. III.

Ita ut dubitandi ne quidem cauſa ſuperſit, & ſi quis eſſet, qui hoc negare vellet, videat illa propriis oculis domi meæ, aut adeat Expertiſſim. Virum Dm. Clopton Havers, qui exiſtimat omnia Oſſa conſtare ex lamellis, & hoc dato, facilius illud poſſe fieri, quis dictis calculum apponere denegabit?

No. CLXXVII. Segmentum Oſſis Tibiæ, ferrâ, ſecundum longitudinem in duas partes diviſum, & topho oſſeo obſitum, unde ſuperficies exterior quoque, eadem regione eroſa & exoſtoſi obſita eſt. Vid. Tab. II. Fig. 9. & 10.

No. CLXXVIII. Segmentum Oſſis Tibiæ, in duas quoque partes ferrâ diviſum, hujus ſuperficies exterior valde incrassa-ta, dura, & in tophum converſa, in interiore ſuperficie contra exoſtoſis cavernoſa. Vid. Tab. II. Fig. 4 & 5.

Et quod notandum, ſegmentum ferrâ diviſum, eſt è medio Oſſis Tibiæ, ubi cutis, horrendo aſpectu, variis tuberculis obſita eſt. Vid. Tab. II. Fig. 6.

No. CLXXIX. Humani portio Stomachi magna, balfamo indurata, in illa rugæ non ſolum, verùm etiam Vaſa Sanguinea mirum in modum ad ultimum uſque ſunt repleta.

No. CLXXX. Phiala in liquore conſervans portionem Epidermidis Æthiopis, in qua luculentiffime apparent Papillarum Nervearum extremitates: Huic Epidermidi adhæret quoque Cutis portio, facie ſc. interiore.

No. CLXXXI. Capſula quadrata ex ligno Juglandino, & in illa magna portio Membranæ, quæ Hepar ambit; per eam diſſeminantur Arteriæ repletæ, & tanto quidem numero, ut fati mirari haud potuerim: circa illarum ultimas ultimas extremita-

mitates peculiare quid reperio, id quod sculptor, cælo suo, repræsentare vix ac ne vix quidem potuit.

Illud autem in conspectum non venit, nisi subjectum à latere perlustretur & quidem cælo sereno existente, aut in radiis solaribus.

Olim dictam Membranam, in Epist. Anat. Probl. delineari curavi, cum suis Arteriolis, enim verò quanta differentia est inter illam, & hanc exhibitam figuram. Vid. Tab. III. F. V.

Illo tempore gaudio afficiebat, cum artificio peculiari detegerem dictas Arteriolas quas nunquam videram ab aliis mihi esse demonstratas, multò minus per figuras exhibitas, nunc verò in hoc Thesaur. X. non solum illas, demonstro tanto numero, verum etiam peculiari extremitatum tenuitate.

Nº. CLXXXII. Capsula continens portionem ossis femoris, ex infante, ferra divisam, in cujus cavo non solum visui occurrit Membranula, instar telæ aranæ tenuis, quæ medullam ambit, verum etiam Arteriolæ, per illam dispersæ, Vid. Tab. III. Fig. IV.

Quando illa membranula ab acrioribus humoribus afficitur, dolores excitantur intolerabiles præsertim in lue venerea.

Circa Epiphysin superiorem, quæ in illis infantulis plane cartilaginea est, observo illam cartilaginem abruptam constare ex variis particulis, quæ temporis successu combinantur, & in unum corpus rediguntur.

Nº. CLXXXIII. Phiala in liquore continens portionem Epidermidis, plantæ pedis, ex Æthiope, in qua luculentissime conspiciuntur Papillarum Nervearum extremitates, tanquam agminatim dispositæ.

Not. Parti interiori hujus Epidermidis cutis adhæret, & sic omnis dubitandi ansa aufertur. Illud autem rarum esse censeo, sc. post mortem, Papillarum cutanearum extremitates posse demonstrari. Vid. Tab. III. Fig. 3.

Nº. CLXXXIV. Portio frontis, in qua visui occurrit Arteriarum cursus & distributio, per palpebrarum superiorum cutem. Hæ autem ortum ducunt è canto oculi majore. Vid. Tab. III. Fig. 6.

## Figurarum explicatio.

## T A B. I.

- F**ig. I. indigitat phialam, in qua conservatur portio Maxillæ inferioris, cum portione Malæ humanæ.
- A. Integumenta Malæ exteriora.
- B. Epithelia Malæ.
- C. Papillæ nerveæ Epitheliâ suâ obductæ, quæ admodum exiles sunt, ita ut sculptor illas non satis bene delineare potuerit.
- D. Ornamentum sericeum cæruleum, sub phiala positum.
- E. Dentes molares.
- Fig. II. indigitat portionem Epitheliæ papillofæ Buccæ microscopio visam, cujus lens magnitudine convenit cum humore crySTALLINO aselli minoris.
- Fig. III. Exhibetur foetus humanus qui adhuc continetur in membrana Amnio, & ejus proprio liquore, in quo hospitabatur in corpore materno, dum viveret.
- A. Membrana Amnios, telæ araneæ instar tenuis, cum liquore proprio.
- B. Pusio, seu Foetus.
- C. Capsula, ut & ornamentum sericeum cæruleum, in quibus posita est phiala crySTALLINA.

## T A B. II.

- Fig. Ia. exhibet os cubiti deforme factum ab humoribus acrioribus.
- A. Fistula ossea interna, quæ undique separata est à substantia ossea externa.
- B. Sinus.
- C. Olecranon deforme factum.
- Fig. IIa. ossis Tibiæ deformis, ferræ ope in duas partes divisi, facies exterior.
- A. Sinus cavernosi.
- Fig. IIIa. Eiusdem ossis facies interior.

A. Por-



Fig. II.



Fig. I.





Fig. III.



*J. M. Smith and Wm. H. Deane del. & sculp.*










Fig. I.



Fig. II.



Fig. III



Fig. IV.




Fig. V.





Fig. VI.



A. Portio ossis solidissima facta, & à pristinâ cavitate destituta.

B. B. Substantia osseo-spongiosa.

Fig. IV<sup>a</sup>. Ossis Tibiæ portio, Topho osseo obsita, & ferrâ in duas partes secta.

A. Facies interna.

B. Exostosis osseo-spongiosa non admodum dura.

Fig. V<sup>a</sup>. Ejusdem Ossis facies exterior.

A. Tophus cavernosus, & admodum durus.

Fig. VI<sup>a</sup>. Cutis horrendo adspectu, & inæqualis, ossis præcedentis Fig.

Fig. VII<sup>a</sup>. Portio dentis Elephantis variis exodontosis obsita, à sclopeti explosione forsan ortis.

Fig. VIII<sup>a</sup>. Exigua portio Dentis Elephantis, in qua globus æneus reperitur, qui sclopeti ope intravit.

A. Portio Dentis.

B. Globus æneus.

Fig. IX<sup>a</sup>. Portio ossis Tibiæ topho obsita, & secundum longitudinem divisa.

A. Facies externa propter tophum gibbosa.

Fig. X<sup>a</sup>. Ejusdem ossis facies interior.

A. Substantia ossea admodum crassa & dura.

B. Exostosis cavernosa.

### T A B. III.

Fig. I<sup>a</sup>. Embrio ab umbilicali funiculo dependens.

Fig. II<sup>a</sup>. Portio Ossis humeri è puerulo.

A. Epiphysis superior, partim cartilaginea, partim ex ossiculis constans.

B. Particulæ osseæ.

C. Substantia interior, quæ osseo-spongiosa, medulloso liquore imbuta, & membranula adeo tenui obsita, ut telam araneæ adæquet. Hæc autem superbit arteriis repletis, & exinde rubedine prædita.

Fig. III<sup>a</sup>. Portio Epidermidis ex Æthiope.

A. Epidermis admodum crassa.

B. Papillarum agmen.

F

Fig.

Fig. IV<sup>a</sup>. Portio ossis Femoris ex puerulo, in cuius Epiphyssi superiore cartilaginea varia quoque ossicula apparent.

Fig. V. Membrana Hepar humanum ambiens, per quam Arteriolæ reptant innumeræ.

Fig. VI<sup>a</sup>. Portio Frontis ex puero, per cuius Palpebram superiorem disseminantur Arteriolæ, ex angulis majoribus procedentes.





FREDERICI RUYSCHII

*Med. Doctor. Anatomes & Botanices Professoris, Academiae Cæsareæ Curiosorum Collegæ, nec non Regiæ Societatis Anglicanæ Membri,*

CURÆ POSTERIORES,

SEU

THESAURUS

ANATOMICUS

OMNIUM PRÆCEDENTIUM

MAXIMUS.

*Cum Figuris æneis.*



AMSTELODAMI,

---

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.  
MDCCXXIV.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 309

LECTURE 1

1.1. Kinematics

1.2. Dynamics

1.3. Energy

1.4. Angular momentum

1.5. Oscillations

1.6. Relativity

AUGUSTISSIMO  
POTENTISSIMO

ATQUE

INVICTISSIMO

CZARO

PETRO ALEXIOWITZIO,

MAGNÆ RUSSIÆ

IMPERATORI, &c. &c. &c. &c.



Ostremos laborum meorum fructus  
Per longam ætatis seriem quodammodo maturatos,  
nonnisi

AUGUSTISSIMO NOMINI TUO GLORIOSISSIME  
CÆSAR

Inscribendos censui,

Ratus si primitiæ ab Æthnicis, ac imperfecta laborum  
veluti rudimenta, ipso adhuc in stamine nu-  
minibus ipsis obferebantur, Majori equidem  
jure posteriores absoluti artificii conatus

HEROICÆ IMPERIALIS TUE MAJESTATIS VIR-  
TUTI

Dicari posse.

\* 2

Po-

POTENTISSIMO itaque IMMORTALIS NOMINIS  
SUI PATROCINIO vallatus Theſaurum meum  
Maximum

Seu laborum omnium per tot annorum ſpatium exant-  
latorum, & ad res Phyſico-Anatomicas illuſtran-  
das noviffime detectorum Epilogum Publico  
communicandum aggredior;

Eaque præcipue ſpe firmiſſima fretus

GLORIOSISSIMI NOMINIS TUI AMPLITUDINEM  
Poſtremis hiſce laboribus meis perennandis mo-  
mentum maximum adjecturam, nec FULGEN-  
TISSIMOS TUÆ MAJESTATIS RADIOS  
ſudoribus hiſce Illuſtrandis unquam  
defuturos, quorum Adoleſcentes  
partim conatus ante ſepten-  
nium

OBTUTU SUO CLEMENTISSIMO  
dignata fuit.

Prædilectum veluti gravium annorum Benjaminum

TUÆ MAJESTATI conſecro,

Illud tantùm cum univerſo Terrarum Orbe in TUÆ

GLORIÆ SECURITATEM fatendo:

TIBI ſcilicet Victoriis æque ac litteris inſtituendis

Nato non ſolùm ex armis præſentem RUSSICI

IMPERII felicitatem ſed & ex omnigena

ſcientiarum introductarum culturà Fu-

turam perpetuitatem deberi.

*Cæſarea Regiæque Majeſtatis Tuæ*

*Clientum infimus*

FREDERICUS RUYSCHIUS.

# P R Æ F A T I O.

**Q**uod me hic denuo prodire videas, Benevole Lector, in tam provectâ atate, scias velim, me hisce diebus per Clementissimi Creatoris gratiam, varia iterum detexisse, quæ libenter ante obitum, orbi literato communicarem sub nomine curarum posteriarum, sive Thesauri Anatomici omnium præcedentium maximi: in quo ultra ducenta & viginti objecta conspiciuntur: porro inter illa multa oculos incurrunt, quæ nunquam antea ab aliis descripta videram.

Convertamus primò oculos, & videamus quàm mirandum in modum Omnipotens DEUS nobis visui exposuit veram ramorum venæ portæ constitutionem: hujus rami quamvis emergant ex eodem fonte vel trunco, attamen multum inter se differunt, id quod nemo hæctenus per figuras nobis exhibuit.

O! Quàm mirifice occurrunt nobis jam dicti rami venæ portæ in hepate: in eo representant prorsus aliam constitutionem, quam in intestinis & in pancreate, sicuti in hoc opere videre licet, ut & in Decad. III. Adversar.

In hac congerie objectorum indigitatur quoque, quanta sit discretio inter reptatum & constitutionem ramorum venæ portæ & venæ cavæ, non solum in hepate, verum etiam per intestina: an, ad peculiare quid ob-eundum? facile calculum apponerem huic assertioni.

## P R Æ F A T I O.

Porro, perlustrari hic potest, ramos vasorum sanguineorum per mesenterium disseminatorum, tam subtiles ramusculos exserere, ut telam aranearum, variis locis, superent: id quod per iconem hic quoque represento. Dicta vasa mesenterica (mesenterio relicto) cum pervenerint ad intestina, aliam adoptant naturam circa illorum reptatum, qui revera admirandus est.

Ulterius, cum inter Scriptores satis superque disputatum sit, super verâ existentiâ vel constitutione lienis, quicumque congregationem hujus Thesauri dignetur perlustrare, quid sit de veritate hujus rei, luculenter satis apparebit.

Inter illa, quæ contra naturæ leges in hoc Thesauro occurrunt, haud infimum locum occupat frustum ossis femoris humani, prodigiosæ crassitudinis: nam in statu naturali, vulgò calami scriptorii, præter propter, crassitudinem obtinet, illud verò pollicem hominis superat; præterea in totum ferè cellulosum factum, an ab affluente humore & anasarca in veterata?

Omnem litem dirimere poterimus (ut sustineo) quid judicandum sit, de ita dictis glandulis cutaneis, quas pro papillis cutaneis, & tactus instrumentis, habeo.

Qui cupidus est videndi corticem cerebri vasculosum esse, & neutiquam ex oblongo-rotundis corpusculis, ut & tunicam novam in oculo, quam filius meus Henricus denominavit Ruyschianam, hic datur occasio.

Quid

# P R Æ F A T I O.

*Quid sit de cryptis Boerhaavianis, quæ scriptoribus glandulæ audiunt, in nullo animali luculentius eas offendi, quàm in balenæ intestinis, ea propter illis quoque locum concessi in hoc Thesaurò.*

*Ne quis postea dubitaret de vera existentia corporis reticularis Malpighii, sub cuticula siti, reperitur in hac congregatione non solum in Europæis, verùm etiam in Æthiopæ, semi-Æthiopæ, ut & in balena, quod litem & controversiam dirimit. Interim, hallucinantur quoque qui statuunt dictum corpus reticulare, non ubique sub epidermide inveniri in corpore humano, contrarium hic visui expono; & ne quis dubitet de veritate corporis reticularis supra dicti, huncce Thesaurum condecoravi frusto epidermidis, cui adhucdum adheret ab unâ parte corporis reticularis portio, ab alterâ parte, epidermis ab eo viduata est. Inter hæc omnia comparent quoque papilla, corpus reticulare, ut & epithelia linguæ balenæ.*

*Quâ in re differt embryo humanus, à fœtu humano, hic quoque videre est. Hisce adjunxi aliquot fœtus humanos, albicantes, diversæ ætatis, ut & sceleta duo albicantia fœtuum humanorum decumbentium in tumbris ex ligno Indico pretioso confectis; idque super matracia ex serico cæruleo fabricatâ.*

*Olim quidem visui exposui insolentes exostoses, hic quod magis mirandum, visui occurrit exodontosis, vel*

*ex-*

## P R Æ F A T I O.

*excreſcentia dentis Elephantis, & quidem in ejus cavo reperta: hujus iconem propter admirandam formam, in ſequenti Decade IV. viſui exponere conabor.*

*Inter Anatomica reperiuntur quoque varia Botanica, inter quæ varia exiſtunt, quæ Analogiam habent cum viſceribus noſtris, fructus puto, Pyra, Pruna, Poma Armeniaca &c. quæ in ſceleta (ut ita loquar) redigi & adjunxi, ut ineffabilia & divina DEI opera conſpiciantur, pondusque afferrent Systemati noſtro circa conſtitutionem & uſum vaſorum.*

*Præter hæc omnia ditatur quoque maximus noſter Theſaurus pyxidibus aliquot, quæ herbas floresque rariores continent, ditanturque papilionibus & aliis inſectis ex utrâque Indiâ præſertim allatis: ſuntque tales pyxides mihi tanquam herbaria viva, in quibus flores naturalem formam conſervant, coloremque per multos annos retinent. Herbaria viva, quæ hætenus vidi apud alios, & ſicuti ipſemet facere aſſoleo, omnia inter chartas exſiccantur, & comprimuntur, quo factò, recedunt à naturali conſtitutione; hic è contra conſpiciuntur, ceu in ſtatu vivo, id quod oculos allicit. Ex ſupra abundanti foret plura rarioſa hic recensere, quæ in hoc Theſauro nobis occurrunt, ſed ex ungue, uti in proverbio eſt, noſcitur leo.*

CURÆ



A D

VIRUM CELEBERRIMUM  
FREDERICUM RUYSCHIUM,

Med. Doct. Anat. & Botan. Professore. Acad. Cæs.  
Cur. Collegam: Reg. Soc. Angl. membrum.

Cum Anno Æt. 87.

CURAS POSTERIORES

Ederet.



*S*iccine præstantes auget nova cura labores,  
Posterior quamvis tempore, mole prior?  
Nominibusque tibi, RUYSCHI clarissime, multis  
Devincis doctos nunc, velut ante, viros?  
Latere, abstrusos quisquis penetrare recessus,  
Largaque natura munera nosse cupis;  
Pandit, in occultis fuerant qua tecta latebris,  
Et referat clausas RUYSCHIUS arte fores.  
I nunc! Pyramidum jactes portenta, labores  
Exsuperat tenuis pagina, Memphi, tuos.  
Quisquis eris, merito qui tot præclara stupebis,  
Quæ locuples oculis offeret arca tuis;

\* \*

*Quis-*

*Quisquis eris, venerare DEUM, miracula dives*

*Qui tot in exiguo corpore summa creat;*

*Et gratare seni, qui tot miracula magni*

*Numinis auxilio conspicienda dedit.*

*Felix! maneribus qui sic ditaverit orbem,*

*Et servet nomen post sua fata suum.*

*Gratulor annosam, RUYSCI venerande, senectam*

*Gratulor exactos, non sine laude, dies;*

*Et, quanquam diris debebis cedere fati,*

*Magne vir, innumeris vivere digne dies,*

*Pro meritis, medicum tibi quis obstrinxeris orbem,*

*Vives, quantumvis mortuus, usque tamen.*

JOANNES OOSTERDYK SCHACHT.

CURÆ POSTERIORES  
S E U  
T H E S A U R U S  
A N A T O M I C U S ,

OMNIUM PRÆCEDENTIUM MAXIMUS.

A S S E R I.

N. I.



Embryon humanus magnitudine semi-unciæ, dependens à funiculo umbilicali ope capilli, in phiala liquore repleta.

N. II.

Fœtus humanus aliquanto major, itidem in phiala liquore repleta: albus est, & quasi hodie natus, extremitates corporis perfectæ sunt, quibus prior caret, ea propter fœtus à me audit.

N. III.

Phiala ut supra, continens fœtum humanum, digiti circiter longitudine, dependentem à funiculo umbilicali; estque albi coloris, tanquam recens natus.

N. IV.

Phiala, liquore repleta, in qua continetur fœtus humanus; trium circiter, à gestatione mensium, repræsentans sexum masculinum, cum contra fœminini sit, quod ordinariò ea ætate, non contra naturæ leges est; estque etiam albissimus, & quasi hodie in lucem editus.

N. V.

Phiala, liquore repleta, & in ea fœtus humanus quatuor circiter mensium præter propter (meo iudicio) pulcher & albus: huic appositæ sunt duæ portiones cerebri mulieris, infanticidæ, quæ fœtum suum suffocaverat, abjeceratque in latrinam.

N. VI.

Phiala liquore repleta, & in ea portio epidermidis & corporis reticularis Malpighii, ex Æthiopiâ: & ut illa melius in conspe-

A

ctum

ctum venirent, ramum rarissimi cardui minimi *Alpini* (qui obiectum ad vitri parietem premit) addidi.

N. V I I.

Phiala, ut supra, & in ea portio epidermidis & corporis reticularis ex semi-*Æthiopissa*, in ea videre est, corpus reticulare dilutiore nigredine præditum.

N. V I I I.

Phiala ut supra, & in ea portio epidermidis & corporis reticularis ex *Europæa*, quæ ejusdem fere est albedinis cum epidermide. Huic aditus ramus plantæ *Americanæ portulacæ folio*.

N. I X.

Phiala ut supra, in qua continetur *Europæi* epidermis & corpus reticulare *Malpichii*, à calore solis, corpus reticulare subflavum factum: id quod semper fieri videmus à calore dicto.

N. X.

Pedamentum, & supra illud capitium (*Belgice een Callottie*) confectum è cute capitis infantis, cujus arteriæ sunt repletæ, unde totum obiectum summa rubedine tinctum est; porro est pulchræ notæ.

N. X I.

Pedamentum exiguum, cui imposita portio cutis faciei juvenis, cujus vasa sunt repleta, ea propter summopere rubra existens.

N. X I I.

Pedamentum exiguum, cui itidem imposita portio cutis faciei mulieris, eodem modo præparata.

N. X I I I.

Pedamentum, cui impositum aplustre è cute humanâ confectum, in quo multæ, imò innumeræ papillæ cutaneæ visuntur, quæ perperam pro glandulis cutaneis habentur à scriptoribus.

N. X I V.

Pedamentum ut supra, continens aplustre confectum è cute hominis adulti, è cujus superficie papillæ cutaneæ eminent, instar arenularum.

N. X V.

Pedamentum, cui impositum est aplustre è cute capitis, pilis subflavis oblita, huic remansit adhucdum tunica cellulosa arteriis repletis perfusa, quæ diverso gaudent reptatu ab iis, quæ per cutem reptant.

N. X V I.

Aplustre confectum, è cute foetus humani, cujus arteriæ sunt in-

infarctæ; epidermide, corpore reticulari, & tunica cellulosa, avulsis, in conspectum veniunt arteriæ, quas ab utraque facie cutis visas, eundem reptatum obtinere conspiciamus; contra, si quid tunicæ cellulosæ (per quam plurimæ quoque disseminantur arteriæ) remanserit, facile illud imponeret perlustrantibus, id quod semel contigisse vidi, cum mihi demonstrabatur cutis segmentum cui adhuc adhærebat tantillum tunicæ cellulosæ. Præterea observandum in hoc objecto punctum nigrum quod indicat papillas cutaneas, quæ oculis armatis visæ, tanquam variolas egregie referunt.

## N. X V I I.

Pedamentum, cui impositum frustum cutis foetus humani recens nati, cujus arteriæ sunt repletæ, unde summa est rubedine, quantumvis admodum sit tenue objectum.

## N. X V I I I.

Pedamentum ut supra, segmentum vel lamella transversa pectoris pueri vel infantis, cui adhuc remanserunt connexa cor & pulmo: in hoc objecto conspicitur verum esse, quod sæpius in prælectionibus ac demonstrationibus publicis dixi, sub sternone nullam reperiri cavitatem, quantumvis varii auctores in eo hallucinati sint: omnia viscera pectoris tam arcte & nitide inter se sita sunt, ut visu mirum sit. Seta bicolor & major indigitat auriculam dextram: altera seta minor, cor ipsum; tertia & minima auriculam sinistram. Præterea hic observandum omnia adhuc naturalem retinere situm, & magnitudinem, idque colore rubicundo, propter vasorum repletionem.

## N. X I X.

Pedamentum, cui imposita maxima cordis portio cujusdam infanticidæ, ancillæ, quæ foetum vivum rejecerat in latrinam; hæc autem in carcere detenta & ibidem denata, à me publice fuit dissecta.

Seta bicolor longissima demonstrat & quidem luculenter, ceraceam materiam rubedine præditam roris instar exitum sibi quævisisse per ultimas extremitates arteriolarum, quæ tomenti instar tenues sunt.

Seta brevior & bicolor notat vasa coronaria. Tertia & minima auriculam sinistram.

Hoc objectum optimæ notæ & eminentiæ est.

Phiala, in liquore continens renem foetus humani immaturi rubicundissimum, propter repletionem arteriæ. Notandum utramque membranam esse ablatam.

Phiala magna, in liquore continens crus, cum pede extremo, eorum muscoli separati sunt ex juvene, septem circiter annorum; muscoli naturalem colorem servant propter arteriarum repletionem: suntque muscoli egregie separati.

Phiala magna in liquore continens caput pueri, sex circiter annos nati, viventis capitis speciem repræsentans: suntque malæ, nasus, ut & labia levi rubedine perfusa, nullæ quoque rugæ in facie reperiuntur. Ita ut adhucdum vivere videatur. Ablata superiore parte capitis, in conspectum veniunt vasa sanguinea repleta post cerebri ablationem.

Pedamentum, supra illud glandula parotis è vitulo, recens nato. Repletio facta est per arteriam; sed verò, quanta discrepantia, inter constitutionem harum arteriolarum, & illarum, quæ reperiuntur in glandulis mesenterii? quemadmodum repræsentavi in opusculo de glandulis, mirum visu.

Phiala in liquore conservans uterum muliebrem, cujus fundus non solum, verum etiam cervix, secundum longitudinem aperta sunt, ut facies eorum visui occurreret, & sic in eo, cervice aperta, visui occurrunt chordæ plurimæ crassæ; hunc in finem aperta tenetur cervix spinâ transversim sitâ. Hisce annectuntur adhucdum Tubæ & ovaria, quorum unum ovarium ejusque tuba bene sunt constituta; alterum verò contra naturæ leges in aliud est mutatum & tubæ connatum.

Phiala sicca, & in ea, avicula paradisiæ, ex albo & nigro variegata, cauda duabus pennis longissimis prædita: Herm. Catal. mus. Waluhora Zeylan. id est Gossypium furens (Belgice *Ka-toen diefje*. codelatie Malab. Manuediata cristata ex albo nigroque variata. Ray Synop. avium. Telleyeaco, gentilibus. ex hujus cauda prominent duæ pennæ longissimæ niveæ, pedibusque est instructa. Inter rarissimas recensetur aviculas, Cl. Paulus Hermannus olim Professor Lugdunensis primus fuit, qui nobis

bis occasionem dedit videndi hancce aviculam perfectissimam.

N. X X V I.

Pedamentum & supra illud superior pars capitis ossei foetus humani, arteriolæ per pericranium disseminatæ, optime sunt repletæ, ut & illæ quæ repunt per duram matrem: sinus longitudinalis ceracea materia abrupta repletus est, quia ultimi ramuli arteriolarum mihi videntur hic & illic conjuncti cum extremis venulis, sanguine repletis, simul intrarunt in dictum sinum, & hinc illa abruptio, & forsan quoque illa hallucinatio auctorum, qui solebant repletionem illam facere per arterias carotides, atramento nigro, quo factò videbant atramentum in sinum longitudinalem quoque penetrare, & sic putabant sanguinem arteriosum per arterias in corpore vivo, etiam in dictum sinum sese exonerare, quibus calculum haud appono.

N. X X V I I.

Phiala liquore referta, & in ea prunum excarne, seu sceleton pruni, (ut ita loquar) dependens à filo, ut vasorum succosorum constitutio & reptatus luculentius in conspectum venirent, quæ vasa partim à pedicello, partim è nucleo prodeunt.

N. X X V I I I.

Phiala magna in liquore reservans segmentum transversum testiculi humani maximi, cujus vasa seminis rudimentum conficiuntia sunt confusa, & in cartilagineam substantiam redacta, eratque dictus testiculus in tantam molem excretus, ut caput foetus humani magnitudinem superaret.

N. X X I X.

Phiala in liquore continens duo objecta, quorum infimum embryon ovillus est, à capillo dependens, & hærens adhucdum proprio in liquore, in quo hæsit dum hospitaretur in utero materno, qui liquor ita transparet, ut jam luculenter visui se offerat embryon, ac si extra liquorem sese videndum exhiberet: superius objectum ovarium est, in quo conspicitur adhucdum vestigium loci, per quod ovi contentum exivit.

N. X X X.

Phiala liquore continens partes generationis puellæ.

N. X X X I.

Phiala liquore obsita, in quo reperitur minus bene, tamen dicta mola, quandoquidem veræ molæ non reperiuntur; suntque ut plurimum, nil nisi placenta, vel placentula residua post foetus vel embryonis exclusionem.

N. X X X I I.

**Pedamentum**, & super illud, cutis capitis hominis adulti, quæ hic nobis occurrit instar capitii (*Kalot* Belgicè) coloris rubri, propter vasorum sanguineorum repletionem. In hoc objecto videre licet, quo ritu arteriæ utriusque lateris sibi invicem occurrunt; subjectum autem est optimæ notæ.

N. X X X I I I.

**Phiala** liquore continens segmentum intestini recti humani inversum, ut cryptæ Boerhaavianæ, ut & pori numerosissimi sese videndos exhiberent.

N. X X X I V.

**Phiala** in liquore conservans segmentum oculi humani, in quo luculenter visui occurrit tunica sclerotica, Ruyfchiana, ut & retina, per quas tunicas arteriæ numerosissimæ sunt diffeminatæ curiosissime.

N. X X X V.

**Pedamentum** & supra illud frustum Intestini Ileï ex juvene, hujus repletio facta per arteriam & venam.

A S S E R    I I.

N. X X X V I.

**Phiala** continens in liquore frustum tendinis musculi è balæna, cujus constitutio admiranda, sc. digitum crassus est, nec non durissimus, & indissolubilis.

N. X X X V I I.

**Phiala** ut supra instructa frusto stomachi vitulini, in quo luculenter non solum propullulant papillæ sensui dicatæ, verum etiam earum corpus reticulare luculenter in conspectum venit.

N. X X X V I I I.

**Phiala** ut supra, in qua continetur portio piæ matris, cujus arteriæ modicè sunt repletæ.

N. X X X I X.

**Pedamentum** & supra illud pilus è ventriculo vituli.

N. X L.

**Phiala** in liquore conservans portionem cerebelli è vitulo; hoc autem cerebellum remanserat in capite vituli per semi-annum mortui in utero vaccæ, idque absque putrefactione, attamen non sine flacciditate: dictum cerebrum ad incudem revocavi, ejusque  
ar-



arterias ceraceâ materiâ rubrâ replevi tam nitide, ut adhuc videri hic possit. Vacca in qua hæsit dictus vitulus mortuus, macerabatur mense Novembri, eratque obesa & bene constituta, quamvis foetu mortuo obsita, & consumta in familia Cornelii Vos, hortulani civitatis Amstelodamensis. Raritas hujus rei in eo consistit, sc. cum nihil in corpore quadrupedum neque in homine citius putredinem induat, quam cerebrum; quod cerebellum tamdiu constans manserit ad arteriolarum repletionem. vid. Histor. decad. III. Anatom. Chirurg. Medicar.

N. X L I.

Phiala liquore referta, in qua hæret sceleton pyri, nobis indicans pyra æque bene constare ex vasis succosis, sicuti in corpore humano lienem ex meris vasis sanguineis, cum extremitatibus pulposis, quibus pyra quoque gaudent.

N. X L I I.

Phiala ut supra & in ea foetus biceps columbæ.

N. X L I I I.

Phiala liquore referta, continens magnum frustum pinguedinis humanæ ita constitutum, ac si jamjam è corpore extractum esset.

N. X L I V.

Pedamentum & supra illud foetus humani hepar, cujus vasorum extremitates pulposæ ita sunt repletæ, ut inter se sint confusæ, nec ulli ramuli vasorum in conspectum prodeant. Spinula bicolor indicat venam umbilicalem, quæ adhuc aperta & ceraceâ materiâ rubrâ infarctâ est. repletio facta per arteriam.

N. X L V.

Phiala liquore repleta, & in ea pia mater, cujus arteriæ sunt repletæ, ex muliere.

N. X L V I.

Phiala ut supra, in qua reperitur frustum placentæ muliebris; hujus vasa sanguinea in hydatides sunt mutata, quarum plurimæ visuntur admodum exiles, & maxima pars illarum in majorem molem sunt excretæ.

N. X L V I I.

Phiala ut supra, & in ea crus foetus recens nati cum extremo pede, vitæ speciem repræsentantis; inter digitos pedis continetur ramulus granadillæ folio tricuspide, fl. minore luteo. Tourn. flos adhuc superstes est.

N. XLVIII.

## N. XLVIII.

Pedamentum instructum auricula foetus immaturi ovilli: arteriolæ nitide sunt repletæ, nec non peculiari reptatu dispersæ: in ea quoque tres reperiuntur aciniformes particulæ.

## N. XLIX.

Phiala in liquore continens frustum longum intestini Ilei ex juvene; hujus arteriæ nitide sunt repletæ. Hic quoque in conspectum sese produnt, ita dictæ glandulæ Peyerii, (potius cryptæ Boerh.) solitariae (post intestini inversionem) & quod considerandum, hæ ita dictæ glandulæ extra superficiem, quæ proprie tunica intima audit, propullulant.

## N. L.

Phiala ut supra, in qua reservatur foetus humani brachium, vitæ speciem repræsentans, in cujus dextra continetur pyri sceleton; hujus vasis succosis extremitatibus adhuc appensæ sunt pulpositates notabiles.

## N. LI.

Oculus balænæ in liquore conservatus: hujus tunica sclerotica ab unâ parte vel latere pollice digiti longe crassior; præterea circulares fibræ pupillam contrahentes luculentius, quam in homine & aliis animalibus in conspectum veniunt, idque nulla ulteriore præparatione prægressâ, sed solâ incisione transversim instituta.

## N. LII.

Pedamentum & supra illud cor, & frustum pulmonis foetus humani recens nati, à matricidâ incisi.

Spinula tenerrima nigra indicat locum ubi arteria pulmonalis, & arteria magna conveniunt, & uniuntur per ductum arteriosum. Spinula bicolor demonstrat truncum arteriæ magnæ ascendentis. Spinula maxima bicolor & crassissima auriculam cordis dextram. Spina nigra obtusa & brevior auriculam sinistram. Punctum nigrum maximum, arteriam pulmonalem. Tria puncta solitaria, tres canales arteriosos sursum spectantes: duo puncta, arterias carotides. Spinulæ albicantes brevissimæ tenuissimæ arterias carotides. Spinula flocco rubro obsita subclaviam dextram. Filum sericeum, quo ligaveram portionem pulmonis ante repletionem. Spinula obtusa thymum.

## N. LIII.

Pedamentum & super illud magnum segmentum intestini hominis, cujus arteriæ non solum, verum etiam venæ repletæ sunt, unde summâ conspiciuntur rubedine.

## N. LIV.

## N. L I V.

Phiala in liquore continens priapum vegetabilem. *Hermanni.* seu herbam canthariferam. *Rumph.* Bandura. *Ceylanenf.* Daun. Gindi. *Amboinenf.* vid. *Ephemerid.*

## N. L V.

Intestina juvenis, cujus arteriæ sunt repletæ, supra pedamentum.

## N. L V I.

Phiala liquore referta, & in ea vipera exigua Zeylanica vittata gesticulatrix, ad cervicem conspicillo insignita. Cobras de capelo. *Lusit.* dicta. Naia *Zeylanenf.* *Hermann.* *Mus.* *Zeylanic.* seu serpens Indicus coronatus diademate seu conspicillo insignitus. *Ray synopsis. anim.* Belgice *Brilflang*, hærens inter *Epiocymum*, seu cuscutam super ocymum; dicta planta est onusta semine; quod in eadem phiala visui occurrit.

## N. L V I I.

Phiala in liquore reservans utramque Tunicam, sc. scleroticam & choroideam inversam, ut hæ duæ non solum, verum etiam *Ruyfchiana* visui occurreret.

## N. L V I I I.

Pedamentum, & supra illud dimidia pars thoracis infantis. Vasa per costas musculosque intercostales mirum in modum sunt repleta: corpora vertebrarum transversarum scatent quoque particulis rubris, & quod mirum visu, membrana medullam ambiens scatet arteriolis peculiaribus, tantaque subtilitate præditis, ut non nisi tempore meridiano, cælo admodum sereno existente, in conspectum veniant, præterea spectantis oculi armati aliquandiu figendi sunt uno eodemque loco, quo sine, impossibile est, illarum reptatum videre.

## N. L I X.

Segmentum pulmonis humani. repletio facta per venam pulmonalem: hinc millenæ vesiculæ pulmonales quoque sunt repletæ: hic autem occurrunt vesiculæ repletæ longè minores, quam in superiore subjecto, id factum à repletionem leniore.

## N. L X.

Pedamentum, & supra illud segmentum lienis bovis, cujus arteriæ pulpositatibus adeptis, flatu repletum, exsiccatum, nobis indicat stamina lienis longius à se invicem distare, quam in liene vitulino, quandoquidem lien in majorem quidem magnitudinem excrescit, & stamina non augentur numero.

## A S S E R    I I I .

## N. L X I .

Phiala liquore repleta , & in illa segmentum lumborum humanorum ; in quo spinalis medulla arteriolis repletis , in conspectum venit.

## N. L X I I .

Phiala ut supra , in qua cor foetus humani rubicundo colore superbiens , à filo tenuissimo dependet.

## N. L X I I I .

Phiala , ut supra , in qua ren pueri , cui adhuc infidet ren succenturiatus , suntque rubicundo colore præditi propter repletionem per arteriam factam.

## N. L X I V .

Phiala , ut supra , segmentum Intestini Ilei ex juvene , cujus superficies interior villo-papillosa à me dicta , in conspectum venit , propterea quod intestinum inversum sit : estque hoc objectum rubicundissimum à repletionem per arteriam facta.

## N. L X V .

Phiala ut supra , lien ex juvene , cujus arteriæ sunt repletæ.

## N. L X V I .

Phiala , ut supra , epidermis & corpus reticulare rosmari , Belgice *Walrus*.

## N. L X V I I .

Pedamentum & supra illud , pes cum pede extremo balsamo indurati , & rubicundissimo colore superbientes , propter repletionem per arteriam factam ; è foetu recens nato.

## N. L X V I I I .

Pedamentum & supra illud segmentum diaphragmatis , cum dimidia parte pericardii . Spina alba indicat segmentum diaphragmatis ; nigra vero segmentum pericardii , è foetu humano ; repletio facta per arteriam.

## N. L X I X .

Pedamentum & c. segmentum capitis infantis , in quo occurrunt , 1<sup>o</sup>. cutis capitis rubicundissima. 2<sup>o</sup>. auricula rubra. 3<sup>o</sup>. membrana dura mater cum suis arteriolis.

## N. L X X .

Phiala in liquore continens penem scrotumque inversum è puero , repletio facta per arteriam. In fundo phialæ reperitur segmentum

mentum penis virilis, cujus tria corpora nerveo-spongiosa sunt repleta, ut & ramulus cum flore & fructu floris passionis curassav. hederæ hirsuto folio, fl. albo. *Par. bat. prod.* f. fl. passionis albi & reticulati. *Par. bat.* Granadillæ flore albo, fructu reticulato. *Boerhaav.*

## N. L X X I.

Pedamentum instructum segmento lienis vitulini in formam aplustris, cujus arteriæ sunt repletæ, harum extremitates imæ adeo sunt exiles, ut captum humanum superent.

## N. L X X I I.

Pedamentum continens dimidiam partem renis humani; hujus repletio facta per venam, ut differentia appareat inter repletionem per arteriam & venam, quæ considerationem meretur.

## N. L X X I I I.

Pedamentum continens aplustre confectum ex segmento Intestini Ilei ex homine adulto; hujus vasa tomenti instar finem faciunt.

## N. L X X I V.

Phiala sicca, continens pilos ex atheromate omenti desumptos vid. Historiam in Observ. meis Anatom. Chirurg. pag. 17.

## N. L X X V.

Phiala in liquore continens uterum humanum tam naturaliter conservatum, ac si hodie desumptus fuisset ex muliere.

## N. L X X V I.

Pedamentum instructum hepate foetus ovilli imperfecti, repletio facta per venam umbilicalem, & hoc facto longe differt, ac si per arteriam fuisset instituta.

## N. L X X V I I.

Phiala in liquore continens lienem humanum ex parte evolutum; hujus arteria repleta luculenter indicat nullas cellulas, neque fibras inesse lieni.

## N. L X X V I I I.

Phiala ut supra, continens muscolum elevatorem brachii, deltoïdem; ab hujus tendine dependent ultra triginta muscutorum corpuscula, quæ à se invicem curiose sunt separata, absque læsione carnositatis.

## A S S E R . IV.

## N. L X X I X.

Pedamentum instructum brachio foetus humani balsamo indurato; per cutem vascula sanguinea adeo sunt numerosa, ut objectum sit ruberrimo colore præditum; in manu continet & demonstrat folium quercinum, cujus pulpositate in totum fere adempta perpulchre repræsentat reticulum.

## N. L X X X.

Phiala magna in liquore demonstrans maxillam humanam dentibus omnibus niveis præditam: lingua rubicundissima est, è cuius superficie eminent papillæ linguales rubicundæ; gingivarum papillæ quoque videndas sese exhibent. Præterea visui occurrit ab uno latere, cartilago mobilis, quæ processui condyliformi adhuc cohæret; repletio facta per arteriam. Supra operculum visui occurrit capitulum osseum foetus humani nitidissimum.

## N. L X X X I.

Pedamentum curiosum & super illud stomachus pueri, cujus arteriæ repletæ sunt; & quod notandum, leviter replevi huncce stomachum, unde factum est ut visantur foveæ.

## N. L X X X I I.

Pedamentum & supra illud sternum cum cartilaginibus costarum; repletio mirum in modum per arteriam peracta, millenæ enim in conspectum veniunt extremitates tomenti instar tenues; suntque cartilagines transparentes.

## N. L X X X I I I.

Pedamentum continens segmentum magnum mesenterii humani, cum glandulis numerosissimis, sc. majoribus, minoribus & minutissimis, quarum ultimæ visum effugiebant ante repletionem; & quod notandum, Icon hujus subjecti ex parte depictus in responsione nostra de corp. glandular.

## N. L X X X I V.

Pedamentum continens segmentum mesenterii ex alio homine, in eo longe pauciores inveniuntur glandulæ, objectum attamen admodum curiosum.

## N. L X X X V.

Phiala in liquore conservans frustum magnum Intestini jejuni inversi ex homine; in eo non solum arteriæ, verum etiam venæ  
in

in totum sunt repletæ ad ultimum usque, unde objectum ruberrimum, & tanquam inflammatum visui occurrit. Juga, (aliis valvulæ conniventes) ut & tunica villosa, (mihi nerveo-villosa) clare quoque eodem colore imbuta, in conspectum veniunt.

## N. L X X X V I.

Pedamentum nitidissimum & instructum hepate ex juvene, cujus repletionem peregi per arteriam magnam, & tamen totum hepar vasis sanguifluis superbit, id quod consideratione dignum esse censeo. Longe inter omnia, quæ præparavi jecinora agmen ducit hoc objectum, utpote, oculis armatis visum, idque cælo fereno existente, totum objectum ex meris vasis constareprehendimus; non verò ex peculiaribus corpusculis, quæ dicuntur glandulæ: præterea, post repletionem retinuit naturalem magnitudinem, & neutiquam in majorem molem extensum. Vesicula fellea, ut & ligamentum umbilicale scatent quoque vasis sanguineis repletis.

## N. L X X X V I I.

Phiala, in liquore conservans extremum pedem juvenis, cujus arteriæ sunt repletæ: in extremis digitorum nonnullæ comparent papillæ nerveæ, sc. eo loco, ubi cohæserunt unguiculis. Supra objectum visui quoque occurrit ramus Elichrysi arborei Afric. salviæ folio odorato. *Boerhaav.* & supra illa objecta occurrit pia mater adulti hominis, cujus arteriæ quoque sunt repletæ.

## N. L X X X V I I I.

Phiala, ut supra, in qua conspiciuntur tibia & pes extremus vitæ speciem non solum repræsentantes, verum etiam ad amissim respondentes affectui, qui dicitur febris purpura. huic objecto assidet ramus momordicæ Zeylanicæ pampinea fronde, fructu breviori. *Tournef.*

## N. L X X X I X.

Pedamentum & supra illud frustum intestini Ilei humani inversi, in quo ab inflatione valida cellulofitas apparet: quæ, an pro sexta membrana intestinorum recensenda, videant Anatomici.

## N. X C.

Phiala in liquore continens pueri brachium cum manu vitæ speciem exhibentia: ne autem videatur otiari, in manu continet & demonstrat arterias piæ matris ceraceà materiâ repletas: supra operculum visui occurrit caput cardui tomentosi.

## N. X C I.

Phiala in liquore continens frustum piæ matris, cui adhærent

variis in locis vascula corticem cerebri constituentia; supra operculum hujus phialæ continetur pedamentum instructum aplustro foetus humani, cujus arteriæ sunt repletæ.

N. X C I I.

Phiala, ut supra, in qua luculentius illa apparent, quam in præcedenti.

N. X C I I I.

Phiala, ut supra, in qua multo luculentius illa in conspectum veniunt, quam in præcedentibus duobus præscriptis: huic adhuc adhærent particulæ corticis cerebri.

N. X C I V.

Phiala magna in liquore continens caput pueri, unius circiter anni; superiore capitis parte, ut & cerebro ablatis, prodit pia mater cum suis arteriolis repletis. Facies ut & prolabia vitæ speciem quoque repræsentant, ita ut illud objectum maximi momenti sit. Supra operculum dicti capitis conspicitur Phiala sicca

N. X C V.

In qua continetur pedamentum, & supra illud ovulum gallinaeum putamine duro obductum, magnitudine nucis molchatæ, inventum in ovo gallinaceo vulgari: huic ovulo exiguo infidet sceleton muris, in cujus dorso osseo infidet aliud muris sceleton.

N. X C V I.

Pedamentum, cui impositus est musculus gluteus major ex juvene: repletio facta per arteriam, unde colore rubicundissimo præditus.

N. X C V I I.

Tumba exigua nitida, confecta ex ligno Indico, in ea sepelivi sceleton niveum foetus humani quatuor præter propter mensium, in cujus dextra continetur Ephemeris (vulgo *haft*) quia dictum insectum per diem vivit. Inscriptio talis est:

E A D E M, Q U Æ V I T A M D E D I T, H O R A C A R P S I T.

N. X C V I I I.

Pedamentum instructum hepate foetus humani sex circiter mensium à conceptione: repletio facta per arteriam, variis in locis visui occurrunt acini hepatis, & per vesiculam felleam repletæ arteriolæ. Subjectum illud optimæ notæ.

N. X C I X.

Pedamentum continens frustum cutis juvenis, omni circumspectione & in totum tunica cellulosa cum suis vasis sanguineis ab-

latis.



latis. Vasa fanguinea per cutem disseminata, conspiciuntur simplicem & eundem obtinere reptatum, objecto ab utraque parte viso: contra, si tunica dicta in totum à cute haud sit separata, tunc comparent vasa, & tunicam cellulosam gaudere reptatu ramorum arborum, cum cutis obtineat vasa reticulatim disposita: hoc objectum inspiciendum per microscopium, coelo fereno existente, idque luce averfa & à latere visum: præterea in hoc objecto, ita viso, occurrunt variæ exiles acini-formes particulæ præsertim eo loci, ubi spinula à me intrusa est.

N. C.

Pedamentum & supra illud lien ovillus integer; repletio facta per arteriam ceraceâ materiâ flavâ.

N. C I.

Pedamentum & supra illud frustum lienis vitulini, cujus repletio facta per arteriam: acini hujus objecti evoluti sunt, ita ut tomentosæ extremitates in conspectum veniant, illud objectum, tam eximium, ut obtusefaciat spectatores.

N. C I I.

Pedamentum &c. segmentum magnum pulmonis humani, cujus repletio facta per venam pulmonalem: in ea repletione vesiculæ pulmonales magna ex parte sunt repletæ, præsertim ubi spinulæ binæ albicantes sunt intrusæ. Spinula nigra indicat faciem à me dictam cellulosam, ubi myriades vasculorum sanguineorum apparent.

## A S S E R V.

N. C I I I.

Pedamentum &c. segmentum extremi penis virilis; in eo videri potest, glandem constare ex omnibus, id est, tribus corporibus nerveo-spongiosis, sicuti delineari curavi à plurimis annis in observat. meis Anatom. Chirurgicis.

N. C I V.

Pedamentum continens auriculam humanam summâ rubedine perfusam, propter repletionem arteriolarum. Observandum, naturalem constitutionem satis bene reservatam esse post balsamationem & indurationem; optimæ notæ est.

N. C V.

Phiala liquore repleta; in qua visui occurrit frustum placentæ uterinæ

uterinæ humanæ; quæ in totum redacta in hydatides, continentes liquorem aquosum, qui affectus à me nuncupatur hydrops placentæ uterinæ: de hoc affectu à plurimis annis scripsi & eum per icones expressi in observat. meis Anatom. Chirurgic.

In eadem phiala repræsentantur duo quoque fructus alterius placentæ uterinæ humanæ, cujus vasa per arterias replevi, ita ut videntur sese exhibeant ramificationes innumeræ, quarum ultimis extremitatibus omnibus in hydatides mutatis, non rarò integram ferè urnam, (*Emmer* Belgicè) vidi repletam; unde ejusmodi mulieres videntur gravidæ ex duobus tribusve fœtibus.

## N. C V I.

Pedamentum instructum segmento magno mesenterii ovilli; hujus arteriæ non solum, verum etiam venæ sunt repletæ: suntque hujus objecti glandulæ (ni fallor) nonnihil diversæ ab iis, quæ in corpore humano reperiuntur, idque non solum ratione figuræ, verum etiam particularum minimarum rotundarum, inter ramificationem horum vasorum: quales autem sint dictæ particulæ, in posterum Deo volente explanabimus.

## N. C V I I.

Pedamentum indicans portionem placentæ uterinæ humanæ, cujus vasa nitidissime sunt repleta: optimæ notæ est.

## N. C V I I I.

Phiala liquore repleta, in qua substantia polyposa in formam membranæ è sanguine meo, à me facta, sola conquassatione. Hæc autem conquassatio facta per ramum juniperi Goënsis, quo factò, dicta substantia fibrosa firmiter sese applicuit dicto ramo, tanquam pseudo-membrana, quæ hic subnigra apparet, quamvis in principio alba fuerit.

## N. C I X.

Pedamentum continens portionem pulmonis vitulini, folium arboris repræsentans, hujus arteriæ peculiari modo reptantes admodum sunt teneræ, & ad lucem (coelo sereno existente) conspiciendæ.

## N. C X.

Phiala &c. & in ea rete admirabile è capite vitulino, cujus arteriæ, dictum rete constituentes, sunt repletæ; jure merito nomen illud competit huic objecto, cum neque ortum neque finem expiscari possimus.

## C X I.

Phiala &c. continens Testiculum humanum nitidissime evolutum,

tum, superans omnes testiculos unquam à me evolutos; isthæc evolutio refert fasciculum crassum & magnum ferici albissimi atque tenuissimi.

## N. C X I I.

Pedamentum &c. frustum musculi furalis, in quo videre licet, quomodo extremitates ultimæ arteriolarum, ceraceam materiam effuderint in substantiam carneam, unde rubedinem acquisivit.

## N. C X I I I.

Phiala liq. &c. segmentum cutis plantæ pedis, in eo comparent epidermis, corpus reticulare, cutis cum suis papillis nerveis ex Europea muliere, unde duo priora corpora eodem sunt colore, dependentque à cute ex parte avulsa & per fundum dispersa: cutis verò rubicunda à repletionem arteriolarum; hujus papillæ nervosæ tantisper prominent ex cutis superficie.

## N. C X I V.

Phiala &c. frustum magnum Intestini Ilei humani adulti hominis; hujus vasa in totum sunt repleta, ita ut videantur inflammata; superficies interior, quæ Phialæ parietem respicit, nobis occurrit phœnomenum vermiculorum exiguorum. Ramus objectum versus phialam comprimens est asparagus Africanus, tenui-folius, viminalibus virgis, foliis laricis instar ex uno puncto numerosis, stellatim dispositis. *Plukn. Amaltb. Bot.*

## N. C X V.

Pedamentum & super illud frustum magnum diaphragmatis ex homine, cujus arteriæ nitidissime sunt infarctæ, non solum per partem musculosam, verum etiam per membranosam; horum reptatus quoque diversus.

## N. C X V I.

Phiala in liquore reservans Intestinum Ileum recens nati; in eo conspicere licet intestini susceptionem, id quod rarò contingit, in recens natis.

## N. C X V I I.

Pedamentum continens frustum Intestini Ilei ex vitulo recens nato; repletio facta per venam cavam, cujus extremitates perquam tenues apparent. Objectum ipsum repræsentat, & quidem perfecte, ornamentum ex linteo carpo applicandum, quod Belgice audit *Ponjet*. Notandum, horum vasorum reptatus non convenire cum iis, qui occurrunt in homine.

## N. C X V I I I.

Pedamentum cui insidet frustum mesenterii humani glandulis plu-

pluribus instructum, cujus repletio facta per arterias & tanta quidem dexteritate, ut in iis conspersa reperiantur corpuscula rotunda, acinos hepatis imitantia; hoc objectum optimæ notæ.

N. C X I X.

Phiala liquore referta, in qua continetur portio stomachi inversi, ut visui occurrant circumvolutiones, æmulantes circumvolutiones Cerebri humani. Repletio facta per arteriam.

N. C X X.

Pedamentum instructum naso humano, balsamo indurato, cui adhærent labium superius, gingivæ, ut & quatuor dentes; repletio facta per arterias, præterea cutis admodum rubicunda, pori per microscopium visibiles; reptatus arteriarum per cutem luculentissime non solum conspiciuntur, verum etiam per gingivas & prolabium, quorum integumentum non audit epidermis, sed verò epithelia, quandoquidem sub iis nulla quidem cutis, ast verò textura papillarum sensibilibus invenitur.

N. C X X I.

Lamella penis virilis transversim secta, ut non solum duo corpora nerveo-spongiosa majora, verum etiam corpus nerveo-spongiosum minus vel urethræ in conspectum venirent. Objectum optimæ notæ.

N. C X X I I.

Phiala liquore repleta, & in ea embryo ovillus unciæ magnitudine à capillo dependens, idque in proprio liquore & membranis, qui liquor perspicuitatem non amittit.

N. C X X I I I.

Phiala &c. caniculus bicolor inter pedes anteriores embryonem cercopitheci Americ. continens, coloris subnigri, digiti magnitudine.

N. C X X I V.

Phiala &c. conservans stomachum foetus humani, cui lien & segmentum omenti annectuntur. Repletio facta per arterias: per omentum telæ aranearum instar tenue, reptant ramuli arteriosi tomenti instar tenues.

N. C X X V.

Pedamentum &c. segmentum magnum Intestini jejuni. Repletio facta per venam & arteriam; hinc summâ rubedine perfusum.

## A S S E R VI.

## N. C X X V I.

Pedamentum &c. segmentum magnum lienis humani. Repletio facta per venam: hujus acini, qui diversi sunt ab iis, qui exstant in hepate, hic sunt tantisper evoluti.

## N. C X X V I I.

Pedamentum &c. arteriæ repletæ è cerebro humani foetus. Hæ autem admodum teneræ, ita ut facillimè frangantur.

## N. C X X V I I I.

Pedamentum &c. Auricula cordis sinistra ex homine. Repletio facta per arteriam: hæc formam obtinet cristæ galli.

## N. C X X I X.

Pedamentum &c. segmentum lienis humani, cujus arteriam ceraceâ materiâ rubrâ replere decreveram: cum autem hoc ad votum non videretur evenire, replevi quoque venam materiâ ceraceâ flavâ, id quod optimè successit, & sic ex parte objectum rubicundum quidem videndum sese exhibet, sed verò maximâ ex parte flavedinem assumpsit. Notandum interim quanta sit discretio inter vasorum constitutionem lienis humani, & quadrupedum. Objectum hoc bonæ notæ, ex muliere obesâ, & ætate provectâ.

## N. C X X X.

Pedamentum &c. segmentum pulmonis humani, cujus vasa sanguinea sunt infarcta ceraceâ materiâ rubrâ.

## N. C X X X I.

Pedamentum &c. frustum stomachi infantis, cujus arteriæ mirum in modum sunt repletæ.

## N. C X X X I I.

Phiala sicca, & in ea Intestinula foetus humani, horum arteriæ optimè sunt repletæ, & quod considerandum, Intestinula rotunditatem in totum conservarunt sine foveis.

## N. C X X X I I I.

Pedamentum &c. aplustre confectum ex segmento Intestini Ilei humani: cujus repletio facta per venam cavam.

## N. C X X X I V.

Phiala in liquore continens pædothecam infantis, quæ innitur segmento placentæ uterinæ humanæ, cujus arteriæ sunt repletæ.

## N. C X X X V.

Pedamentum &c. cor foetus humani, cujus repletio facta per arteriam, quæ repletio tam nitide peracta, ut subtilissimæ extremitates in conspectum veniant; præterea visui occurrunt portiones trunci arteriæ magnæ, ut & arteriæ pulmonalis, nec non locus ubi hæ binæ coalescunt, qui dicitur ductus arteriosus.

## N. C X X X V I.

Phiala in liquore continens segmentum arteriæ magnæ descendens, cujus lateri dextro connatum est segmentum ductus thoracici, à me ceraceâ materiâ rubrâ repleti ex muliere adulta.

## N. C X X X V I I.

Phiala &c. segmentum magnum stomachi infantis, cujus arteriæ repletæ ad ultimum extremum, huic affidet ramus Lychnidis flosculis minutissimis foliisque gramineis.

## N. C X X X V I I I.

Pedamentum &c. segmentum renis humani, cujus repletio facta per truncum venæ cavæ. Optimæ notæ.

## N. C X X X I X.

Pedamentum instructum segmento magno Intestini crassi (ex muliere obesa) huic portio mesenterii annexa, ventilabrum repræsentat. Repletio facta per venæ cavæ ramum. Objectum itidem optimæ notæ.

## N. C X L.

Phiala in liquore continens duos renes succenturiatos, quorum arteriæ sunt repletæ.

## N. C X L I.

Phiala in liquore continens vermem per vias urinarias excretum, diversum ab aliis vermibus.

## N. C X L I I.

Pedamentum &c. apulstre confectum è cute humanâ; repletio facta per arteriam, in eo innumeræ papillæ cutaneæ comparent, quæ aliis perperam glandulæ cutaneæ dicuntur.

## N. C X L I I I.

Pedamentum cui imposita sunt intestinula foetus humani: repletio facta per arteriam, coli portione apertâ in conspectum venit gemina valvula coli, acu intrusâ patefacienda.

## N. C X L I V.

Pedamentum & super illud salino simile, confectum ex intestino juvenis, cujus repletio facta per arteriam; hinc colore rubicundissimo præditum.

## N. C X L V.

## N. C X L V.

Pedamentum & supra illud vexillum confectum ex intestino jejuno hominis, cujus repletio facta per arteriam, unde summâ rubedine conspicitur.

## A S S E R VII.

## N. C X L V I.

Phiala liquore repleta, & in ea foetus humani pes, sub cujus pede extremo reperiuntur spinæ echinomelocactos, cum inscriptione:

## P E R A S P E R A , A D A S T R A !

Objectum vitæ speciem repræsentans, à capillo dependet in liquore. Repletio facta per arteriam.

## N. C X L V I I.

Phiala in liquore continens unam atque alteram vertebra[m] colli, cum segmento medullæ spinalis è foetu humano, in medio medullæ spinalis conspicitur cortex, rubro colore præditus, qui nil, nisi vascula ex arterioli[s] oriunda.

## N. C X L V I I I.

Pedamentum & supra illud segmentum magnum Intestini coli ex homine, cujus repletio facta per ramum venæ cavæ: horum ramulorum reptatus plane diversus est ab iis vasculis, quæ dispurguntur per dictum Intestinum, si repletio facta sit per ramum venæ portæ.

## N. C X L I X.

Pedamentum instructum sterno, cum cartilaginibus costarum & musculis intercostalibus, è foetu humano, repletio facta per arteriam, quæ optime successit. In hoc objecto ossicula sterni sunt bicomposita, id quod nunquam offendi.

## N. C L.

Phiala liquore referta, & in illa duo segmenta placentæ uterinæ humanæ summâ rubedine perfusa, propter repletionem ad ultimum usque. Objectum optimæ notæ.

## N. C L I.

Phiala &c. frustum magnum placentæ uterinæ humanæ, cum segmento funiculi umbilicalis.

NB. Facies, quæ respicit phialam, adhuc obsita est involucro

molliori, quæ respicit uterum, & à chorio oriri videtur, faltem cum eo connectitur. Hinc palam esse existimo, vasa uterina, cum vasis placentæ immediate haud uniri. *Vid. Thesaur. v. in eo fufius super hac re scripsi.*

## N. C L I I.

Pedamentum &c. magna portio pulmonis vitulini, cujus vasa arteriosa ad ultimum usque sunt repleta. Notandum interim reptatum horum vasorum discrepare ab iis, quæ reptant per pulmonem humanum, & quod per consequens nonnulli hallucinati sint, qui nobis repræsentarunt figuras ad brutorum objecta factas, sine admonitione debitâ.

## N. C L I I I.

Pedamentum ex ligno Indico confectum, continens intestinula foetus humani, cujus arteriæ sunt repletæ: in Ileo observandum Intestini diverticulum unciaë magnitudine, in cujus extremo tres vesiculæ comparent capitula aciculorum repræsentantes. Id admodum rarum esse existimo.

## N. C L I V.

Pedamentum &c. semi-ren ovillus, cujus vena repleta; in illa diversitatem observamus notabilem, inter hoc objectum & renem humanum.

## N. C L V.

Catinulus confectus ex segmento Intestini Ilei humani inversi, & inflati, ut visui occurreret cellulositas quædam, quæ aliis habetur pro tunica cellulosa secunda; per hunc catinulum diffeminantur innumeræ venulæ, præsertim à venæ cavæ ramis oriundæ, gaudentque reptatu diverso ab iis, quæ proveniunt à venæ portarum. Dictus catinulus in se continet frustum exiguum ferri, magnetis vim obtinens, & proveniens ex cruce ferreâ, desumpta è templo (novo dicto) civitatis Delphenensis: hocce donum mihi misit Cognatus meus, reverendus D. *Henricus Ruysch*, Pastor vigilantissimus Ecclesiæ Reformatæ Delphenensis, qui illud à famigeratissimo D. *Leeuwenhoeckio* acceperat.

## N. C L V I.

Pedamentum cui impositum est segmentum cutis humanæ, omni tunicâ cellulosâ ademptâ, ut verus reptatus arteriosus spectantis oculos incureret. Illud enim aliquibus imposuit, qui cellulositatem vasculosam, & oleosam in totum non abstulerant, diversum reptatum ostendentes; existimabant cutem duum generum



rum vasa obtinere: eum in finem hocce præparatum conficere decreveram. Inspiciendum averſa luce, ut vasa luculentius appareant.

## N. C L V I I.

Tibia & pes extremus infantis vitæ ſpeciem repræſentans, hiſce aditus eſt ramus baſaminæ maris Zeylanici fructu rubro minori &c. Objectum optimæ notæ in liquore conſervatum.

## N. C L V I I I.

Phiala in liquore continens fruſtum cerebri foetus flaccidi vacæ, in cujus utero hæſerat, mortuus per ſemi annum abſque putrefactione, non ſine flacciditate: & hoc etiam locum habere in mulieribus obſervo, modo uterus maneat clauſus, ut ſupra monui. Notandum interim me hocce objectum per arteriam repleviſſe, neque mihi obſtetiſſe quod tamdiu foetus hæſerit in utero mortuus. Vide ſuper hac re ulterius decad. 3.

## N. C L I X.

Pedamentum inſtructum patella humana, ſupra quam innumera arteriæ repletæ repunt, quæ haud pertinent ad patellam, ſed vero ad remanentiam tendinis muſculorum tibiam extendentis.

## N. C L X.

Pedamentum & ſupra illud compoſitio variorum, quæ reperta ſunt in atheromate ſtomachi, ſc. os deforme, pili & quatuor dentes molares. Vid. ulterius hiſtoriam in decad. II. Teſtimonio munitam.

## N. C L X I.

Phiala in liquore continens ſegmentum quadrupedis cum annexo crure & extremo pede ut & unguicula non fiſſa, ſed integra, quæ ſunt cum quatuor dentibus molaribus, oſſe difformi & pilis reperta in dicto atheromate.

## N. C L X I I.

Phiala in liquore reſervans magnam partem mammæ mulieris, vitæ ſpeciem referentem; hujus ſubſtantia neſtquam glanduloſa, ſed verò talis, qualis non datur in toto corpore, præterquam, quod aliquam analogiam habeat, cum paraſtatis humanis, ſcilicet tenaciſſima, albiſſima, & neſtquam evolvenda: rotundæ particulæ, quæ in mammis reperiuntur, mera eſt pinguedo, cæteræ particulæ rotundæ in papillæ extremo, capitæ aciculæ minoris magnitudine papillæ, mihi ſunt, quæ ſenſationem vel ſenſum ibi præſtant.

## N. C L X I I I.

## N. C L X I I I.

Phiala in liquore fibras musculares continens; sc. fibram atque alteram in plurimas fibras subtilissimas separaveram, quæ tomenti instar sunt tenues, quæ ut melius in conspectum venirent, addidi ramum pimpinellæ spinosæ: cum autem morâ fundum assolent petere fibræ, movenda est phiala: nam tunc diversæ spinulis adhærere coguntur.

## N. C L X I V.

Pedamentum cui imposita est costâ infantis ita incurvata, ut litteram C. repræsentet, hoc factum à me post macerationem in liquore acido.

## N. C L X V.

Pedamentum &c. cor pueri balsamo induratum; repletio facta per arteriam, cujus ultimæ extremitates luculentissime conspiciuntur.

## N. C L X V I.

Pedamentum &c. segmentum Intestini coli & Ilei ex homine; ubi notandum, colon, contra naturæ leges, admodum fuisse extensum, idque ab hernia intestinali, quam patiebatur, dum viveret; & hoc pluries me vidisse in herniosis memini. In hoc objecto observandum ulterius, sc. à flatu à me adacto, binas valvulas hic sese videndas exhibere, id quod in statu sano & naturali non fit in homine pancreaticæ vivente, tum enim ibi nobis occurrit orbiculus loco valvularum.

In affectu miserere mei à flatu oriundo, non raro quoque ita extenditur Intestinum illic, ut loco orbiculi compareant dictæ valvulæ. Sub puncto nigro in conspectum venit orificium processus vermiformis, qui processus non inflatus, secundum longitudinem segmenti coli hic reperit.

## N. C L X V I I.

Phiala &c. foetus ovillus exiguus cum secundinis, vitæ speciem repræsentans.

## N. C L X V I I I.

Phiala &c. segmentum Intestini recti ex juvene, in eo comparent ita dictæ glandulæ, potius cryptæ Boerhaavianæ, quæ hic luculentissime comparent colore subrubro. Ramus objectum versus parietem comprimens, est acacia Africana spinis albicantibus.

## N. C L X I X.

Pedamentum &c. Boopilus è stomacho vaccæ, albus & magnus.

## N. C L X X.

## N. C L X X.

Pedamentum &c. vesicula fellea humana, ceraceâ materiâ infarctâ; hic apparet tortuositas ductus vesiculæ felleæ humanæ, quæ in brutis recto ductu, ut plurimum decurrit.

## N. C L X X I.

Phiala liquore referta, & in ea segmentum stomachi vitulini, ut & papillæ nervosæ, à quibus dependet corpus reticulare cum papillarum thecis.

## N. C L X X I I.

Pedamentum &c. segmentum magnum mesenterii cum suis glandulis, quæ quamvis exiles, optime tamen sunt repletæ, ut illarum arteriolarum reptatus in conspectum veniat. Præterea luculenter & copiose apparent vascula per mesenterii substantiam dispersa. Ex homine.

## A S S E R VIII.

## N. C L X X I I I.

Pedamentum &c. frustum cutis capitis magnum ex juvene, cujus arteriæ nitidissime sunt repletæ, & inter se conjunctæ.

## N. C L X X I V.

Phiala liquore repleta, & in ea pia mater rubicundissima, (propter repletionem) tanquam inflammata: hæretque inter ramum Juniperi Goënsis.

## N. C L X X V.

Pedamentum &c. magna portio Intestini Ilei ex homine adulto; in ea nobis occurrit susceptio dicti Intestini, ubi apertura à me facta & puncto nigro notata, ut illa distinctius appareret.

## N. C L X X V I.

Pedamentum &c. segmentum linguæ vitulinæ secundum longitudinem factum: repletio facta per arteriam. In eo comparent papillæ linguales, & quod notandum, in sui medio epitheliam abstuli, ut arteriarum reptatus clarius apparerent. Vide punctum magnum à latere positum; averfâ parte autem, ubi superior pars est abscissa, æque bene videmus reptatum vasorum, ac in superficie, id quod mirandum.

## N. C L X X V I I.

Pedamentum &c. segmentum magnum intestini coli, cujus repletio facta per arteriam; longe alium reptatum exhibet, quam si facta fuisset per venam, id quod considerandum.

## N. C L X X V I I I.

Phiala in liquore continens segmentum lienis vitulini, cujus arteria est repleta. Membrana ab unâ facie adempta, levem institui evolutionem, (excarnationem, uti dicitur) & hoc in totum non est vituperandum, sed multo distinctius in liene post repletionem, indurationemque reptatus mihi apparet. Ramus, cui insidet objectum, est, Nerion angustifolium odoratum.

## N. C L X X I X.

Pedamentum &c. continens duo objecta, quorum supremum portio est Intestini Ilei ex homine, hujus repletio facta per venam portæ, suntque ramusculi innumerabiles, tenuitatem telæ aranearum superantes; spinæ extremas acuta, faciem externam intestini indicat, altera spinula bicolor perfodit tunicam cellulosam, quæ hic extensa & repleta materiâ ceraceâ rubrâ, & hinc tantus tumor.

Alterum & infimum objectum est a plustre ex segmento Intestini Jejuni confectum. Repletio facta per arteriam: in hoc objecto omnia juga (valvulæ conniventes dicta) plana nobis occurrunt.

## N. C L X X X.

Pedamentum &c. segmentum diaphragmatis magnum. Repletio facta per arteriam. NB. Arteriæ per diaphragmatis partem tendinosam, ut & membranofam reptantes, peculiari gaudent reptatu, & diverso ab iis, quæ disperguntur per partem musculosam.

## N. C L X X X I.

Pedamentum continens unum ex minoribus dentibus, maximi piscis marini, (Belgice *Potvis*, aliis *Casjellot*) s. cete, è cujus capitis parte posteriore colliguntur aliquot dolia cerebri vel cerebelli, illudque purificatum perperam vocatur sperma ceti.

## N. C L X X X I I.

Pedamentum instructum segmento anteriore capitis vitulini. Repletio facta per arteriam. Cum autem hoc objectum variis usibus destinatum sit, ea propter vasorum diversitas hic quoque reperitur circa structuram, & sic arteriæ per palatum disseminatæ non conveniunt cum iis, quæ dispersæ sunt per buccas, multoque minus, quæ in cavitate ossis frontis exstant; si quis ulterius indagaverit vasa longiora mucum narium producentia vel conficientia, & ex arteriis prodeuntia in dictis animalibus (loquor de illis vasis, quæ repunt per ossa spongiosa narium) ô quanta discretio! Denique si quis linguam vitulinam, ut oportet, cera-

ceâ

ceâ materiâ repleverit, postea secundum longitudinem in duas partes dissecuerit, reperiet omnium vasorum reptatum æque bene, ac si integram linguam perlustraverit, id quod non observatur in liene, hepate, renibus & aliis corporis humani partibus. Hisce omnibus ita constitutis, nemo dixerit, hæc omnia à creatore benignissimo tam diversimode esse condita, nisi ad sui manifestandam inperscrutabilem potentiam & gloriam.

N. C L X X X I I I.

Phiala in liquore continens sceleton pruni albi, cujus vasa fucosa dictum fructum constituentia, discrepant ab iis, quæ pyrum constituunt, & quod mirandum, hujus pruni vasa partim prodeunt ex vasculis pedicelli, partim ex lapide.

N. C L X X X I V.

Pedamentum instructum glandulâ parotide è capite vitulino recens nato; repletionem per arteriam factâ, videre est, quanta sit discretio inter reptatum arteriolarum hujus glandulæ, & mesenterii humani glandulas; & hoc certum est indicium, omnes glandulas in unum idemque à Benignissimo Creatore non esse destinatas, nec solùm sanguinem ducentes, aut sanguiflua vasa esse vide super hac re Decad. III. Adversar.

N. C L X X X V.

Pedamentum &c. segmentum stomachi humani. Repletio facta per arteriam. Notandum hæc vasa gaudere diverso reptatu, ab eo, qui conspicitur in Intestino Jejuno, unde concludendum, aliud opus, aliud instrumentum.

N. C L X X X V I.

Pedamentum &c. segmentum penis virilis, in quo tunica cellulosa enormiter extensa à flatu adactò; & quam tenuis sit cutis hujus partis hic potest videri.

N. C L X X X V I I.

Pedamentum &c. semi-ren humanus. Repletio facta per venam. Vide locum ubi spinula tricolor intrusa est. Bonæ notæ.

N. C L X X X V I I I.

Pedamentum &c. apulstre confectum ex segmento pulmonis ovilli. Repletio facta per arteriam, cujus extremitates telam aranearum longe superant tenuitate.

N. C L X X X I X.

Pedamentum &c. apulstre ex chorio vitulino. Repletio facta per arteriam, cujus extremitates tomenti instar tenues sunt, reptantes quoque peculiari modo.

## N. C X C.

Phiala in liquore continens foetum humanum quatuor circiter mensium à conceptione, hic capite declivi & corpore inverso decumbit inter omentum humanam nitidissimum.

## N. C X C I.

Pedamentum &c. femi-ren juvenis, cujus arteria repleta. Optimæ notæ.

## N. C X C I I.

Pedamentum &c. acetabulum vitulinum. Repletio facta per arteriam & venam.

## A S S E R I X.

## N. C X C I I I.

Pedamentum &c. vexillum magnum confectum, è cute humana, in quâ innumeræ papillæ cutaneæ comparent.

NB. Has papillas constare non ex singulis, sed vero ex plurimis ramusculis nervorum, id quod luculentius apparet in cute papillarum mammarum balænæ, sicuti delineari curavi in The-saur. Anatom. I.

## N. C X C I V.

Pedamentum &c. Placenta integra foetus humani imperfecti; hujus repletio facta per venam. Objectum optimæ notæ.

## N. C X C V.

Pedamentum instructum superiore parte capitis foetus humani, cujus vascula arteriosa per piam matrem disseminata, optime repleta sunt, ut & illa dispersa per duram matrem.

Notandum præterea, cranium pluribus in locis deficere, id quod pluries vidi, & tali in casu, cerebrum nonnihil prominet per omnes ejusmodi defectus, vasa arteriosa, quæ hic addidi, sunt arteriolæ repletæ & admodum teneræ ac fragiles.

## N. C X C V I.

Phiala in liquore conservans brachium pueri, vitæ speciem repræ-sentans, in cujus manu continetur foetus humani ren rubicundissimus, propter repletionem per arterias.

## N. C X C V I I.

Pedamentum &c. magnum mesenterii humani segmentum, in quo variæ glandulæ comparent, objectum ita præparatum brasi-ficam crispam repræsentat.

## N. C X C V I I I.

## N. C X C V I I I.

Phiala in liquore continens perperam dictam molam: cum mola nil aliud sit, quam placenta post editum foetum ex utero residua, idque à compressione uteri, ut denuo recuperaret naturalem magnitudinem. Hoc objectum vix ovum magnitudine æquans, remansit à foetu quatuor circiter mensium.

## N. C X C I X.

Phiala &c. Testiculus humanus evolutus, & dispersus per ramum Juniperi Goënsis, ut luculentius admiranda vasorum tenuitas in conspectum veniret.

## N. C C.

Phiala &c. sceleton, vel vasa succosa mali Armeniaci (*abricoos* vulgo) quæ partim ex calculo, seu lapide, partim ex pediculo prodeunt, suntque longe diversa, quæ pyra constituunt.

## N. C C I.

Pedamentum &c. musculus biceps ex juvene, cujus arteriæ sunt infarctæ.

## N. C C I I.

Phiala in liquore &c. segmentum placentæ uterinæ, repletione per arterias factâ; hic in extremis arteriis adhucdum conspicitur pulpositas arteriolarum.

## N. C C I I I.

Pedamentum &c. frustum magnum Intestini Jejuni, cujus jurga, (valvulæ conniventes) repræsentant rotas molares aquaticas.

## N. C C I V.

Pedamentum &c. genu ex homine, in eo apparent duæ cartilaginee mobiles, quæ notantur duobus punctis albis. Spinula sub patella intrusa, denotat corpus glandulosum ab auctoribus ita dictum. Punctum nigrum notat patellam. Repletio facta per arteriam.

## N. C C V.

Pedamentum durâ matre instructum pileoli instar expansâ, in qua sinus longitudinalis apertus remansit. Processus falciformis adhucdum remansit æque ac in statu naturali. Notandum præterea, repletionem esse factam per arterias, sed vero nil materiæ ceracæ intravit sinum longitudinalem; imò id nunquam fieri existimo, nisi venularum extrema conjunxerint sese arteriolarum extremis, alias id nonnunquam offendi.

## N. C C V I.

Phiala &c. segmentum cuticulæ, corpus reticularis, & cutis.

balenæ; spina elevat cutem à corpore reticulari, ut in conspectum veniant papillæ cutaneæ albissimæ, & quod ulterius considerandum est, corpus reticulare & epidermis colore sunt marmoreo, id quod sæpe fit, ut mihi relatam est à piscatoribus balenarum.

## N. C C V I I.

Pedamentum &c. superior pars Cranii foetus humani, cujus dura mater tam nitide & fixe affigitur adhucdum interiori parti cranii, ut nusquam ab ea sit dissoluta, præterea arteriæ per duram matrem dispersæ, tantâ dexteritate sunt repletæ, ut aliquibus in locis exitum quæsierit ceracea materia in substantiam osseam instar roris. Vide puncta nigra variisque aliis locis, tale quid me nunquam hisce locis vidisse, confiteor.

## N. C C V I I I.

Pedamentum instructum ossè tali & calcis, portione cutis & pinguedine. A latere conspiciendam sese dedit portio tendinis, summa rubedine perfusa, propter arteriarum repletionem.

## N. C C I X.

Pedamentum &c. segmentum epidermidis & corporis reticularis balenæ, super epidermidem affixa sunt animalcula, quæ pediculi balenæ audiunt, suntque hi facie admiranda. Pedes sunt armati unguiculis acutissimis, aduncis, quibus hic inter se firmiter cohærent.

## N. C C X.

Pedamentum & supra illud unum ex ossibus frontis, quod adhucdum albissimum visui occurrit, idque è foetu humano qui per integrum annum, & quod superat, in corpore remanserat sine putrefactione, solâ flacciditate oblitus, & tandem è corpore materno prope umbilicum excisus est anno 1722. mense Augusti per Chirurgum versatissimum Petrum Plaatman, matre superstite, & in hunc usque diem pancratice vivente. Hanc Historiam, & quod ad eam attinet, justis testimoniis confirmatam posthac (volente DEO) describemus.



*Præterea in hujus Thesauri cavo inferiore sequentia quoque conspiciuntur.*

A. **P**Yxis, & in ea magnum segmentum mesenterii humani, cuius glandulæ petrefactæ.

B. Pyri, ni fallor, petroselini vulgo dicti, sceleton. Illud radiis solaribus expositum conspicitur constare ex myriadibus vasculis succosis, quorum extrema pulpam connexam reservarunt. Dictum objectum in liquore reservatur, & in fundo Phialæ reperitur planta *Gundelia* dicta *Tourn.*

C. Sceleton foetus humani nitidissimum, decumbens in tumulo ex ligno Indico confectum, idque supra matracium ex serico cœruleo confectum, inter manus osseas continet foetus humani intestinula nitida, quorum arteriæ sunt repletæ.

D. Sceleton foetus humani quatuor circiter mensium à conceptione, eodem modo ornatum, & per tumulum mentiuntur volare aliquot ephimerides, ea inscriptione:

**EADEM, QUÆ VITAM DEDIT, HORA CARPSIT.**

E. Pes extremus mulieris, propter repletionem arteriarum colore sanguineo, ceu inflammatus, ab omni parte, perfectissime repletus; Epidermis verò supra digitos remansit albissima, cum nihil commercii habeat cum vasis sanguineis.

F. Phiala, & in ea ramus *Elichrysi* Afric. arborei, salviæ folio odorato. *Boerhaav.* Hujus folia pulchre obsita polypo à me ex sanguine bovino recens mactato sola conquassatione confecto. Objectum optimæ notæ.

G. Superior pars cranii humani, pericranio ob omni parte obducta, hujus arteriæ tam nitide sunt repletæ ut summa rubedine emineat.

H. Frustum ossis femoris hominis adulti, cujus substantia quæ in nobis perquam dura, calamumque scriptorium crassa, à prægresso morbo unciæ crassitudinem, obtinuit, & quod magis mirandum, in totum cellulosa vel spongiosa est facta, an ab inveterato & prægresso œdemate?

*Expli-*

## *Explicatio Figurarum.*

### T A B. I.

**P**Yri sceleton ita præparatum, ut luculentissime visui occurrat pyra præcipue ex vasculis succosis cum suis extremis pulpositatibus constare: præsertim dico, quandoquidem internus ita dictus uterus hic non apparet.

A. Pedicellus.

B. Corticis residuum.

C. Vasa succosa cum suis extremis pulposis extremitatibus.

D. Particulæ aciniformes, rotundæ, quæ in variis pyris inveniuntur, quarum nonnullæ in lapideam substantiam degenerant, suntque diversæ formæ in variis pyris.

### T A B. II.

Segmentum membranæ chorii vitulini, cujus vasorum repletio facta per venam umbilicalem. Quam mirandus sit horum vasorum reptatus, ut & quam diversus ab aliis venis sit, in hoc Thesauro maximo cerni potest.

Notandum quoque harum venarum extremitates non in pulposam, sed vero in tomentosam substantiam hic variis locis exire, id quod ubique fecissent, si repletio facta fuisset perfectissima: diversis attamen locis hic videre est, venarum extrema tenuitatem telæ araneorum superare.


### T A B. III.

Segmentum Intestini Ilei cum portione mesenterii è corpore humano, ventilabrum repræsentans.

A. Segmentum mesenterii, per illud disperguntur venæ cavæ portiones, quas replevi ceraceâ materiâ rubrâ, ex iis emergunt ramificationes tomenti instar tenues, peculiari reptatu gaudentes, an ob diversum, quem obtinent usum?

b. b. b. Portio Intestini.

TAB. I




*T. Folia ...*

3




ТАБ. II



*S. F. kana ad sectionem...*



TAB. III



*I. Wandelaar ad speculum ficti.*





FREDERICI RVYSCHII,

*Anatom. & Botanic. Prof. Academ. Cae-  
sar. Curios. Nec non Reg. Societ. An-  
glic. & Paris. Membri.*

CVRAE RENOVATAE,

SEV,

THESAVRVS  
ANATOMICVS,

POST CURAS POSTERIORES,

NOVVS.

*Cum fig. aencis.*



AMSTELODAMI,

Apud JANSONIO - WAESBERGIOS.

clō. lōcc. xxviii.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY



THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

V I R I S

ILLUSTRISSIMIS,

CLARISSIMIS EXCELLENTISSIMIS,

REGIAE PARISIENAE

SCIENTIARVM SOCIETATIS

QVAE,

A SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

PRINCIPE ET REGE,

LVDOVICO XV.

PROTEGITVR,

MEMBRIS DIGNISSIMIS,

HAS CVRAS RENOVATAS,  
RECEPTIONIS IN ILLVSTREM SOCIETATEM  
MEMOR.

D. D.

FREDERICVS RVYSCH,

PRIMUM SVpra NONAGESIMVM ANNUM

AGENS.

# VIRI ILLUSTRES,



Acuissem certe senex nonagenarius, postquam curas posteriores edidi, & crederem me satis commodis rei Anatomicae & Medicae inservivisse, ut finem laboribus imponere possem. Sed sentio adhuc, VIRI ILLUSTRES, gaudia illa, quibus adsciebatur animus, quando Regiam Clementiam INVICTISS. ET POTENTISS. REGIS ET PRINCIPIS

LVDOVIC. XV. nupero anno nuntiaverat, ILLVSTRISS. COMES DE MAVREPAS. Attonitus revera haerebam, dum me receptum esse in Illustrem vestram Societatem legeram, & quidem in locum Magni Newtoni! Ah! qui vellem tantum, ut senex brevis vitae memor, promovendis scientiis adhuc aliquid conferre possem! non deficeret, credite, VIRI ILLVSTRES, voluntas, ni deficerent vires, quas consumtas ferre, multumque nupero lapsu detritas sentio. Novi promissa mea de Decade IV. advers. cadere in debitum; sed ego mortaliū in tam vasta republica nostra laboriosissimus, detineor saepe, & detentus fui tractatu meo de musculo orbiculari uterino, & firmiore adhaesione placentae, quem Magister obstetricum edere debui, & invidis licet obloquentibus edidi. Sed quod differtur non aufertur! Invenietis VIRI ILLVSTRES, in hoc Thesauro varia rariora, quorum primum locum occupat scatula, in qua reperitur stirps quaedam, quam in alia stirpe observaram, postquam prima, munere suo functa per multos annos in usu fuisset: Observatum quidem fuit, quod haec vel illa planta ex aliis, & ad alias effrondescat? Quod rarum non est; sed loquor. de tali planta, quam nemo ante videre potuit, quam mater prioris effoeta mortua fuisset, plantaque secunda matricida prioris facta sit, & ante hoc tempus, nec ego, nec ullus eam unquam vidit. Indies quidem videmus, quod ex arboribus cadentibus fungi varii nascantur, ast haec stirps, de qua loquor, inter ceteras superbit. Praeterea nunquam conspiciuntur plantae hae, nisi prima emarcida jam sit mortua, id quod bene notandum!

Quod si mihi proposuerim, descriptionem plantae hujus tradere, quod facile possem, nonne campus aiscursui meo amplius pateret? attamen, ne prolixus sim, hoc tantum addere lubet, me

jam duas diversas hujusmodi plantas vidisse: prior multis ramis albicantibus superbit; altera vero sine ramis mihi oblata fuit, quae crassa est instar baculi ambulatorii, & cujus portunculam tantum accepi: cava haec est & fistulosa instar arundinis, & interna superficies, quam in tabulato firmavi, impressionibus rotunde cavis scatet instar cryptiformium fovearum in agmen positarum, de qua postea pluribus.

11<sup>o</sup>. Observatu dignus est in hoc Thesauro ramus depactus stirpis cujusdam arborecentis, qui nullius aciculae, fili, amylaceae vel alius materiae ope, ita praeparatus est, sed tantum divisione vasorum succiferorum per lamellas, quae alias vocantur fibre, ossa plantae, truncum plantae constituentia. Vasa haec lamellatim sic disjuncta, & excarnata (ut ita loquar) repraesentant librum quendam paginis multis instructum, quarum interstitia, scelcta vel exuviae variorum foliorum replent. Haec praeparandi methodus, quantum ego novi, à paucis, si ab ullo, exculta fuit.

Viri, sapientia Clari, qui rariora haec in aedibus meis vident, me saepe interrogant, qui possibile sit, haec ita praeparare? respondeo vero: me hoc efficere ministerio satellitum meorum, quorum opera variè detexi, quorumque auxilio thesauri mei superbiunt. Aliis quidem satellitibus opus conficere studebam, (quorum nomen reticuisse melius sit, quam indicasse,) sed animalcula haec quam citissime quidem opus suum conficiebant, simulac verò ferias concederem peractis laboribus, & vitro purissimo immitterem, quod foliis recenter carptis instratum erat, beneficentiam hanc meam deridebant bestiolae hae, mirabar enim, dum eas totas inveniebam quantas tela quadam obductas; hincque coactus eram nolens volens, ingratas hasce ex servitiis meis relegare.

Postea inveni adhuc aliam satellitum cohortem, de quibus meliora sperabam, sed iterum incassum, nam dum eis folia exhibebam, quae prius in lixivio saccharino maceraveram, appetitu singulari non solum manducabant pulpam, sed & vasa succosa evolventa. Tum propriis meos satellites, digitos meos in auxilium vocabam, qui tam bene mandatis obsequuntur, ut omnes artem hanc conficientes, obstupescant. Sed, quid hoc? nemo sit alterius, qui suus esse potest.

Videtur mihi, quod plurimi hic objiciant. Quid haec ad nos? Respondeo: multum sane. Hoc enim magnum argumentum  
vel

vel pondus adfert systemati meo vasorum sanguineorum, quod etiam Egregius & Eruditus Boblius, Med. Doct & amicus noster, in dissertatione sua Epistolica ad me nuper data, clare evicit.

Quam magnam hic videmus analogiam inter compagem vasorum sanguineorum & succosorum in plantis, earumque foliis. Et nonne hoc oculis nostris occultum fuit per tot secula? sed nunc demonstro, quomodo lien noster cum plantis & foliis maximam partem conveniat. Lien membrana quadam tegitur, nec haec pyriferis plantis deficit. Dicitis; membranam lienis esse duplicatam? respondeo: plantarum harum etiam. Substantia lienis, quae prius parenchyma male audiebat, nil nisi complexus vasorum est? De plantis & foliis idem adserere licet. Fines vasorum sanguineorum lienis undiquaque abeunt in pulpam vasis circumpositam? extremitates vasorum succosorum plantarum & foliorum faciunt idem. Tandem pulpa modo dicta in nostro liene est vasculosa, vel potius sunt vasa: idem quoque de plantis valet.

III°. Invenimus in hoc Thesauro Musculum Deltoidem quotidie operoso labore laborantem; quem hic demonstro, quod non solum ex tribus, quatuorve, sed ex L. LX. lacertis constet, quod nullus auctor tam clare & distincte, quam ego hic, proposuit.

IV°. Quod attinet tendines & ligamenta corporis nostri, quae tamdiu erant partes exsanguis, sanguine carentes, haec ego in Thesauro hoc demonstro ceu partes sanguine copioso rubras & turgidas, id quod nunquam satis laudanda repletio vasorum me docuit.

V°. Demonstro etiam, hominem singulari artificio, & inquisitione ex sanguine humano vel animalium posse pseudo-membranas conficere, tam naturaliter, ut quisvis diceret, esse membranas, ex corpore desumptas. Similem membranam ex corpore humano extractam, hic Thesaurus offert. Quando praeparatum hoc sola conquassatione per ramulum depactum plantae cujusdam factam, observabam, vidi etiam, quod per vulnus in abdomen usque penetrans, sanguis suo oleo destitutus, simile quid nobis offerat, per motum peristalticum continuum intestinorum, & eruptionem sanguinis ex vasis suis ita mutatus; & quod quoque sanguis in vulneribus Thoracis continua pulmonum actione in inspiratione ita praeternaturaliter mutari possit.

VI°. Si quis cupit videre, quam mirabiliter remansa placenta uterina, (de qua haud ita pridem ex professo egi) quae ex meris vasis sanguineis & membranis constructa est, mutari possit in hydatides, id quod olim impossibile quis dixisset, hunc adeat thesaurum, rem inauditam sole meridiano clariorem dabit; Quando hoc ante multos annos observabam, multos quidem adversarios nactus fui, nunc vero silent omnes, de vera observationis ratione persuasi.

VII°. Conseruo scatulam, in qua est folium Aloës Americanae spinosae, cujus vasorum succosorum extremitatibus in multis locis pulpam vasculosam adglutinatam microscopio videmus, & sic fateri debemus, quod pulpa haec sit constructio continuatorum vasorum succosorum. Quando rem hanc prima vice videbam, prae admiratione obstupesceram, quod talis constructio quoque fieret in vasis sanguineis corporis nostri, in pulpam degenerantibus. De hac ergo vasorum constitutione nullum amplius dubium mihi est, ita fieri, sed de illis vasis, quae non in pulpam, sed in tomentum telae araneae simile terminantur, adserere idem nondum possum.

VIII°. Videmus quoque in hoc thesauro sceleton vel exuvias pyri sacchari, quod solis radiis visum eandem ac naturaliter habebat, retinuit figuram. Hoc undiquaque millenis vasis succosis scatet, qualis quoque & pyri totius constitutio. Vasa vero talia repunt, ad uterum hodie dictum pyri. Hoc objectum magistrum suum prae omnibus aliis laudat, mihi quoque magno in honore est. Adeo utilis, nobilis imo necessaria fere est anatome plantarum! en! vasorum systema in plantis nunc systemati vasorum in corpore humano analogum! Hi fuere labores mei, VIRI ILLUSTRES, dum elapso quodam tempore cadavera ex desiderio meo acquirere non potuerim; placuit enim examini plantarum vacare; impossibile enim mihi est, ut otiosus ulla dies apud me sine linea ducta transeat. An verò tempus meum bene impenderit, ex scriptis meis abunde videre est: imo thesaurus meus de hac re testabitur. Scitis ergo VIRI ILLUSTRES, rationem tractatus hujus. Aequos Vos aestimo scientiarum judices, aequi bonique quoque accipiatis, VIRI ILLUSTRES, haec lineas, quibus adhuc adjicere placet anatomem raparum in exuvias redactarum.

Dum rapas has VIRI ILLUSTRES, anatomice inquiri, invenio tantamiracula & secreta in eis, ut haereat animus. Imprimis  
si con-



si considero earum substantiam, quae aequè bene ex canalibus succo-  
sis consistit ac lien, hepar, renes aliaque partes; ane hoc unquam  
observatum fuerit, ipsi iudicate, rogo. Jam verò res inaudita pro-  
batur in hoc Thesauro. Quaeret aliquis, num non consulti-  
us foret, plantas has, quae nullius momenti sint, nec nisi aqua  
& aëre subsistant, relinquere? Non certe, me hercle, hoc agam  
cum varia nova in iis conspexerim, imò succum quendam. Haec  
saepe moverunt me, ut has nobiles rapas proponerem, accura-  
tiori inquisitione aequè dignas ac pyrum & poma, aliæve stirpes.  
Cogitate utilitatem, quam aegris & debilibus corporibus prae-  
stent; ventriculum licet nimis oppleverint homines, raro tamen  
Doctòris auxilio opus habent, cum contra saepe accidat, quod  
post ingurgitationes deliciarum Doctòr praesto esse debeat. O!  
quam facile rapae hae digeruntur? Quam facile divites & pau-  
peres nutriunt? quam salutare, quam utiles sunt in scorbuto,  
phthisi, tussi, aphthis? His tamen non obstantibus, ane titu-  
lum suum, ac si aëre & aqua tantum consistat, adhuc retinerent?  
Propius jam hacc modo laudata tubera terrae conspiciamus,  
videndo, qualis earum sit substantia, & quomodo consistant.  
De hoc tamdiu non fuit scriptum, & ego, uti dixi, coeco  
quasi impetu ad harum inquisitionem me accinxi, & laetor rara  
in eis me detexisse, ut dignas iudicaverim, has plantas Thesauro  
meo imponere, quae tanto nitore splendent, ac si raræ exoticae  
plantæ forent.

Jam tractabo materiam, quid mihi videatur de eo, quomodo  
nempe rapae hae laticem aquosum ex terra hauriant, puto verò  
hoc fieri earum flagellis, seu cauda.

Primò; licet cauda hacc & cortex utilia sint in medicina,  
tamen propter amarum succum rejiciuntur, quando mensae ap-  
ponuntur. Interim utraque substantia singulari textura vaso-  
rum succosorum instar pyrorum constat, alia tamen actione &  
esse, extremitates quoque earum sunt pulbosae, vel pulpa obdu-  
ctae, ac hucusque detegere potui. Dein videtis, VIRIILLVSTR.  
in Thesauro hoc, rapam, Belgice ecn knol, in sceleton redactam,  
quod mihi prius impossibile videbatur, nam de plantis siliquosis hoc  
inauditum fuit, ut & de pomiferis, & antequam me ad hoc opus  
accingerem, de successu quoque desperarem, nunc vero laetor,  
mihi successisse. Observo porro: quod prima & secunda pars,  
hacc est cauda ut & cortex complexus sit vasorum succosorum,  
amarum hunc sèporem praeparantium, non verò lympham vel  
aquam,

aquam, quam ex solo amato hauriunt, simili modo, ac pori biliarii, per hepar distributi, & ad bilem praeparandum destinati, sanguinem hauriunt ex extremitatibus venae portarum.

Circa hos canales video quoque, quod milleni repant in rapa, colore albicantes, quique subtili artificio à me excarnati sericum album repraesentant, id quod admodum difficile est ita praeparare. Postea video differentiam inter vasa corticis & caudae, licet continua communicatione inter se committantur; nam dum caudam constituunt, linea recta incedunt, cum verò ad corticem properant, mutant decursum & retis instar intorquentur, probabiliter, quod hic aliquid aliud operentur; cur enim alias tanta decursus differentia necessaria fuisset?

Quod attinet veram constitutionem ipsius rapae, tunc video hanc nil nisi systema vasorum succosorum albicantium dulcissimorum esse, quae breves quidem, conum abscissum repraesentant, sed innumerae etiam sunt: cum has in exuvias praeparando redegeram, vidi has plantas inter praeparandum distillasse succum glutinosum, veluti in plurimis, si non in omnibus, quae nos nutriunt, demonstrare possum.

20. Inter praeparandum quoque albicantem serosum humorem demonstravi, quod mihi saepius quoque accidit, cum tractarem radices malvae.

30. Invenio, quod rapae hae menstruo meo commissae, de die in diem, quasi substantia sua diffluant, & annihilentur.

Haec sunt, VIRI ILLUSTRÉS, quae post curas meas posteriores editas nova iterum inveni, quae vestro iudicio pateant. Vivite diu sospites, in scientiarum emolumentum, meque Collegam vestrum amare pergite. Valet!

AMSTELODAMI A. N. C. MDCCLXXXIII.

Die xx. Julii.

CVRÆ RENOVATÆ,  
S E U  
T H E S A V R V S  
A N A T O M I C V S ,

POST CVRAS POSTERIORES NOVVS.

A S S E R I.

N. I.



Edamentum exiguum, & supra illud frustulum placentæ humanæ, cujus vasa sanguinea nitidè sunt repleta.

N. II.

Pedamentum ut supra, &c. Frustulum Diaphragmatis humani, cujus repletio facta per arteriam, ita ut hujus extremitates ad ultimum usque sint visibiles, propter accuratam repletionem.

N. III.

Phiala liquore repleta, & in ea frustum Epidermidis, ut & corporis reticularis ex semi Æthiopissa.

N. IV.

Phiala ut supra. In illa fœtus humanus, nitidissimus, unciaè magnitudine, dependens à funiculo umbilicali ut & amnio, repositus inter Asclepiadem afr. aizoidem. *Tournes.*

N. V.

Phiala ut supra. In ea serpens indicus, coronatus diadema-te, s. conspicio insignitus, parvus. *Raji Synops. animal. 330.* Seu Vipera zeyl. vittata gesticulatrix ad cervicem conspicio insignita. Cobras de Capello *Lusit. Naia. Zeylan. Herm. Mus. Zeylan. N. 98.*

N. VI.

Phiala &c. Segmentum albissimum cutis mammæ Æthiopissæ, cui adhucdum annectitur & ab illa dependet portio corporis reticularis, nigerrima, ut & epidermis coloris cinerei.

A

N. VII.

## N. VII.

Phiala &c. in ea, foetus humanus, colore naturali quatuor circiter mensium à conceptione, decumbens supra segmentum placentæ uterinæ, cujus vasa fanguinea sunt repleta, ut autem repræsentaret quod cephalæ laboret, capiti innititur ejus dextra.

## N. VIII.

Pedamentum exiguum, & supra illud acus, cui insidet fasciculus compositus ex aliquot pilis minutissimis prodeuntibus sub cute circa nasi radicem, idque e juvenula: dicti pili simul juncti, filii crassitudinem haud superantes combinantur limosa vel pultacea materia, id quod mihi ansam dedit cogitandi, numne sit annumerandus atheromati sub cute sito? Ad illud arcendum vocatus fuit chirurgus satis expertus, qui variis remediis incassum adhibitis, tandem caustica in usum revocabat, quibus adhibitis, ad tempus quidem malum videbatur restitutum, enimverò recidivam passus est patiens, & hoc duravit per aliquot annos, ad hoc tempus usque: jam vero bis terve per annum, solâ compressione indicis tractatus, in lucem sese manifestat dictus pilorum fasciculus.

## N. IX.

Phiala magna liquore repleta, continens caput infantis recens nati, cujus cranii pars superior ablata &, cerebro exempto, hinc oculis clausis, facies adeo venusta oculos incurrit, ut vitæ speciem repræsentet.

## N. X.

Phiala in liquore continens Testiculum humanum egregie evolutum, colore albissimo, hujus constitutio vascula sunt, qualia non dantur in toto corpore, ratione reptatus serpenti.

## N. XI.

Pedamentum peculiare instructum variis organis auditus, nempe, cochlea cum septo, Labyrinthus, tres canales, foramen ovale, & rotundum.

## N. XII.

Phiala maxima, in liquore continens caput magnum cujusdam juvenis, octo novemve circiter annorum, ut supra dictum venustum & ceu vivens, solis oculis exceptis, qui facti sunt tam artificiosissime ex vitro, ut videantur naturales: cerebrum quoque erutum, ita ut in conspectum veniant nervi optici

optici cum involucro suo tenuissimo, arterioli minutissimis ditato.

## N. XIII.

Frustrum magnum cordis humani in liquore conservatum, solummodo, ut admiranda facies interna in conspectum veniret: ramus Juniperi Goënsis pone objectum situs, protrudit illud versus phialæ parietem.

## N. XIV.

Phiala in liquore conservans brachium foetus humani vitæ speciem repræsentans, in cuius manu continetur cor infantis, cuius arteriæ optimè sunt repletæ.

## N. XV.

Phiala &c. Frustrum intestini recti humani, in eo visibiles sunt papillæ nerveæ, pone illud objectum occurrit rosa sylvestris pomifera, ut comprimatur ut supra.

## N. XVI.

Phiala &c. Portio piæ matris, cuius arteriæ sunt infarctæ ad extremum usque, huic ad sita est murucua *Pison. vid. p. 70. 71.*

## N. XVII.

Pyxis continens segmentum penis virilis, in quo cernere licet geminum ligamentum corporum nerveo-spongiosorum majorum, id quod raro contingit.

## N. XVIII.

Frustrum penis virilis, per cuius glandis superficiem in conspectum venit agmen papillarum nervearum, extra superficiem prominentium, idque in liquore.

## N. XIX.

Phiala in liquore continens, segmentum integumentum linguæ balænæ cum corpore reticulari. Huic addidi segmentum brasiæ crispæ rarissimæ, nunquam à me visæ.

## N. XX.

Pedamentum & supra illud, segmentum Intestini ilei ex homine. Repletio facta per venam portæ.

## A S S E R I I.

## N. XXI.

Pedamentum &c. Portio diaphragmatis humani, cuius vasa ad extremitatem usque sunt repleta.

## N. X X I I.

Pedamentum &c. Frustum intestini inverſi & inflati, unde tunica nervea cellulosa facta.

## N. X X I I I.

Pedamentum &c. Frustum lienis vitulini, cujus repletio facta per arteriam; hujus pulposa substantia adempta, conspicienda sese præbent fibræ, (stamina,) sulci, spatia inania, minus caute cellulæ dictæ, cum proprie nullæ reperiantur membranulæ cavæ, sed vero stamina seu fibræ, inter quas pulpa hospitatur.

## N. X X I V.

Phiala in liquore conservans, segmentum penis virilis. Repletio facta per arteriam ceraceâ materiâ rubrâ. Tria corpora nerveo-spongiosa hic in conspectum veniunt: superius foramen est portio venæ, inferius meatus urinarius.

## N. X X V.

Phiala &c. Pueri brachium vitæ speciem referens, in quo continetur segmentum placentæ uterinæ humanæ, cujus vasorum extremitates ad ultimum usque repletæ.

## N. X X V I.

Phiala &c. Segmentum intestini ilei ex homine, cujus vasa sunt repleta per venam mesentericam, ut autem objecti facies interior accederet parieti phialæ, comprimatur per ramum floris passionis.

## N. X X V I I.

Phiala &c. Digitus maximus pedis humani, à quo dependet corpus reticulare & epidermis, ut in conspectum venirent papillæ nerveæ extra cutim non nihil prominentes.

## N. X X V I I I.

Phiala in liquore &c. Segmentum intestini recti ex juvene. Hujus vasa fanguinea sunt repleta ceraceâ materiâ dilutiore rubedine prædita: facie interiore in conspectum veniunt Cryptæ Boerhavianæ, seu lacunæ, audiuntque aliis glandulæ, in quibus conficitur & excernitur limofus humor ad lubricandum dictum intestinum.

## N. X X I X.

Phiala in liquore continens, fibras musculares dissolutas in fibrillas telam areanarum superantes; hærentque hæ fibrillæ in ramo pimpinellæ spinosæ, ut luculentius in conspectum venirent.

## N. X X X.

## N. XXX.

Phiala in liquore &c. Intestinula foetus humani, cujus vasa in totum sunt repleta, ita ut summâ rubedine superbiant: supra operculum hujus phialæ reperitur pedamentum exiguum, cui impositum est umbella flor. Ammi majoris.

## N. XXXI.

Phiala in liquore &c. Segmentum placentæ uterinæ humanæ: cujus vasa fanguinea placentam constituentia mirum in modum sunt repleta, ita ut ultimæ extremitates subtilissimæ in conspectum veniant, & nullas glandulas peculiare in placenta reperiri hic luculentissime appareat.

## N. XXXII.

Phiala in liquore &c. Segmentum renis humani, vitæ speciem repræsentans, in eo visui occurrunt duæ tresve papillæ cultro nonnihil incisæ, hærentque adhuc in tubulis pelvis. Ramus moldavicæ orientalis comprimit objectum versus phialæ parietem, ut luculentius visui occurrat objectum.

## N. XXXIII.

Phiala in qua liquore repleta reperitur, una ex placentis uterinis vitulinis: hujus vasa ita sunt repleta, ut illarum extremitates, telæ araneorum subtilitatem adæquent.

## N. XXXIV.

Phiala in ea &c. Pseudo-membrana ex sanguine humano, sola conuassatione à me facta, post venæ sectionem.

## N. XXXV.

Phiala &c. Epidermis & corpus reticulare infantis manus, cheirothecam repræsentantia, ne unguibus quidem objecto, ademptis: plantula addita est momordica Zeylan. fructus rubro.

## N. XXXVI.

Phiala liquore repleta & in ea Pueri Lingua naturali colore prædita, in qua conspiciuntur papillæ linguales, ut & epiglottis, huic adpositus est ramus Eryngii.

## N. XXXVII.

Phiala ut supra. Portio piæ matris foetus humani recens nati: hujus arteriæ sunt repletæ, unde rubedinem acquisiverunt.

## N. XXXVIII.

Phiala ut supra. Digitus pedis maximus ex muliere provecæ ætatis. Repletio facta per arteriam, unde papillæ nerveæ sub ungue rubicundissimæ apparent. Cuticula & corpus reticulare:

summa albedine superbiunt, id quod satis superque indicat, nec epidermidem, nec corpus reticulare vasis sanguineis gaudere.

## N. XXXIX.

Pedamentum & supra illud, segmentum pulmonis ovini, ita preparatum, ut plurimæ vesiculæ pulmonales pateant. objectum rubicundum propter vasorum repletionem.

## A S S E R III.

## N. XL.

Capsula oblonga continens aliquot lamellas plantæ arboreæ, nempe malvæ Japonicæ sibi invicem appositæ, repræsentantes fericum albidissimum, suntque nil nisi vasa succosa jam arida, & per siccitatem fibræ dicta, in lamellas disposita.

## N. XLI.

Capsula & in ea segmentum Intestini ilii inversi, & inflati balænæ, ut tunica nervea inflata, cellulosa sit facta.

## N. XLII.

Pedamentum & supra illud, vexillum confectum ex Epidermide plantæ pedis mulieris obesæ, in eo videre est differentia, quæ reperitur sub planta pedis, & ubi recessit ab ea.

## N. XLIII.

Pedamentum &c. Segmentum magnum hepatis humani. Repletio facta per venam cavam. Spina bicolor, denotat superficiem partis gibbosæ, ubi acini rotundi illæsi comparent, in opposita vero parte cultro læsi sunt. Optimæ notæ hocce subjectum!

## N. XLIV.

Pedamentum ut supra. Frustum lienis vitulini. Repletio facta per arteriam; optimæ quoque notæ.

## N. XLV.

Pedamentum ut supra. Cupula facta ex intestino ileo inverso & inflato, idque ex vetula obesa. Repletio facta per venam cavam, visumque allicit, propter nitorem objecti & vasorum reptatum peculiarem.

## N. XLVI.

Pedamentum ut supra. Segmentum cutis humanæ, cujus arteriæ sunt repletæ ceracea materiâ rubrâ. In hoc objecto conspiciuntur papillæ. Facies interior notatur puncto nigro, ibique



ibique apparent papillæ nerveæ abscissæ, quæ aliis glandulæ perperam audiunt.

## N. XLVII.

Pedamentum ut supra. Segmentum nasi foetus humani recens nati, per cuius involucrium vasa arteriata disseminantur, idque peculiari reptatu.

## N. XLVIII.

Pedamentum &c. Segmentum penis virilis. Spina bicolor maxima indigitat corpus nerveo-spongiosum, corpus nerveo-spongiosum minus vero, quatenus constituit glandem penis, donatur capite aciculæ flocco albo obsitæ: aciculæ capite nudo indigitatur meatus urinarius: spinulis binis tunica cellulosa, ultimo, cutis tenuitas notatur puncto nigro sub spinula tenuissima confito.

## N. XLIX.

Pedamentum &c. Anterior pars penis virilis, in qua tria corpora nerveo-spongiosa sunt repleta ceracea materiâ rubrâ: hujus tunica cellulosa, sub cute sita, flatu conspicua reddita est: præterea cutis tenuitas chartæ papyri instar in conspectum venit.

## N. L.

Pedamentum &c. Lamella penis virilis. Duo corpora nerveo-spongiosa majora, ut & tunica cellulosa sub cute sita, flatu sunt repleta, præterea septum penis hic quoque conspicitur.

## N. LI.

Pedamentum & supra illud, segmentum lienis vitulini ab ambiente membrana in totum denudatum. Repletio facta per arteriam.

## N. LII.

Pedamentum &c. Vexillum è cute humana rubicundissimum propter vasorum sanguineorum repletionem, quæ per superiorem, seu exteriorem partem repunt. Discrepant, hic loci ab iis, quæ repunt per interiorem, sc. quia hæc non pertinent ad cutim, sed ad tunicam cellulosam, id quod facile alicui imponeret.

## ASSER IV.

## N. LIII.

Phiala liquore repleta, continens foetum ovinum digiti minimi

nimi magnitudine, hærentem a proprio amnio, & in latice naturali limpidissimo natantem, ita ut foetus luculentissimè in conspectum veniat.

## N. L I V.

Phiala, in qua continetur embryo cuniculi grano hordei mundati magnitudine in liquore, dependens à funiculo & placentalæ rudimento, octo dierum.

## N. L V.

Phiala liquore repleta, & in ea frustum magnum vermis lati.

## N. L V I.

Phiala ut supra. Ovum muliebri fœcundatum uteroque exclusum, nucis moschatæ magnitudine: è chorio emergit omnino placentalæ rudimentum. Illud objectum nondum aperui, ita ut nesciam quid intus contineatur, neque à quo tempore utero gesserat mater. Objectum rarissimum.

## N. L V I I.

Phiala &c. Susceptio Intestini Ilei verminosa è puero. Hujus vasa sanguinea sunt repleta.

## N. L V I I I.

Pedamentum & supra illud pes juvenis, balsamo præparatus & induratus atque rubicundissimus, propter vasorum sanguineorum repletionem ceraceâ materiâ rubrâ.

## N. L I X.

Phiala &c. In ea, segmentum epidermidis, corporis reticularis & cutis Æthiopiæ. Notandum; hocce objectum dependet ab epidermide, & corpore reticulari, quorum facies exterior, epidermis, coloris est cinerei, facies interior, nigra, est corpus reticulare: inferior pars, dependens à dictis integumentis, est cutis, nobisque hic occurrit subnigra, quam contraxit ab epidermide, quantumvis cutis sit à natura albissima.

## N. L X.

Phiala &c. In ea Exuviæ, seu sceleton mali Armeniaci, Belgicè *Abricoos*, cujus constitutio vasorum multum discrepat à pyrorum cæterorumque fructuum.

## N. L X I.

Phiala magna &c. In ea, foetus humanus, vitæ speciem præsentans, octo præter propter mensium, capite inclinato, oculisque clausis, mentitur dormire, continetque manibus segmentum lienis vitulini evolutum.

## N. LXII.

Phiala, in qua continetur in liquore Foetus humani brachium, vitæ speciem repræsentans; huic à latere adsita est ejusdem manus epidermis & corpus reticulare cheirothecam apprime repræsentans, ne unguibus quidem adeptis. Hocce objectum adspicientium oculos allicit, & visui gratiam conciliat. plantula apposita est balsamina, mas Zeylan. fructu longoflavo.

## N. LXIII.

Phiala &c. in ea Exuviae rapæ, caudâ adeptâ.

## N. LXIV.

Phiala &c. in ea Segmentum piæ matris foetus humani, octo circiter mensium, cujus arteriæ perbelle sunt repletæ.

## N. LXV.

Phiala &c. in ea Segmentum lienis virginis viginti quinque circiter annos natæ absque repletionem, repræsentantque vasorum extremitates, penicillos. Illud objectum mihi valde charum, propter causas hic reticendas.

## N. LXVI.

Pedamentum & supra illud, lamella minor penis balænæ, in qua videre est, quanta sit inter hanc, & penis virinis analogia. Foramina in ambitu, sunt vasa sanguinea abscissa & numerosissima.

## N. LXVII.

Phiala, in qua continentur in liquore fibrillæ carneæ, in fibrillas tomentosas separatæ, suntque tam teneræ, ut telam aranearum superent.

## N. LXVIII.

Pedamentum, & supra illud, foetus humani stomachus sex circiter mensium à gestatione. Repletio facta per arteriam, unde summam contraxit rubedinem.

## N. LXIX.

Pedamentum &c. Semi-pulmo foetus humani cum annexo corculo, quorum arteriæ sunt nitidissime repletæ. Punctum nigrum indigitat portionem diaphragmatis.

## N. LXX.

Phiala in liquore servans frustum capitis ossei vitulini, & in eo rete mirabile; arteriæ rete constituentes perbelle sunt repletæ unde objectum summam quoque contraxit rubedinem. Hocce subjectum desumpsi ex vitulo, quem vacca utero gestaverat per semi-annum mortuum, cujus historiam admirandam legere est in

tractatu meo belgice conscripto, de uteri musculo & firmiore adhæsione placentæ, in statu præternaturali.

N. L X X I.

Pedamentum & supra illud, segmentum intestini coli ex homine. Repletio facta per venam cavam. Notandum: Quanta sit differentia, ratione constitutionis hujus, ab ea, quæ reperitur circa venam portarum.

A S S E R V.

N. L X X I I.

Pedamentum &c. Segmentum folii aloës africanæ, quod insultat sceleton muris album. Not. in foliis hujus plantæ omnia vasa succosa secundum longitudinem repunt, absque visibili ramificatione.

N. L X X I I I.

Phiala in liquore continens brachium fœtus humani, vitæ speciem referens, in cujus manu continetur lienis vitulini segmentum.

N. L X X I V.

Phiala &c. Fœtus humanus trium circiter mensium à conceptione. In eo, loco nasi, propendicula carnea adhæret, proboscidis instar, huic aditus est ramus plantæ ex insula St. Jago, scilicet lotus flore pullo dictus.

N. L X X V.

Phiala in liquore continens segmentum arteriæ splenicæ vitulinæ, ceraceâ materiâ rubrâ repletæ: variis locis in extremis ramulis adhucdum pulpofa substantia annectitur, aliis verò locis destituitur eadem, & sic videmus ramulos desinere in formam penicillorum nonnihil detritorum.

N. L X X V I.

Phiala & in ea in liquore testiculus humanus evolutus, suntque vascula testes constituenta, perquam tenuia. Objectum bonæ notæ.

N. L X X V I I.

Phiala &c. Foetus humani brachium, vitæ speciem repræsentans, in cujus manu continetur portio piæ matris alterius foetus humani, suntque vasa arteriosa repleta & rubicundissima.

N. L X X V I I I.

Pedamentum, & supra illud, semi-lien humanus. Repletio

tio

tio facta per venam. Hujus extremitates venosæ & pulposæ, tam mirifice oculos incurrunt, ut sustineam, impossibile esse, ut sculptor illas possit per figuras exprimere, ut deceret.

N. L X X I X.

Phiala in qua continetur in liquore, Cutis plantæ pedis, cum epidermide & corpore reticulari mulieris europeæ: facies exterior est corpus reticulare, subflavum. Sub hoc objecto reperitur aliud segmentum cutis plantæ pedis, hujus facies exterior, est epidermis. Herba adsita est herniaria.

N. L X X X.

Pedamentum & supra illud, Segmentum cutis rubrum è puero. Arteriæ sunt repletæ, ut reptatus earum oculos incurreret, qui non vituperandus. Subjectum bonæ notæ.

N. L X X X I.

Phiala in qua in liquore continetur Cortex pyri Poire sinjoor dicti, cujus superficies exterior obsita est innumeris particulis acinosis, Belgice *peukeltjens*, sicuti cutis nostra cum papillis nerveis: facie interiore è contra in conspectum veniunt ramulorum succolorum extremitates, quæ videntur desinere in dictis particulis acinosis: hæc autem omnia radiis solaribus sunt exponenda, oculis armatis.

N. L X X X I I.

Pedamentum, cui impositum Vexillum è cute infantis, cujus arteriæ sunt repletæ. In eo considerandum, quantumvis objectum sit rubicundissimum, attamen adversus lucem visum, vix occurrit ramusculus arteriosus, à latere vero milleni ramusculi visui comparent.

N. L X X X I I I.

Phiala in qua continetur Piæ matris portio è corpore humano: in ea luculenter apparet, (quantumvis sit admodum tenuis) in sese continere tunicam cellulosam; variis etiam in locis hic conspicuum est, ceraceam materiam sese exonerasse in dictam tunicam.

N. L X X X I V.

Pedamentum cui impositum Semi-ren humanus. Repletio per arteriam facta est.

N. L X X X V.

Phiala &c. Portio tunicæ papillofæ æsophagi ex testudine magna: hoc objectum magnam habet analogiam cum tunica buccarum & linguæ bovinæ. Omnes hæ papillæ gaudent

B 2

epithe-

epitheliâ firmiore, duriore & acuminata. Plantula adfita est Juniperus Goënsis.

N. L X X X V I.

Pedamentum &c. Portio intestini jejuni hominis, cujus repletio facta per venam portæ.

N. L X X X V I I.

Phiala &c. Segmentum cutis, cum cuticula & corpore reticulari ex Æthyope. Pars superior cutis, albissima, pars inferior, cuticula & corpus reticulare, epidermis coloris cinerei est, corpus reticulare, nigerrimum.

N. L X X X V I I I.

Pedamentum &c. Cor & pulmo infantis balsamo indurata. Repletio facta per arteriam. Hæc omnia in statu naturali sunt relicta.

N. L X X X I X.

Phiala &c. Exuviæ seu sceleton pyri. Bonæ notæ.

N. X C.

Pedamentum &c. Segmentum intestini jejuni ex juvene, cujus juga (seu valvulæ conniventes) vix conspiciuntur, id quod in tali ætate naturale. Objectum summâ rubedine superbit propter arteriarum repletionem.

## A S S E R V I.

N. X C I.

Pedamentum, cui impositum Segmentum membranæ chorii, cum portione cotyledonis ex ove. Objectum nitidissimum.

N. X C I I.

Pedamentum &c. Concha Pecten dicta, in qua continentur octo calculi è vesicâ felleâ hominis, suntque angulares.

N. X C I I I.

Pedamentum &c. Segmentum placentæ uterinæ humanæ. Repletio facta est per venam.

N. X C I V.

Pedamentum &c. Portio Epidermidis ex cauda Balæne nigerrima & admodum tenuis.

N. X C V.

Pedamentum &c. Glandulæ conglobatæ sub parotide sitæ, ex homine. Repletio facta per arteriam. Objectum admirandum, ratione reptatus arteriolarum.

X C V I.

## N. XCVI.

Pedamentum &c. Exigua pars cutis ros-mari.

## N. XCVII.

Pedamentum &c. Segmentum lienis vitulini, cujus repletio facta per arteriam: hujus reptatus tam admirandus & subtilis, ut per figuras vix repræsentari possit.

## N. XCVIII.

Pedamentum &c. Lien infantis, cujus repletio facta per arteriam. Hujus ramuli dispersi per superficiem stomachum adspicientem, optime sunt conspicui, microscopio adhibito.

## N. XCIX.

Pedamentum &c. Segmentum lienis humani, cujus arteria repleta. Hoc objectum radiis solaribus exponendum, oculis armatis, & in eo nonnulla nondum descripta inveniemus.

## N. C.

Pedamentum & supra illud, Vesica juvenis inflata & balsamo indurata: hoc objectum obtinet globosam figuram absque rugis, vasaque arteriosa sunt repleta, unde summam rubedinem induit.

## N. CI.

Pedamentum &c. Segmentum Intestini jejuni ex homine adulto, cujus valvulæ conniventes, (potius juga,) optime sunt conspicuæ. Hoc objectum post repletionem inconsuetam acquisivit duritiem, colore estque rubicundissimo.

## N. CII.

Pedamentum &c. Cordis auricula sinistra ex homine, ceraceâ materiâ rubrâ infarctâ, ut vera ejus figura melius cerni possit.

## N. CIII.

Pedamentum &c. Ureteris humani portio rubicunda, propter repletionem arteriarum.

## N. CIV.

Pedamentum &c. Exigua lingua è foetu humano, 6 circiter mensium à conceptione, estque ruberrimi coloris, propter vasorum repletionem.

## N. CV.

Pedamentum &c. Segmentum epatis ex juvene duodecim fere annorum, cujus repletio facta per arteriam. Optimæ notæ.

## N. CVI.

Pedamentum &c. Ren bisectus ex ove, repletus materiâ ceraceâ rubrâ. In hoc objecto discretio apparet inter renem ovium & humanum, quæ magna.

## A S S E R V I I.

## N. C V I I.

Pedamentum, cui impositum Segmentum stomachi juvenis. Repletio facta per arteriam, hujus reptatus plane diversus, quam in intestino ileo aut jejunò.

## N. C V I I I.

Pedamentum &c. Substantia musculosa brachii foetus humani, eum in finem conservata, ut in conspectum veniret admirandus numerus vasculorum arteriosorum repletorum, ut & exitus materiæ ceracæ rubræ roris instar per substantiam muscularem, id quod rarum.

## N. C I X.

Phiala in liquore conservans Portionem cerebri, pia matre obductam: hujus arteriæ sunt repletæ, ex homine.

## N. C X.

Phiala in qua continetur Semi-ren humanus, Spinula intrusa denotat papillas renales rubicundissimas propter arteriæ repletionem.

## N. C X I.

Pedamentum, & supra illud, portio mesenterii hominis adulti, admodum obesi: per cujus pinguedinem innumera vascula sanguinea repleta disseminata sunt, unde totum objectum summâ rubedine perfusum est. Glandulæ mesenterii, admirando reptatu vasorum sanguineorum præditæ, microscopio visæ.

## N. C X I I.

Pedamentum &c. Portio lienis humani, balsamo indurati, cujus vasa nitidissime sunt repleta. Hic conspiciendum sese offert, quanta sit discrepantia circa vasa lienis, hepatis, renum aliarumque partium. NB. Spinula bicolor intrusa denotat faciem exteriorem.

## N. C X I I I.

Phiala magna, & in ea Foetus humanus masculinus sex septemve mensium à conceptione, in quo observatu dignum, quod positura ejus sit oculis clausis, ut videatur tanquam cogitabundus: à latere positum est segmentum placentæ mulieris non repletum.

N. CXIV.



## N. CXIV.

Pedamentum, cui impositus Lien ovinus. repletio facta per arteriam, cujus extremitates ultimæ tomenti instar sunt tenuissimæ. Objectum optimæ notæ.

## N. CXV.

Phiala in liquore continens Sceleton sive exuvias pyri sacchari cum pulpositatibus suis extremis. Optimæ notæ. Vid. Tab. II.

## N. CXVI.

Phiala in liquore continens quatuor Digitos pedis hominis adulti; cujus cuticula & corpus reticulare sunt adempta, ut in conspectum venirent millenæ papillæ cutaneæ, prominentes extra superficiem cutis, magnitudine arenularum. Supra operculum reperitur alia phiala, liquore repleta.

## N. CXVII.

Continens portionem Epidermidis ex pilosa capitis parte, tenuitate superantem epidermidem cutis aliarum partium: ita ut non sit ubique in corpore humano ejusdem tenuitatis.

## N. CXVIII.

Phiala & in ea, Foetus humani pia mater. Repletio facta per arteriam. Hic notandum, quod variis locis in conspectum producantur particulæ corticis cerebri, in pulpæ formam.

## N. CXIX.

Pedamentum & supra illud, semi-lien humanus monstruosus. Repletio facta per venam, ceraceâ materiâ flavâ; in eo notandum, quod membrana lienem ambiens, perquam crassa sit, id quod aliquoties offendi, forsân à prægressâ levi aut gravi inflammatione?

## N. CXX.

Phiala cum liquore, in qua Infantis brachium, vitæ speciem referens, in cujus manu continetur segmentum intestini jejuni humani, cum suis vasibus repletis. Objectum optimæ notæ.

## N. CXXI.

Phiala &c. Magna portio placentæ uterinæ humanæ. Repletio facta per venam. Ab unâ parte summa rubedine superbit, altera pars adhuc obducta integumento albo nuper à me detecto, obducens eam partem, quæ respicit uterum.

## N. CXXII.

Phiala ut supra, & in ea portio membranæ chorii vitulinæ:  
hujus

hujus vasa optime ad extremum usque sunt repleta ceraceâ materiâ flavâ.

## N. C X X I I I.

Phiala ut supra, & in ea Apium foeniculi marini folio, à quo dependet embryo humanus ita compressus, ut faciem naturalem amiserit.

## N. C X X I V.

Pedamentum, & supra illud Semi-ren humanus. repletio facta per venam, lineam acquisivit duritiem, balsami ope.

## N. C X X V.

Pedamentum, cui impositum Segmentum lienis vitulini, cujus arteria tam accuratè repleta, ut extremitates microscopio visæ mentiantur nubeculas.

## N. C X X V I.

Pedamentum ut supra, semi-penis virilis inflatus. Seta maxima bicolor indigitat alteram partem corporis nerveo-spongiosi majoris, & super illam occurrit minor seta, tunicam cellulofam, sub cute sitam, demonstrans: minima, portionem corporis nerveo spongiosi minoris, exteriorem partem glandis constituentis. Seta obtusa, paraphymosim factitiam flatu, & sic arte factam; hæc autem seta sub glandis corona sita est. Duo puncta rubra, meatum urinarium: punctum rubrum solitarium indigitat locum, ubi corpus nerveo-spongiosum minus desinit.

## A S S E R V I I I.

## N. C X X V I I.

Phiala in liquore continens Exuvias, seu sceleton pruni, non fatellitum ope, sed verò propriis manibus affabre concinnatum, ac præparatum.

## N. C X X V I I I.

Phiala ut supra continens Segmentum placentæ uterinæ humanæ. Repletio facta per arteriam. Vasa hujus objecti analogiam habent cum vasculis corticem cerebri constituentibus, ratione tenuitatis.

## N. C X X I X.

Pedamentum, cui imposita, costa infantis, per macerationem in liquore acido ita flexilis facta, ut sine ullo incommodo potuerim redigere in formam litteræ P.

## N. C X X X.

## N. CXXX.

Pedamentum ut supra. Lien & pancreas juvenis balsamo indurata: horum repletio facta per arteriam. In eo videre est, quanta sit discretio vasorum lienis & pancreatis.

## N. CXXXI.

Phiala ut supra. Segmentum cutis humanæ, in quo luculenter comparent particulæ prominentes epidermidis, nonnullis papulæ dictæ, de quibus in futurum.

## N. CXXXII.

Pedamentum & supra illud, segmentum ossis femoris ex homine, mirum in modum incrassatum: an ex prægresso hydrope, aut alia inconvenientia?

## N. CXXXIII.

Phiala ut supra. Exuviæ seu sceleton pyri parvi. optimæ notæ.

## N. CXXXIV.

Phiala ut supra. *Holotharius Zeylanicus velivolans. Hermannii. cat. mus. Zeyl. N. 38.* Zoophytum venenatissimum, & causticum per summa maris Indici velivolans, colore iridem forma expansam, sed cavam vesicam referens, parte suprema velo, infra multis longissimis filis, quasi remo instructum, colore cæruleo & rubro. Belgice vulgò *een bezaantje* vocatur. Repertus fuit in ventriculo piscis volantis, seu harengi volantis; in fundo phialæ reperitur pediculus marinus.

## N. CXXXV.

Phiala &c. Uterus exiguus, idque è foetu humano, septem circiter mensium, vespertilionem cum suis alis repræsentans, repertus est hic foetus in aqua sub cloaca. In hoc objecto, vitæ speciem repræsentante, videre licet, quomodo os uteri internum sit constitutum in illa ætate, scilicet rugosum & clausum.

## N. CXXXVI.

Phiala ut supra. Segmentum tendinis è Balenâ, cujus admiranda facies hic videri potest. Pone hoc objectum reperitur *chamæcyte*, cuius ope hocce segmentum comprimitur versus phialæ parietem.

## N. CXXXVII.

Phiala &c. Piscis *passinaca. Fab. Column. & aliorum.*

## N. CXXXVIII.

Pedamentum & supra illud, apulstre confectum ex vasis succosis mali armeniæ, Belgicè vulgò, *Abricoos*, suntque maximo numero. optimæ notæ.

## C

## N. CXXXIX.

## N. CXXXIX.

Phiala ut supra. Ren cum annexo rene succenturiato ex foetuhumano.

## N. CXL.

Pedamentum & supra illud, segmentum hepatis humani. Repletio facta per venam, quæ vasa mentiuntur nubeculam rubram in extremo. optimæ notæ.

## N. CXLI.

Pedamentum ut supra. Segmentum mesenterii humani, cum suis glandulis repletum.

## N. CXLII.

Pedamentum ut supra. Duæ costæ ex infante, cum musculis intercostalibus rubicundissimis. In hoc objecto visibilis est ossificatio fibrosa quæ secundum longitudinem exporrigitur.

## N. CXLIII.

Phiala, in qua continetur Abortus humanus, scilicet embryo magnitudine capitis aciculæ, dependens à funiculi umbilicalis extremo. In eo notandum, I. quod embryo sit difformis, notaturque spinula nigra. II. Funiculus umbilicalis annectitur adhuc rudimento placentulæ cruore sanguineo nigro obducto. III. Objectum in totum est nigrum, & dicitur vulgò, & minus caute, Belgice *het moertje*, quum totum objectum fere nil nisi sanguis grumosus sit, qui habitus est pro placentulâ uterinâ.

## N. CXLIV.

Pedamentum, cui impositum segmentum Intestini Ilei, cum diverticulo peculiari ex homine. Spinula bicolor indigatat dictum diverticulum; per quod innumera vasa sanguinea repleta disseminantur. Vid. Observ. Anat. Chirurg.

## N. CXLV.

Pedamentum ut supra. Intestinula foetus humani inflata, balsamo indurata, & nitidissime conservata. Punctum nigrum indigatat intestinum rectum, duo puncta cœcum, desinens in processum vermiformem, tria puncta, colon, quatuor puncta, Ileum.

## A S S E R I X.

## N. CXLVI.

Pedamentum. & supra illud utraque palpebra, cum segmento cutis humanæ. Repletio facta per arteriam. optimæ notæ.

## N. CXLVII.

Pedamentum ut supra. Vesica urinaria ex juvene: hujus vasa sanguinea in totum sunt repleta, ita ut ex meris vasis videatur constare.

## N. CXLVIII.

Pedamentum ut supra. Aplustre confectum ex segmento intestini crassi mulieris. Repletio facta per ramum venæ portæ. optimæ notæ.

## N. CXLIX.

Pedamentum ut supra. Segmentum musculi cum tendine, cujus vasa sunt repleta, unde summam rubedinem contraxere.

## N. CL.

Pedamentum ut supra. Hepar foetus humani septem circiter mensium à conceptione: hujus repletio facta per arteriam.

## N. CLI.

Pedamentum ut supra. Vesica urinaria foetus humani, cujus arteria repleta, summa rubedine superbiens.

## N. CLII.

Pedamentum ut supra. Segmentum placentæ uterinæ humanæ. Repletio facta per venam umbilicalem, cujus reptatus peculiaris est. Optimæ notæ.

## N. CLIII.

Pedamentum, ut supra, segmentum cutis humanæ, quæ scatet papillis cutaneis: macula nigra, denotat superficiem internam.

## N. CLIV.

Phiala, & in ea, pia mater, cujus vasa sunt repleta, suntque tomenti instar tenuia.

## N. CLV.

Phiala ut supra. Duæ secundinæ porcinae, nullis cotyledonibus ditatae, ut quidem in aliis quadrupedibus, sed vero duabus membranis præditæ, quarum chorii superficies interna ceu villosa, exterior verò æqualis & lubrica conspicitur.

## N. C L V I.

Capsula, in qua continetur pedamentum, & supra illud reperitur Thymus bifidus è foetu humano. Repletio facta per arteriam. Huic annectitur segmentum pericardii rubicundi, præ copia arteriolarum minutissimarum repletarum.

## N. C L V I I.

Pedamentum & supra illud, segmentum hepatis humani. Repletio facta per venam portæ. optimæ notæ.

## N. C L V I I I.

Pedamentum ut supra. Dimidia pars licnis mulieris obesæ, ætate provectiore. Repletio facta per venam. optimæ notæ.

## N. C L I X.

Pedamentum ut supra. Segmentum stomachi juvenis, repletio facta per arteriam.

\* \* \*

\* \*

In inferiore parte hujus Theauri reperiuntur variae Thecæ, seu repositaria, in quibus sequentia conspiciuntur.

## I N T H E C A I a.

Continentur duæ pyxides, seu scatulæ, una reservans fasciculum florum rariorum, statum vivum, vel vitæ speciem repræsentantium, suntque horum petala, non solum magna, verum etiam minima, (id quod olim facere haud potui) expansa. Præterea color satis bene conservatus, etiamsi à pluribus annis carpti fuerint: inter flores agmen ducit flos radicis Chinæ veræ Ind. Orient. quæ speciem senecionis æmulatur, ut patet ex ejus semine papposo, huic fasciculo adsito. Præterea hic quoque adspiciuntur ramulus herbæ mimosæ spinosæ Americ. ut & Xeranthemum majus flore albo, cap. Bonæ Spei. &c.

In II<sup>a</sup>. Scatula reperitur quoque fasciculus floribus rarioribus instructus, quos inter Fumaria flore albo, puncto nigro notato, ut & Amaranthoides flore albo & purpureo ex Africa oriundus.

## I N T H E C A I I a.

Continentur quoque duæ scatulæ, floribus rarioribus instructæ.

## I N T H E C A I I I a.

Conservantur VI. Capsulæ.

I N I a.

## IN Ia.

Est pileolus confectus è cute capitis infantis, cujus repletio facta per arterias.

IN II<sup>da</sup>.

Planta ramosa ex alia planta. Vide Tab. I. fig. 1. Epistol. respons. ad VATER.

IN III<sup>a</sup>.

Continetur alia planta ex alia planta, in forma fistulæ, in cujus cavo conspiciuntur sinus varii, cryptas Boerhavianas mentientes, uti videre est Tab. I. fig. 2. Epist. respons. ad VATER.

IN IV<sup>a</sup>.

Libellus rarissimus confectus ex exuviis plantæ arboreæ, & quidem lamellatim sibi invicem appositis vel applicatis, & hic à se invicem separatim disjunctis, in formam folii papyri, idque absque amylo cocto, glutine, acu, filo: inter dicta folia reposita sunt exuviæ foliorum variorum arborum, id quod visum botanophilorum allicit.

IN V<sup>a</sup>.

Continetur segmentum intestini tenuioris ex vitulo recens nato, cujus arteria est repleta, nobisque indigitat, quanta sit discretio inter reptatum & constitutionem harum partium in vitulo, ac in homine: an igitur absonum foret, statuere sanguinem brutorum in totum non convenire cum humano? Me quod attinet, alienus haud essem, præsertim cum viderim, magnum discrimen inter artificialem confectionem polyporum ex sanguine humano ac vitulino solâ conquassatione facta: si hoc considerassent auctores transfusionis sanguinis, nullus dubito, quin abstinuissent abs tam inutili & futili negotio.

IN VI<sup>a</sup>.

Conservatur frustum hepatis humani, cujus repletio facta per venam cavam, unde hepatis acini luculenter in conspectum veniunt colore rubro, propter ceraceam materia[m], eodem colore imbutam: quid sit acinus hic videre licet; si vero repletio facta fuisset per venam portarum, prorsus alia nobis occurrisset apparentia; attamen non tanta perfectione, ac desiderassem, præparatio successit; id enim vix possibile factu. Ea propter imposterum hisce non tanto desiderio inhærere fert animus, contentus ipsis objectis & præparatis, & oculari invitatione venite & videte.

Asservantur Scatulæ floribus rarioribus repletæ.

E X P L I C A T. T A B.

T A B. I.

- A. Sceleton, potius exuviæ foliorum hederæ arboreæ.
- B. Sceleton Folii populi nigrae.
- C. Sceleton Folii Pyri sacchari.
- D. Sceleton Folii Fagi nigrae.

F. Nigredo, & in sui medio Uterus pyri.

T A B. I I I.

Exuviæ Opuntiae Americanæ spinosæ in IV. lamellas divisæ.

T A B. I I.


Exuviæ Fructus Pyr. Sacchar.

- A. Vasorum succoformum trunci.
- B. Segmentum corticis residuum.
- C. Pedicellus.
- D. Vasorum succoformum reptatus.
- E. E. Pulpa, seu Vasorum extrema.

- A. Lamella prima.
- B. Secunda.
- C. Tertia.
- D. Quarta.
- E. E. Unio omnium lamellarum truncum constituentium.
- F. F. Spinæ.
- G. Serpens Americanus bicolor jaculatrix.










TAB. II









TRACTATIO ANATOMICA,  
D E  
MUSCULO,  
I N  
FUNDO UTERI  
O B S E R V A T O,  
A N T E H A C  
A N E M I N E D E T E C T O,

Cui, Accedit

Depulsionis secundarum, Parturientium  
Feminarum, Instructio,

A U T H O R E

FREDERICO RUYSCHIO,

Anatomes & Botanices Prof. Acad. Caesar. Curios.

Coll. nec non Reg. Societ. Anglic. Membr.

*Ex Belgico in Latinum traducta,*

A

JOANNE CHRISTOPHORO BOHLIO, BORUSSO.



A M S T E L O D A M I,

Apud J A N S S O N I O - W A E S B E R G I O S.

A. N. C. C I O I O C C X X V I.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

540 EAST 57TH STREET

CHICAGO, ILL. 60637

TEL: 773-936-3200

FAX: 773-936-3200

WWW.CHICAGO.EDU

UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO



V I R O,  
I N  
ANATOMICIS  
P R I N C I P I,  
I N  
BOTANICIS

Perfpicaciffimo, Experientiffimo,

*Tractatus hujus*

A U T H O R I,

per orbem celebratiffimo,

M A E C E N A T I,

*multa mihi laude confpicuo,*

D. FREDERICO RUYSCHIO,

Anatomes & Botan. Profeff. Celeberr. Academ. Cae-  
far. Curiof. Coll. nec non Reg. Societ. Anglic.  
Membr. confumatiff.

Hoc observationum fuarum in Latinum tradu-  
ctarum fpecimen, in novum propenfi animi  
favorem, vitam Neftoream, fata invidenda, &  
intemerata gaudia precatus, humillime

D. D.

JOANNES CHRISTOPHORUS BOHLIUS,  
BORUSSUS.

# LECTOR AMICE!



**F**REDERICO RUYSCHIO, *Viro* & meritis & honoribus spectatissimo, *Seni*, nonagenario proximo, vegeta semper senecta, *Venerabili*, de novo gratulare, eoque ardentioribus votis laetare, quod quo maiori annorum cumulo eum beatum sentis, eo indefessiori cura & amore in tui salutem, perfectionemve feratur, ut candelae instar, tibi inseriendo, totus consumatur. Haec est generosarum virtutum magnanima illa indoles, quae spreta omni vitae brevis commoditate, patriam virtutum suarum splendore nobilitare, eruditionisve suae radios per longe lateque patentem orbem literatum diffundere cupit, non vanae ambitionis vel lucri adfectu, sed solo laudabili in publica commoda amore incitata, quo evidentissimo documento demonstraret, quí omnes egregii exempli sui sectatores, cuperet, & parandam immortalis nominis gloriam, sufficienti ratiocinio omnibus suaderet. Haec quoque *Ruyshio nostro*, cuius nomen meminisse sat erit, mens haesit, ut eruditione sua non sibi solum praeluceret, sed serae posteritati lucem appenderet, reipublicae salutem promoveret. Et certe, vota non fefellerunt, evasit, quod evadere voluit, & promeruit omnium suffragio, principes in Anatome partes *Senex* quidem, ast semper laboriosissimus. Hinc tibi, *L. A.* incumbet, ut vitam Promotori salutis tuae a Summo Numine Nestorem preceris, grates quoque referas DEO Moderatori sapienti, quod novum tibi, novo hoc invento, novi amoris sui argumentum praebuerit. Longum foret, si meritorum laudumve *Ruyshianarum* contexendus mihi foret catalogus, cum tanti Nominis veneratio in animis omnium temporum & gratae posteritatis memoria per secula vivet immortalis. Palam est, quantis Magnus ille Rufforum Imperator & Domitor, repetita vice, repetitis semper novis honorum documentis eum auxerit. Ingratus vero & ego forem, si propensionem eius in me meave studia, tacitus praeterirem; cum vero nil sit quo adfectum erga *Virum Celeberr.* exprimere possim, traductione hac filo crasso contexta, gratissimus compenso, quod compensare nequeo. Ceterum, observationes has de novo musculo eo acceptiores tibi futuras *L. A.* confido, quo noverim certius, arduam hanc materiam & in DEI gloriam & in publica reipublicae incrementa vergere. Si vero me ingenio stili Romani cespitasse, & traductione mea non omnia exacte explicasse dicis, mihi gratulor; si vero ultra crepidam carpis, meliora nesciens, an inscitiam, an insaniam tuam laudem, dubius sum. Interim ut tamen aliquid dixisse videaris, gloriolam hanc tibi non invidebo, nec scommata malevolorum aegre feram, sed tibi Poetae illud occinam:

Ego, cur acquirere aliquid possim,  
Invideor, Vale!

Dab. Lugd. Batavorum  
A. N. C. MDCCXXV.  
Prid. Kal. Novembr.

# TRACTATIO ANATOMICA.

*Lector Amice!*



Ova Tibi de novo profero, precibus tuis faepius fatigatus, ut Belgico idiomate legendi praeberem scripta mea, quae haecenus Latino sermone fere prodire, cum deficiente cognitione, nil tibi rerum mearum fructus accesserit.

Ne ergo petitis tuis amicis aequae ac iustis ulterius deessem; hinc te brumali hoc tempore de uno alterove instruam, de omnibus superfluum iudicans.

Quodsi innumerabilia illa benefacta, quibus omnipotens rerum Moderator, immeritum me a primis usque unguiculis onustum reddidit, & qui indigne ea compensaverim, mecum reputo; admiratione totus corrumpor, in omnibus susceptis laboribus DEI auxilium praedicans.

Sexaginta iam, & quod excurrit, anni praeterfluxere, cum investigandae inscrutabilis machinae Microcosmi, id est, machinae humanae, tanto amore incumberem, tantoque successu prosequerer, ut trium annorum spatio omnes me iam aliis profitentem audirent.

Instrumenta tum temporis usitata, reique demonstrandae accommodata, varii erant cultelli, forfices, catheteres, unci, cauteria actualia, sanguinem coercentia, ut & tubuli cuprei, quae mihi multum inserviisse, ut & adhuc inserviunt, lubens profiteor.

Longo annorum decursu his instrumentis usus fui, donec *Vir Celeberrimus, amicus amantissimus, Dr. Regnerus de Graaf* prodiret, qui novo plane siphone invento utebatur, in *Tract. de Organ. Generat. inservientibus*, delineato, quo instrumento vasa sanguifera spiritu, liquoreque varicolore iniiciebat, ut sanguinis motum eo melius observaret, id quod, novum

adhuc existens, multorum approbationem invenit, posthac vero reiectum fuit, eo, quod materia infusa continue praeterflueret.

Post hunc, fatis iam functus *Dr. Joannes Swammerdam* inclarescebat, cui siphon, priori absimilis, sequenti modo interveniebat: loco spiritus liquorisve varicoloris materiam quandam calefactam in vasa sanguifera imprimebat, quæ, in iis spillata, eruptionem inhibebat.

Hoc invento illud sibi gratulari poterat, quod venas & arterias capillares, vel in ipso vultu conspicuas redderet; nova vero inventionis suae structura hoc non solum efficiebat: mysterium propius scrutemur, vasa enim capillaria diu iam, invento hoc nondum divulgato, visa erant, unde & *vasa capillaria* dicebantur, id est, vasa subtilissima. Nova haec ars eo tempore detegebatur, quo *Tractatus* nunquam satis laudandos, *de Respiratione; de Apibus, & de Insectis* publico exhibuisset.

Hic in Anatomicis pedem figebat, & mundana rejiciens, vitam piam & solitariam agebat, ut ex Operibus ejus videre licet, & quamvis multis precibus sollicitaretur Anatomem prosequendi, a proposito tamen suo ne latum unguem discedebat, donec DEO IUBENTE ad coelestia transiret.

Quamnam igitur materiam, *Vir piae memoriae*, in infusione vasculorum adhibuerit, notum mihi non est, nec mihi quicquam dixerat: Ego interim, DEO providente, materiam inventam, & feliciter successam; mihi gratulor, ita ut non solum infundam, ut supra dictum fuit, vasa capillaria, sed & ea subtilitate praeparem, ut texturae araneae similia appareant.

Hic errores detegebantur, quos in Operibus *summi* illius *Malpighii* legere potes, qui, vasorum extremitates in machina humana videri non posse, autumabat: quod insuper diu desiderabatur. Nunc eas videre, & extrema eorum tangere licet; nunc quoque in quo cespitaverint alii, observamus, cuius cognitionis sufficientis Anatomie cadaverum, per tot retro lustra dislectorum, certiores nos reddere haud poterat.

Haec non sunt verba Thraasonica, sed absoluta veritas, imo beneficium Creatoris sapientis maximum, quod populo suo revelavit!

Hisce

# A N A T O M I C A.

Hisce adductis mortuum cadaver quasi resuscito, id est, ita omnibus apparet, ac si in statum naturalem transmigraverit, illudque a me non vanam iactantiam putes!

Milleni hominum semper viderunt, & admirationis vocula, *Obstapeo!* attoniti haeserunt. Obiectis meis nil nisi animam deesse comperies, membra moveri possunt, cuticula, carnosa substantia, pinguedo una cum intestinis naturalia apparent, & nitore suo, ac in vivo subjecto, corruscantia.

Ah! magnum de *Domino DEO nostro*, beneficium! tamdiu in tenebris palpitasse, & iam praesenti magno lumine afulgi! *Sursum corda!* grates persolvite cuncti!

## I N S T R U C T I O

### *Detectae huius Artis.*

Multi praeterlapsi sunt anni, cum ad hominem morti proximum inviserem. *Nitorem faciei*, quavis hora debiliorem observabam; cogitabam statim, num non intestina huius, aliaeve partes, naturali sua facie privarentur? Dictum! Factum! opera adhibita res ita se habebat; hae enim admodum exiguae molliculae, post sui destructionem collapsae, oculorum nostrorum aciem superfugiunt; arte vero mea praeparatae, vivae & suaves apparent, ac si nobiscum ita loqui vellent: Diu de nobis absque rei veritate disputatum fuit, iam externam & internam, superiorem inferioremve fabricam contemmini, loquimini structuram & modum, quomodo nocte dieve conservationis vestrae ergo mandata officia stabili obsequio exsequamur.

Quum igitur cadavera mea in statu ceu perfecte viventis conserventur, vultu in genis nullis rugis obducto, sed naturali suo nitore rutilanti, hinc obiiceret quis: Nonne fuco superducta sunt objecta? R. Non faciem solum, sed annexam quoque omnium externarum & internarum partium fabricam, ac in vivo subjecto florido, observare licebit: quaeso, num omnia haec fuco superducere vales? Porro; ex his conicere poteris, operi hocce meo adversarios multos insultasse, quaerulantes, contradicentes, scommata eructantes, multasve cenfuras iniquas divulgantes.

## T R A C T A T I O

Scripserat mihi Professor quidam, petens, ab ulterioribus novitatibus publico committendis desisterem, & his assentirer, quae antiquitus immobilis & absolutae veritatis nota donata fuere; imo expertus, intentum scopum non obtinuisse, ut mentem & principia mutarem, reiterabat literas suas, labores meos *contra Professoris dignitatem* esse somnians. Respondebam: VENI! ET VIDE! non venit, sed ad coeleste domicilium migrabat.

Expendenti mihi omnia singularia arcana, quae *Numen Divinum*, me interprete, orbi patefacere voluit, non sunt miranda bella illa intestina, repetitis vicibus adversus me enata, ut, fervore exaestuanti scripta mea legentes, mecum congressi fuerint, & vel haec libris suis indi curaverint: Oculos mihi ex orbitis meis eruendos prius malle, quam *hypotesibus Ruyschianis* calculum adderem, donec tandem post quatuor vel quinque septimanas, literis ad me datis, arma iniusta deponerent, prava illa iudicia excusantes, seque iam ab aliis de demonstrata rei veritate victos & vinctos esse, indicantes.

Et fane res non parvi momenti erat, publice adserere, corticem cerebri nullis glandulis constare, sed esse systema mollium vasculorum: Nemo hoc unquam audiverat nec legerat, mollem illam materiam, amylo albo cocto similem, foliis dici posse vasis constare.

Error saltem erat ex incredulitate proveniens; alii contra, ex odio & invidia iudicia ferentes, hanc veritati meae censuram anilem ore & scriptis tribuebant; *Ruyschius* dicit nullas glandulas in corpore humano inveniri. En! nugas! figmenta! Ulterius, *Ruyschius destruit arte sua glandulas*. Haec & similia iniqua sunt malevolorum iudicia!

Quid? quod obloquuntur etiam, particulas arte mea in aliam substantiam & preaternaturalem statum redigi; nec hoc veritati convenit. Hae pluresve objectiones hoc a me responsi habent: VENITE! ET VIDETE! Adversarios vero omnes brevi fere temporis intervallo invicem fati functos esse, mihi prae ceteris mirum videtur. Vah! requies dissidiorum maxima!

Haud ita pridem Tractatum quendam legens, errores non exiguos reperi. Auctor, artis meae mentionem iniiciens, non *Ruyschium*, sed *Swammerdamium*, inventorem defendebat.

Fabulae

Fabulae hae sunt, cum nullum unquam cadaver, ad vivum prae-  
paratum, demonstravit.

Tectum hoc per secula arcanum Numini Divino me auctore  
orbi communicandum placuit, cuius etiam soli gloriae non sine  
grata mente refero.

Non facile memoria excidet opera illa arti meae impensa;  
iam inventa, plura sese mihi miracula in corpore humano indies  
offerunt, de quibus charissimus amicus, *Swammerdam*, nil  
dixerat. Nulla dies abiit, qua non mutua amicitia conjunctis-  
simi collocuti fumus, at nec mihi, nec ulli quicquam de hoc  
retulisse, libere fateor.

Inaudita haec, primo mihi demonstranti, incantationes om-  
nibus fuisse, & in nonnullis oris nullam plane approbationem  
invenisse, dolebam, quae vero turbae sopitae iacent.

O! quam parum sine artis meae inventione de vasis sanguife-  
ris notum erat; adferebant, arterias sanguinem in omnes cor-  
poris nostri partes in sustentationem influere, quem venae re-  
gerentes rursus peterent, & continuo illo circulari motu cor-  
di insinuarent: dicebant, venas simplici, arterias contra dupli-  
ci tunica involvi, id quod in tantum verum censeo. Tertio,  
venas valvulis, arterias nullis constare, quod falso adferitur,  
cum etiam in arteriis, circa cor reptantibus, observatae fuerint.

His paucis coeci illi Magistri viam nobis indicasse, gloria-  
bantur: Quanta ergo luce nunc nos innumeris his *Creatoris*  
benefactis collustratos esse, sentimus; quod tibi, L. A. diluci-  
dus explanaturus sum.

Primo: Quamvis antecessores nostri in perscrutanda vaso-  
rum sanguiferorum fabrica (pro quo grates promeruerunt,)   
vel Herculeos sustinuerint labores, fines tamen eorum dete-  
gere haud valuerunt, cui vero multum subest. Hos ego per  
infusionem observabam, ut nunc plurimos, subtilitate tomen-  
ti & telae aranae instar, evanescere videas: alios e contra-  
rio in *Pulpam*, in nonnullis partibus *Vasculosam* permisceri,  
demonstro. Antiqua lex obtinet: *Praesentemque refert quae-  
libet herba Deum*. Nonne hanc extremitatibus vasorum sanguife-  
rorum iure applicare potero, telam aranae subtilitate mire exili  
supergradientibus? Quae tota nocte dieve, nullo otio intermisso,  
occupata sint necesse est, ad conficienda, secernendaque ea,

quorum officio a *DEO* destinata sunt? Imo, semper. Ministri enim & emissarii sunt humorum, ex chylo-feroitate provenientium.

Obiicerent: quâ concludamus, subtiles has vasorum extremitates continuum motum exercere? R. Lectum dormiendi causa petentes, vas aliquod ad eliminandam urinam quaerimus: Evigilati, vase rursum prehensio, corpus onere suo liberamus: semper secretionem ope exilium renum vasculorum fieri, certum est: per consequens sanguis, vigilantibus aut dormientibus nobis, motum non sinit, absolutae necessitatis erit, alias fatalis homini hora imminebit. Eadem quoque muscutorum & fibrarum motricium est ratio, in ventriculo, intestinis continuo motu laboriosissimorum, cuius summus ille & Celeberr. *Hecquet*, Med. Dr. & laudabilis Societ. Paris. membrum dignissimum, in eleganti Tract. *de Trituratione cibi in stomacho*, certiores nos reddidit, illudque locum sibi in intestinis vindicat.

Adde, motum respirationis, vigilantibus vel dormientibus nobis, perpetuum esse, cui exsequendæ musculi, pulmones una cum corde continuo suo motu respondent: hinc, cum perpetuum circulum describant, vasa illa sanguifera & lymphatica motum nec possunt, nec debent inhibere, alias actum est de vita.

Nova hac allegata observatione demonstro quoque, de quo per tot lustra altum fuit silentium, ramificationes magnorum vasorum sanguiferorum (scilicet, *Arteriae magnae, Venae cavae, Venae portae, vel portarum*, tam in substantia quam usu suo penitus esse dissimiles. Res, me iudice, summae utilitatis, qua plurimi errores ostenduntur.

In Operibus meis nonnullos iam ramos delineatos reperies; ne vero hoc solum de vasis nostris sanguiferis praedicari, scias, accedit &, quod vasa succosa pyrorum aliorumve fructuum, quae totam eorum substantiam fere constituunt, à se invicem discrepent, de quo suo tempore, *D. U. in Dec. Advers. IV.* fusius.

Des mihi hunc in finem partem quamcunque hepatis, cuius vasa sanguifera materia ceracea rubra impleta sunt; demonstraturus sum, hanc, per *Venam portae*, illam, per *Venam cavam*, aliam partem, per *arterias* infusam esse. Non-



ne ergo adferendum, & pro vero accipiendum erit, unicuique in confectione exsequenda peculiare quid a DEO destinatum esse? Et unica sapienti providentia eius?

Supra memoratus *Dr. de Graaf*, incomparabilem *Pancreatis* delineationem in *Tract. suo de Partibus Generat.* exhibuit; nil vero singulare de vasis sanguiferis tractavit.

Tum temporis iam cum plurimis aevi praesentis Doctoribus, *Secretio! Secretio!* clamabant. Quæso, quid est Secretio? sine antegressa confectione per vasa, emissariis & ministris nempe, *mediante chylo-serositate sanguinis*, per quam serosam sanguinis materiam, in arteriis contentam, intelligo; cum vero nil huius in venis observetur, *sanguis* hinc inde *serosus* dicitur, dudum iam ita definitus, vel *serositas sanguinis*, quoniam a principe succo nutritio & chylo orbatus est.

Movent hic; modum secretionis dicerem? R. Hoc ultra sphaeram hominis, sapientiae divinae soli relictum est; & ultra sapere nolle, ac DEO placet, est *eruditum nescire*.

Hic pedem figerem, & satis superflua me retulisse, putarem. Ast, neququam! Artis etiam erit, cadavera haec, ceu viva apparentia, non per diem unam alteramve, septimanam, menses, sed per multos annorum decursus, sine ulla nitoris faciei mutatione, asservare posse, ut vivum, hilarem, sanum te semper conspiciere hominem, respondere possis, uti supra me dixisse memini.

Nonne Tibi, L. A. magnum hoc videtur? Verum dixi, & adhuc repeto: **VENITE! ET VIDETE!**

Magnus ille Russorum Imperator, iam in coelis triumphos canens, habuit Obiektorum horum prototypa, & adhuc asservantur, quae praeterlapsis viginti, triginta, & quod excurrit, annis, mortua fuere. Rursum monenda quaedam Tibi sunt, L. A. scilicet: Obiecta nova, per quinque vel sex annos in nova mea collectione asservata, cui me de novo per VIII. annos totum mancipavi, non sine praestita Filii mei opera, praeparata esse.

Persuadeo mihi, corporibus, quae Russorum Imperator a me accepit, magnam, in perpetuam asservationem, impendi curam; cum tantis me honorum documentis cumulare dignatus fuerit, ut in Anatome corporis humani eiusque partium

tium se a me Doctore clementissime instrui voluerit, & ita profecisse mihi quam maxime gratuler, ut omnium suffragio, singulari eloquentiæ flumine de his ita differere potuerit, ut Professoris disertissimi facundiam longe superaret.

Ut unicuique satisfacerem, necessarium, ut monui, erat, partes has conservare, ut quavis oblata occasione dicere possem: VENITE! ET VIDETE! illudque antehac inauditum erat. Acutissimi semper Anatomici partes Professor *van Horne* promerebat; omne vero, quod praeparaverat, solo brachio humano includebatur, quod, musculis summa accuratio-  
ne ab invicem separatis, in sale asservabat. Unico hoc excepto, nullum Obiectum ostendebat. Et hoc tempestate serena serenum videbatur, humectante vero, perpetuo sale defluente.

Duos & sexaginta per annos praeparationi & asservationi totus vacavi, & me Dr. *Swammerdam* insequabatur, in praeparandis peculiaribus corporis humani partibus inclutissimus, & hoc aevo, res ita nota, ac prius ignota fuit, evasit: ea tamen differentia, ut praeparatio & conservatio, omnibus huic se applicantibus, pari quidem modo, ast impari utilitate innotuerit.

*Regn. de Graaf*, perspicacissimus Anatomes rationalis Professor, literis una vice praeparationem a me exigebat. (*Ad illud enim, scribebat, felici sidere natus es*)

Hospites nunc ad me invisentes, & praeparata mea, tanto splendore gazophylaceo meo imposita, videntes, ceu viva omnia admirantur, dicentes saepius, quorsum illud? R. Quorsum magna illa defunctorum monumenta, quorum deliciis vermes foetidissimi, non invitati ad prandium, tanto appetitu delectantur? Quorsum integumenta illa artificiosissimi & pretiosissimi operis? Ego Obiecta mea hunc in finem externo illo splendore conspicua reddo, ne hominibus, a natura pro mortuis, eorumque dissectis partibus, terrore oppressis, terrorem nimium incuterem. Secundo, ad denotandum honorem & praestantiam animae, in hoc non inamoeno hospicio habitam; Hinc, splendorem hunc neminem mihi vitio versurum fore, spero.

Propius rem accedamus. In *Dec. III. Advers.* in specie insolitum quid annotaram, quod in gratiam obstetricum, praesentibus

tibus Inspectoribus *Colleg. Medici*, ad tempus professus sum, absentibus nimirum his nil illis demonstratur.

In his lectionibus meis me dixisse fabulantur, placentam, post foetum editum, non esse expellendam, sed ordinarium depulsioni tempus esse concedendum, donec a natura ipsa expellatur. Num mentem meam male intellexerint, vel male interpretati sint, non urgeo; Dominos Inspectores iudicia haec detestatos, nec figmentis his adfensuros, certo scio. Illud tum temporis tantum intendebam, placentae uterinae, utero firmitus applicatae, nullisque consuetis lenibus mediis flexili, consultius esse, ordinarium ante ad depulsionem tempus largiri, quam nimis festinantibus & periculosis remediis eam expellere velle, de quo iam fufius. Quod praeterea, in lectionibus modo propositis, tanquam extraordinarium quid, demonstrabam, erat inauditus ille & nunquam observatus, haud ita pridem a me DEI auxilio, in fundo uteri defunctae cuiusdam puerperae detectus musculus, cuius iconem, in *Decad. Advers. III.* praeter votum meum parum accurate delineatum, in Tractatione hac accuratiorem exhibendum iudicavi.

Est *Musculus orbicularis*, id est, *musculus* ex fibris circularibus constans, quarum substantia fere admodum crassa videtur, ad praestanda obsequia a DEO demandatus, scilicet ad depulsionem placentae, secundinarum foetus.

Musculus hic nonnisi in puerpera mortua, prolem iam enixa, invenitur; & haec causa sane est, quae per tot retro lustra sepulta & ignota mansit; eo quod cadaver in hoc statu, mortuo nempe, longe difficilius secari, nec Obiectum hoc, subtilitate debita, praeparari queat, quo deinceps dicere valeamus: VENITE! ET VIDETE! alias nobis nulla fides!

Nova haec observatio longe lateque iam perfonuit, ut multi exteri me consulerint, & iam *Musculi Ruyschiani*, eadem ratione, ac *Musculi Pyramidales* ab inventore suo *Musculi Fallopiiani* dicti fuerunt, nomen indiderint.

Quum itaque placenta haec, musculo huic apposita haeret, quod plerumque secundum naturae cursum evenit; tum placenta, (princeps secundinarum) mature & sine mole per musculum hunc depellatur: at, quando loco perverso lateri eius annititur, ut musculum in auxilium vocare nequeat, id est, si

*extra sphaeram activitatis*, sita est, tum placenta tanta violentia crebro adhaeret, ut non nisi vi extrahi possit: & hinc illae lachrimae! tumor abdominis & immodici in eo cruciatus, febres perpetuae, aphthae, dysenteria, retentio ita dictorum lochiorum, &c. quae symptomata, vel repente, vel post dies aliquot, ipsa fatalis hora subsequitur.

Tum causam subitaneae mortis anxie nobis inquirentibus, respondebunt: contra vim mortis, non est medicamen in hortis! vera quidem regula; verum enim vero nonne aliquando media vel male neglecta, vel pessime in nostri salutem adhibita fuere? Nonne consultius fuisset, placentam firmiter adhaerentem, nec commode flexilem, ita, ut tum temporis non nisi lethali vi extracta fuerit, nonne, inquam, consultius fuisset, ut eam ad tempus adhuc reliquissimus? me iudice, puto quod sic! De hoc igitur ex professo.

Obiiceret forte quis, nonne plures rationes, praeter explicatas, pro placentae constrictione, militare poterunt? R. Poterunt. Dudum iam in operibus meis publico exhibui, placentam uterinam duplici integumento, cuius utraque superficies includitur, involvi. Integumentum ergo, quo utero iungitur, & quod a Chorion productum est, aliquando in naturam Tartari vel in duritiem lapideam albam degenerans, hoc efficit, ut superficies uteri modo dicta, in eandem cum Chorion naturam transformata, alternatim arte unita haereat.

Verum possibilitatem, quomodo nempe interna uteri superficies admodum molli in hoc statu praedita esse possit sensibilitate, evitata licet omni molestia, uterus inversus, ex puerpera misere agitata excisus, evincit, ubi particula quaedam, per secundinarum depulsionem tanquam eradicata, & corrosa compages apparet. Et haec inopinatum horum adfectuum mortisque imminentis causa princeps fuit.

Ultimo, causa etiam pro adhaesione placentae haec venditari poterit, quando funiculus umbilicalis in medio placentae uterinae formatus, non vero ad larera positus est; quod experimentum illustrabit; sumas partem corii sphaericam madefactam, magnitudine imperiali proportionatam, huic in medio filum appendas, & contra lapidem, in plateis situm, magna vi comprimas, videbis, quod lapidem facile eruat; si vero experimentum  
cum

cum filo, lateri alterutri corii appenso, institueris, lapidem aegre fundamentum, cui innititur, deferendum.

*Insequuntur multae difficultates decidendae. Ecce! hoc opus! hic labor! Viro mihi grandaeva senecta vexato, quibus insimul sententias adversus rem propositam aniles remove placet.*

Primo, *L. A.* difficultates quasdam tibi proponere, & secundinas concernentia, in Tractatu hoc enarrare lubet, quae aequae in his, ac in exteris oris *tanquam in concussum* habita fuere, scilicet, secundinas foetum editum eodem puncto, non interrupto ordine, insequi debere. Quaeso, num opus hoc tam arduae & immobilis necessitatis esse arbitraris ut ante surgere nolint, quam secundinas simul extractas ostentare possint, sed, his si rursus me contradicentem audiunt senem? me omnes insultaturos esse, scias! Nonne ad exemplum *Pauli* obloquerentur? Nonne adversarii mei me insanire, clamabunt? Verum, obganniant tandem quid velint, constantia & perseverantia in defungendo rite officio palmam omnibus praeripiet. Egone, cuius humeris hicce labor impositus est, anxius secreta illa vitam salutemve nostram promoventia, celarem?

Abfit, facinus infandum! DEUS summe bonus haec ad conservationem miserarum, per me orbi communicare voluit, fiat ergo voluntas eius, & repetita vice repeto, dicant, quid velint! DEUS nemini, in fiducia cordis coram eo ambulanti, & ad ultimum usque halitum perfectionem proximi sui promoventi, gratiam suam denegabit.

O tristibus illis adfectibus, praeterlapso *L.* annorum cursu, multis interfui, & hilares, vegetas, nullo unquam morbo oppressas, labores superatas, onere suo liberatas feminas praeter spem & expectationem mortem subiisse vidi, nulla alia ratione, quam ex defectu verae cognitionis, genuini ad depellendam placentam uterinam inserviendi modi, quam nondum laxatam non nisi imminente vitae periculo extrahendam consueverunt, & dicenti mihi, velim, applicatam adhuc patiamini;

mini; fat cito! si fat bene! lecto, ut requiescat, reponatis; mihi quidem hoc responsi dederunt: Quid? num secundinae remanere debent? Ita, seculo barbarae ignorantiae homines, verae cognitionis lumine privati, multis, proh dolor! vitae filum abrumpebant, & quamvis, rarissimo exemplo, quosdam ex mortis faucibus ereptos videmus, quaerelas insuper de obstetricibus, pessime artes suas excolentibus, motas, indies audimus. Quantas hinc inde *DEO* omnipotenti, in lucem nos redacto, grates referemus.

Secundo; Introducendae novae, insolitae, nunquam descriptae methodo longe difficulter calculum addere volebant, diversum plane in puerperis adiuvandis, modum antiquum ubivis invaluisse summo rigore urgentes. Illico repudiarent me, muneri obstetricio incumbentem, quando placentam, non simul post partum eductam, ostentarem, & extemplo magis peritae obstetricis suae opem implorarent: tum, hoc rerum statu, verendum erit, ne incensa obstetrix nimis imprudenti & coeco impetu ageret: nam dummodo se placentam uterinam, licet plurimum per frustra eradicatam, (cujus non semper certiores nos praedicare possumus) eduxisse, iactare possit, symptomata explicata, imo mors immineat, nec ne, culpam in nullum redundare gloriabitur, quid? quod si tum eam praecipitantis imprudentiae & criminis ream damnaveris, illibatas se extraxisse secundinas, & contra vim mortis non esse medicamen in hortis, lepida responsione sese defendet. Ita causam suam optime defendisse persuasissimae erant; & ita causa quoque haec per tot lustra infallibilis oraculi titulum promeruit. Rem proh dolor! mirandam! deplorandam!

Observatio ergo detecti novi musculi, ad depulsionem placentae destinati, cautius mercari docebit; id est, quod si placentam nimis adstricta, nullis lenibus remediis veniat, puerpera, defatigata puerperio, reponatur, donec vires amissas recuperaverit. Haec *curatio dicitur per expectationem*. Dein clyisma leniens & parum stimulans, (si necessarium iudicatur) aliud emolliens & discutiens applicetur, cui etiam cordialia inserviunt. Verum media haec negligunt, putantes, ante placentae expulsionem non esse surgendum, cum corpus deinceps reiterata vice sese contrahere inciperet.

Quod

Quod de partibus sese contrahentibus allegarunt, illud non in instanti, ac quidem fabulantur, sed post dies demum aliquot fieri, notum est: Posito, partes contrahi, placentae uterinae corpore in parturiente adhuc remanente; longe difficiliorem tamen adfectum sibi imaginantur, haud quaquam tam periculosum, ut mors inde causetur; aliquando non verentur, rei difficultatem puerperae indicare, aut puerpera, per relationes illas in aures praesentium factas, periculi aliquid subesse ominatur, & ita, summa praecordiorum anxietate se ipsam crucians, animi deliquium patitur, multisve malis repente ingravescentibus portam longe patentem aperit. Consultius hinc erit, parturientem lecto, ut quiescat, reponere, donec placenta remansa demoliat & maturescat, puerperae confortantibus remediis erit succurrendum; tandemque, post novos conatus successivos placenta illibata expellitur. *Exp. Doctori van Bronckhorst* in recenti haerebit memoria, se casum aequalem in certa quadam foemina illustri, eodem adfectu macerata, observasse; placentae constrictio eadem, ac in priori casu, erat, quae sagacissima & solerti obstetricis manu, omni licet lenitate agitata, non erat separanda. Illud obstetrix indicebat: O! si omnes vestigia huius in adiuvandis parturientibus premerent, quae non inde mala evitarentur! quae non inde salus in publicum redundaret! Me quoque adiutorem vocaverant, nil ergo temporis consumpsimus ambo, sed ut lecto reponeretur, festinavimus. O! qui leniter & iuste sine ulla mole placentam, post breve horarum spatium, a natura per matricem, uno impetu expulsam, nobis gratulabamur.

*Notandum*: Placentam hanc insolita licet unione utero applicatam, post breve horarum intervallum, nihilo fecius tanta mollitie avulsam fuisse, ut uno impetu per uterum eiacularetur.

Haec non inde eo refero, ac si plura mihi exempla ad demonstrandam rei veritatem deficerent; longum foret, si mihi omnia enumeranda sumerem, quibus tamen tempus inutiliter tererem.

Ut brevis sim, scias L. B. nullam puerperam ex adstricta & remansa secundinarum mole, tempore plus quam L. annorum, quo mihi Professoris in arte obstetricia sparta, ante me nemini oblata, humanissime demandata fuit, obuisse, nisi

placentam uterinam nimis atroci nisu per frustra eradicare voluerint.

Familiare mihi etiam fuit, eandem per dies, septimanas, quid? quod menses in utero retentam, & tamen feliciter expulsam fuisse, *id quod notandum.*

Quae ergo imprudentia, quae obstinatio & quodnam praeiudicium animos iudiciave vestra corrumpit, ut festinanti praecipitantia eam avellere, nec tamen absque imminente vitae periculo separandam, intendatis: O! insaniam! qui praeiudicia haec in mentibus vestris enata sunt? qui, quaeso, tantas radices egerunt? Est certe nodus hic Gordius, quem non sine admiratione rumperere valeo.

Ex supra abundanti hoc adhuc referre placet: Adferunt, retentae placentae molem in purulentam redigi materiem, quae uterum inficeret, & foetorem inficientem exhalaret, &c. R. Dicit quidem, aëst a me nunquam observatum nec demonstratum fuit! imo veritati contrariatur: impossibile enim, unicum pro probanda thesi adferri posse exemplum.

Verumne videbitur, quod de putrefactione partium adduxere, cum ne unica mihi, de hac, observatio unquam abveniret, etfi per duos supra sexaginta annos in secandis & obducendis diversis cadaverum foemininorum generibus omnem operam impenderim? Cum igitur infantes ante annum iam mortui, sine ulla putredine in utero materno retineantur; multo magis secundinae pluraque alia, cum notum sit, placentam partem foetus, non vero uteri existere.

Hanc observationem (DEO *volente*) in *Dec. IV.* me in scenam producturum spondeo. Idem etiam in vitulo me observasse, scias, qui semianni spatio mortuus in utero vaccae sine ulla corruptione, aëst tamen nimis flaccidus & languidus, detentus erat; (par est ratio cum infantibus, per menses in matrice occulte latentibus,) vitulum sectioni subieceram, & vasis sanguiferis repletis, partes adhuc ceu vivas praeparavi, ejusque cerebrum, (materia subtilissima) summo se splendore in *Curis meis posterioribus* exhibet: Semper vacca erat obesa & vegeta, quam in horto civitatis huius medico maëtatam, hortulanus, *Cornelius Vos*, cum tota sua familia in bona charitate consumpsit. Ex his colligere datur, his similibusque fabu-



fabulis, quae ex praconcepta hypothefi veritatis speciem nactae sunt, & adhuc antiquum obtinent, fidem non esse habendam.

Diu iam pro cathedra obstetricibus inculcavi, placentam annexam violenta manu non esse divellendam, verum praeflare, (si nullis mediis lenientibus flecteretur) ut ad tempus annexam patiamur, nec ultro festinemus: monita vero mea repudiarunt, & manibus pedibusque resistebant, contra dignitatem earum fore putantes. O allacinatio!

Post detectionem ergo modo descripti muscoli, & deplorandi illius adfectus, quem in puerpera, infimae plebis femina, observaveram, cuius placenta, inter depulsionem firmiter adhaerens, violenter, non nisi laesa interna sensibili uteri superficie (ut mihi videtur) expulsa fuit: non amplius morabor, sed observationes meas maiori animi constantia in usus sequioris sexus proponam, qui mihi multa debet, debet autem plurima, & habet iam, quare tacere, nec figmentis his impotterum evulgatis consentire poterit.

Puerpera haec in suo puerperio mortem oppetebat, id quod in plebe praesertim me saepius expertum fuisse, doleo; verum, quomodo uterus eius constitutus esset, mihi notum esse non poterat; donec post preces reiteratas corpus secandum, & *mediantibus illis* uterum domi inquirendum extradebant. Res sane non parvi momenti! domi fumere, eum condire, & quacunque occasione exclamare posse: VENITE! ET VIDETE! hunc ego arte mea ceu vivum praeparavi, ut nescires, num hodie, num diu iam praeparatus fuerit.

Judices, velim, L. B. quam aegre nobis puerperam, cultro Anatomico examinandam, eiusdemve partes domi inquirendas, concedant! uti in praecedentibus me dixisse memini, sine quo tamen, observatio haec utilis aequae ac salutaris, salutem imbecillioris promovens, sopita mansisset: consequenter, quae non inde lux cognitioni huic accederet, si exemplum hoc sequerentur omnes, in quorum libertate positum, ut mortua cadavera sectionibus anatomicis, quibus nil mali, sed multum salutis inest, subiicere possent, de quo insigni usu rariores Observationes in Operibus meis descriptae, ut & errores in iis refutati, quae per tot secula generali consensu

sensu recepti fuerunt, multo clariori documento testantur. Sperandum ergo, quod posthac pleniori mensurâ verae cognitionis cumulus nobis accedat.

Non vulgarem adhuc observationem, apprime modo dicta explicantem proferam. Nunquam a ruricolis & veterinariis audimus, quod ex retentis secundinis vitulinis mortem vaccae augurentur, non obstanti numerosa XL. L. imo LX. placentarum mole, qua secundinae circumductae sunt, quarum nonnullae, magnitudine fere aequali, aliae in totum placentae corporis humani proportionatae observantur, cujus rei prototypa in nova Collect. videnda praebeo.

